ARCANA COELESTIA,

QUAE IN

SCRIPTURA SACRA,

SEU

VERBO DOMINI

SUNT, DETECTA:

HIC QUAE IN

EXODO,

UNA CUM MIRABILIBUS

QUAE VISA SUNT

IN MUNDO SPIRITUUM, ET IN COELO ANGELORUM.

OPUS

EMANUELIS SWEDENBORG.

AD FIDEM EDIT. PRINCIP. 1749 ss. *LONDINI* EXCUSAE
DENUO CASTIG*ATIUS* EDIDIT

D^r JO. FR. IM. TAFEL.

PARS SECUNDA.

SEU TOTIUS OPERIS VOL. XI.

PROSTAT

TUBINGAE

IN BIBLIOPOLIO ZU - GUTTENBERG.

1841.



EXODI

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DOCTRINA CHARITATIS.

8387. Qui vult salvari, Confitebitur peccata sua, et poenitentiam aget.

8388. Confiteri peccata, est cognoscere mala, videre illa apud se, agnoscere illa, se reum facere, et propter illa se damnare; hoc cum fit coram Deo, est confiteri peccata.

8389. Poenitentiam agere, est, postquam ita confessus est peccata, et ex humili corde supplicavit de remissione, desistere ab illis, et vitam novam secundum praecepta fidei agere.

8390. Qui solum universaliter agnoscit quod peccator sit, et se reum omnium malorum facit, et non explorat se, hoc est, videt sua peccata, is confessionem facit sed non confessionem poenitentiae, vivit enim postea sicut prius.

8391. Qui vitam fidei agit, is quotidie poenitentiam agit; nam reflectit super mala quae apud se, agnoscit illa, cavet sibi ab illis, supplicat Dominum de ope: homo enim continuo ex se labitur, sed a Domino continue erigitur; ex se labitur cum cogitat velle malum, et a Domino erigitur cum resistit malo, et inde non facit illud: talis status est omnibus qui in bono sunt; qui autem in malo sunt, labuntur continue, et quoque a Domino elevantur continue; sed ne cadant in infernum omnium gravissimum, quo ex se omni nisu tendunt, verum in mitius.

8392. Poenitentia quae fit in statu libero, valet, at quae in statu coacto, non valet: status coactus, est status morbi, sta-

tus dejecti animi ex infortunio, status imminentis mortis, verbo, omnis status timoris, qui demit rationis sanae usum: qui malus est, et in statu coacto poenitentiam pollicetur, et quoque bonum agit, is cum venit in statum liberum, in vitam mali priorem redit: aliter se habet cum homine bono, illi status sunt ei status tentationis, in qua vincit.

8393. Poenitentia oris et non vitae, non est poenitentia; per poenitentiam oris non remittuntur peccata, sed per poenitentiam vitae. Remittuntur homini continue peccata a Domino, nam est ipsa Misericordia; sed peccata adhaerent homini, utcunque putat quod remissa sint, nec ab ipso removentur, nisi quam per vitam secundum praecepta fidei; quantum secundum illa vivit, tantum peccata removentur, et quantum removentur tantum remissa sunt: homo enim a Domino detinetur a malo, et tenetur in bono; et tantum detineri potest a malo in altera vita, quantum in vita corporis restiterat malo, et tantum teneri potest in bono tunc, quantum in vita corporis ex affectione egerat bonum: inde constare potest, quid peccatorum remissio, et unde: qui credit quod peccata aliter remittantur, multum fallitur.

8394. Postquam homo se exploraverat, et agnoverat sua peccata, et poenitentiam egerat, manebit constans in bono usque ad finem vitae: si autem dein relabitur ad vitam mali priorem, et hanc amplectitur, tunc prophanat, nam tunc malum conjungit bono; inde status ejus posterior fit pejor priori, secundum Domini Verba, „Quando immundus spiritus exit ex homine, perambulat arentia loca, quaerens requiem, sed non invenit; tunc dicit, revertar in domum meam, unde exivi; cumque venit, et reperit illam vacuam, et scopis purgatam, et ornatam sibi, tunc abit et adjungit sibi septem alios spiritus pejores se, et ingressi habitant ibi: *et fiunt posteriora hominis pejora primis*," Matth: XII: 43. 44. 45.

CAPUT XVI.

1. Et profecti sunt ex Elim, et venerunt omnis coetus filio-

rum Israëlis ad desertum Sin, quod inter Elim et inter Sinai, in quinto decimo die mensi secundo ad exire illorum e terra Aegypti.

2. Et murmurabant omnis coetus filiorum Israëlis contra Moschen et contra Aharonem, in deserto.

3. Et dixerunt ad illos filii Israëlis, quis dabit, mortui fuissemus manu Jehovae in terra Aegypti, in sedendo nos ad ollam carnis, in edendo nos panem ad satietatem; quia eduxistis nos ad desertum hoc, ad occidendum omnem congregationem hanc fame.

4. Et dixit Jehovah ad Moschen, ecce ego pluere faciens vobis Panem e coelo, et exibit populus, et colligent verbum diei in die suo, propterea ut tentem illum, num ambulat in Lege mea, si non.

5. Et erit in die sexto, et praeparent quod adduxerunt, et erit duplum super quod colligent die die.

6. Et dixit Moscheh et Aharon ad omnes filios Israëlis, vesperi et cognoscetis quod Jehovah eduxerit vos e terra Aegypti.

7. Et mane et videbitis gloriam Jehovae, in audire Ipsum murmurationes vestras contra Jehovam, et nos quid quod murmuretis contra nos.

8. Et dixit Moscheh, in dare Jehovam vobis in vespera carnem ad edendum, et panem in matuta ad satiandum; in audire Jehovam murmurationes vestras, quibus vos murmurantes contra Ipsum; nos quid, non *contra nos* murmurationes vestrae, quod *contra* Jehovam.

9. Et dixit Moscheh ad Aharonem, dic ad omnem coetum filiorum Israëlis, appropinquate coram Jehovah, quia audivit murmurationes vestras.

10. Et fuit ut loqui Aharon ad omnem coetum filiorum Israëlis, et respexerunt ad desertum, et ecce gloria Jehovae visa in nube.

11. Et loquutus Jehovah ad Moschen, dicendo.

12. Audivi murmurationes filiorum Israëlis; loquere ad illos, dicendo, inter vesperas comedetis carnem, et in matuta satiabimini pane, et cognoscetis quod Ego Jehovah Deus vester.

13. Et factum in vespera, et ascendit Selav, et obtexit castra; et in matuta fuit positio roris circum castra.

14. Et ascendit positio roris, et ecce super facies deserti minutum rotundum, minutum sicut pruina super terra.

15. Et viderunt filii Israëlis, et dixerunt vir ad fratrem suum, Man hoc, quia non sciverunt quid hoc; et dixit Moscheh ad illos, hoc panis, quem dedit JEHOVAH vobis ad edendum.

16. Hoc verbum quod praecepit JEHOVAH, colligite de eo, quisque ad os edere sui, Omerem ad caput, numerum animarum vestrarum, quisque ei qui in tentorio suo, accipite.

17. Et fecerunt ita filii Israëlis, et collegerunt, redigens ad numerosum et ad paucum.

18. Et mensi sunt omere, et non superfluum fecit numeroso, et pauco non defuit; quisque ad os edere sui, collegerunt.

19. Et dixit Moscheh ad illos, quisque ne residuum faciat de illo usque ad mane.

20. Et non audiverunt ad Moschen, et residuum fecerunt viri ex illo usque ad mane, et vermiculavit vermes, et computruit; et succensuit super illos Moscheh.

21. Et collegerunt illud mane mane, quisque secundum os edere sui, et incaluit sol, et liquefactum est.

22. Et fuit in die sexto collegerunt panem duplum, duos omeres uni; et venerunt omnes principes coetus, et indicaverunt Moschi.

23. Et dixit ad illos, hoc quod loquutus JEHOVAH, requies, sabbathum sanctum JEHOVAE cras, quod coquetis coquite, et quod lixabitis lixate, et omne superfluum reponite hoc vobis ad custodiam usque ad mane.

24. Et reposuerunt illud ad mane, quemadmodum praecepit Moscheh, et non computruit, et vermis non fuit in illo.

25. Et dixit Moscheh, comedite illud hodie, quia sabbathum hodie JEHOVAE, hodie non invenietis illud in agro.

26. Sex diebus colligetis illud, et in die septimo sabbathum, non erit in eo.

27. Et fuit in die septimo exiverunt e populo ad colligendum, et non invenerunt.

28. Et dixit JEHOVAH ad Moschen, quousque renuitis custodire praecepta mea, et leges meas.

29. Videte quia JEHOVAH dedit vobis sabbathum, propterea Ille dat vobis in die sexto panem duorum dierum; quies-

cite quisque sub se, ne exeat quisquam e loco suo in die septimo.

30. Et quieverunt populus in die septimo.

31. Et vocaverunt Domus Israëlis nomen ejus Man, et hoc sicut semen coriandri album, et sapor ejus sicut placentae in melle.

32. Et dixit Moscheh, hoc verbum quod praecepit Jehovah, imple omerem ex illo ad custodiam generationibus vestris, propterea ut videant panem, quo cibavi vos in deserto, in educere Me vos e terra Aegypti.

33. Et dixit Moscheh ad Aharonem, accipe urnam unam, et da ibi plenitudinem omeris Man, et repone illud coram Jehovah, ad custodiam Generationibus vestris.

34. Quemadmodum praecepit Jehovah ad Moschen, et reposuit *illud* Aharon coram Testimonio ad custodiam.

35. Et filii Israëlis comederunt Man quadraginta annis, usque ad venire illos ad terram habitatam; Man comederunt usque ad venire illos ad terminum terrae Canaanis.

36. Et Omer decima pars Ephae illud.

CONTENTA.

8395. Actum est in praecedente Capite de Altera Tentatione illorum qui ab Ecclesia spirituali, quae fuit inde quod Verum apperciperetur injucundum; *in hoc Capite* in sensu interno agitur de Tertia *Tentatione*, quae est inde quod deficiat bonum; per defectum panis et carnis, de quo murmurabant filii Israëlis, significatur defectus boni: consolatio post tentationem significatur et describitur per Mannam, quam acceperunt, et per Selav; Manna est bonum spirituale: quod hoc illis datum sit a Domino continue, et absque ulla illorum cura et ope, significatur per quod Mannam quotidie acceperint, et si colligerent plus, quod innatus sit vermis.

SENSUS INTERNUS.

8396. Vers: 1. *Et profecti sunt ex Elim, et venerunt omnis coetus filiorum Israëlis ad desertum Sin, quod inter Elim et inter Sinai, in quinto decimo die, mensi secundo, ad exire illorum e terra Aegypti.* Et profecti sunt ex Elim, significat successivum: et venerunt omnis coetus filiorum Israëlis ad desertum Sin, significat ad statum alium tentationis: quod inter Elim et inter Sinai, significat continuum et quale: in quintodecimo die mensi secundo, significat statum respective: ad exire illorum e terra Aegypti, significat ad statum illorum cum primum liberati [1] ab infestationibus.

8397. Et profecti sunt ex Elim, quod significet successivum, constat ex significatione proficisci, quod sit successivum et continuum, de qua n: 4375. 4554. 4585. 5996. [2] 8181. 8345; et ex significatione Elim, quod sit status consolationis post tentationem, de qua n: 8367; inde per profecti sunt ex Elim, significatur successivum vitae quoad status tentationum; nam apud illos, qui ab Ecclesia spirituali sunt, cum tentationes subeunt, perducuntur ab una tentatione in alteram; hoc successivum est, quod per proficisci hic significatur: quod proficisci significet successivum vitae, est quia spatia sicut tempora nulla sunt [3] in altera vita, sed pro illis status, n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5605. [4] 7381; consequenter per motus non significantur motus, nec per profectiones profectiones, sed statuum mutationes et successiones.

8398. Et venerunt omnis coetus filiorum Israëlis ad desertum Sin, quod significet ad statum alium tentationis, constat ex significatione venire, quod sit statio successivi quod per proficisci n: 8397 [5] significatur; ex significatione coetus filiorum Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua n: 7843; ex significatione deserti, quod sit status subeundi tentationes, de qua n: 8098; et ex significatione Sin, quod sit quale illius status, nomina enim includunt omne quale status rei, de qua agitur, ut supra passim ostensum. Ex tentatione quae significatur per murmurationem propter defectum panis et carnis, et ex consolatione dein quae significatur per mannam et selav, constare potest

quid Sin significat, quod nempe bonum quod ex vero, inde Sin, quae urbs Aegypti, a qua desertum Sin nomen accepit, in opposito sensu significat malum quod ex falso, apud Ezechielem, „Effundam excandescentiam meam *super Sin* robur Aegypti, et exscindam multitudinem No: et dabo ignem in Aegypto, *dolendo dolebit Sin*, et No erit ad perrumpendum, et Noph hostibus quotidie: juvenes Aven et Bi-Pesech gladio cadent, et illae in captivitatem abibunt: et in Thechaphneches obtenebratus dies erit, quando fregero ibi juga Aegypti,“ XXX: 15. 16. 17. 18; agitur hic de illis qui in scientificis sunt, et inde excludunt falsa ex quibus mala: Aegyptus ibi est scientificum; Sin est malum quod ex falso, et No est falsum ex quo malum; quod altior hic sensus lateat, quam qui in litera exstat, cuivis constare potest solum ex eo, quod Verbum Divinum sit, nisi sensus inibi altior, vix aliquis, qui capi potest, foret, minus sensus in quo sanctum; inde patet manifeste, quod nomina ibi sint res, et quod ex illis resultet sensus communis, qui Verbo, quod ex Jehovah, dignus est: qui Verbum agnoscit Divinum, hoc nequaquam negare potest, modo velit ex ratione cogitare, aut ex intellectu aliquantisper illustrato concludere.

8399. Quod inter Elim et inter Sinai, quod significet continuum et quale, constat ex significatione Elim et ex significatione Sinai, ex quibus liquet quid hoc intermedium significat; Elim enim ex fontibus et palmis quae ibi significat verum et bonum quae sunt consolationis post tentationem, videatur Versus ultimus Capitis praecedentis; et Sinai ex Lege, quae ibi promulgata est, significat bonum et inde verum; inde continuum et quale quod per Sin significatur, est bonum quod ex vero. Bonum quod ex vero, est bonum quod apud spiritualem hominem est ante regenerationem, nam tunc facit bonum ex vero, hoc est, quia ita mandatum est, proinde ex obedientia; at bonum ex quo verum, est bonum quod apud spiritualem hominem est post regenerationem, nam tunc bonum facit ex affectione: prius bonum significatur per Sin, posterius per Sinai.

8400. In quinto decimo die mensi secundo, significat statum respective, constat ex significatione numeri quindecimi, ex significatione diei, et ex significatione mensis; per mensem significatur finis status prioris et principium sequentis, ita status

novus, n: 3814; per diem significatur status in genere, n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 7680; et per quintum decimum significatur novum, nam per quatuordecim, seu duas septimanas, significatur integra periodus, seu status a principio ad finem ejus, n: 728. 2044. 3845; inde per quindecim significatur novum, hic novum vitae, quod significatur per mannam quam e coelo acceperunt; manna enim est bonum veri, quod est vita hominis spiritualis; simile enim per quindecim significatur, quod per octo, nam dies octavus est dies primus sequentis septimanae; quod octavum sit principium quodcunque, ita novum a priori distinctum, videatur n: 2044. 2866; et quod omnes numeri in Verbo significent res, n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. 6175.

8401. Ad exire illorum e terra Aegypti, quod significet ad statum illorum cum primum liberati ab infestationibus, constat ex significatione exire et educi, quod sit liberari, de qua saepius; et ex significatione terrae Aegypti, quod sint infestationes ab illis qui in malo et inde falsis, de qua n: 7278.

8402. Vers: 2. 3. *Et murmurabant omnis coetus filiorum Israëlis contra Moschen et contra Aharonem in deserto. Et dixerunt ad illos filii Israëlis, quis dabit, mortui fuissemus manu Jehovae in terra Aegypti, in sedendo nos ad ollam carnis, in edendo nos panem ad satietatem; quia eduxistis nos ad desertum hoc, ad occidendum omnem congregationem hanc fame.* Et murmurabant omnis coetus filiorum Israëlis, significat indolentiam et inde querimoniam propter tentationis gravitatem: contra Moschen et contra Aharonem, significat verum Divinum: in deserto, significat statum tentationis: et dixerunt ad illos filii Israëlis, significat cogitationem ex anxietate: quis dabit, mortui fuissemus manu Jehovae in terra Aegypti, significat quod praestiterit relictos fuisse a Domino cum erant in statu infestationum: in sedendo nos ad ollam carnis, significat vitam secundum libitum, et sicut concupiverunt: in edendo nos panem ad satietatem, significat quod sic bono voluptatum fruerentur quantum vellent: quia eduxistis [6] nos, significat quod postquam liberati: ad desertum hoc, significat statum tentatio-

num: ad occidendum omnem congregationem hanc fame, significat quod ex defectu jucundi et boni exspirarent.

8403. Et murmurabant omnis coetus filiorum Israëlis, quod significet indolentiam et querimoniam propter tentationis gravitatem, constat ex significatione murmurare, quod sit indolentia ex tentationis acerbitate, et querimonia, de qua n: 8351; coetus filiorum Israëlis sunt qui ab Ecclesia spirituali, ut supra n: 8398. Agitur hic de tertia Tentatione, quae est propter defectum jucundi et boni, quae tentatio succedit priori in serie, quae fuit propter defectum veri. Qui non instructi sunt de Regeneratione hominis, autumant quod homo regenerari queat absque tentatione, et quidam quod regeneratus sit quando unam tentationem subierat; sed sciendum, quod absque tentatione nullus regeneretur, et quod plures tentationes succedant una post alteram; causa est, quia regeneratio fit ob finem, ut vita veteris hominis moriatur, et vita nova quae coelestis insinuetur; inde constare potest, quod omnino pugna erit; vita enim veteris hominis resistit, nec vult exstingui, et vita novi hominis non potest intrare, nisi ubi vita veteris exstincta est; inde patet, quod utrinque pugna sit, et ardens, quia pro vita: qui ex rationali illustrato cogitat, inde potest videre et percipere, quod regenerari nequeat homo absque pugna, hoc est, absque tentatione spirituali; tum quoque, quod non regeneretur per unam tentationem, sed per plures; sunt enim perplura genera mali, quae jucundum vitae prioris, hoc est, vitam veterem fecerunt; omnia illa mala non possunt semel et simul domari, inhaerent enim pertinaciter, nam irradicata sunt parentibus a multis retro saeculis, et inde innata homini, et confirmata per actualia [7] mala ex semet ab infantia; haec mala omnia sunt e diametro opposita bono coelesti, quod insinuandum, et quod faciet vitam novam. [8]

8404. Contra Moschen et contra Aharonem, quod significet Verum Divinum, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum Divinum immediate a Domino procedens, ita internum, et ex repraesentatione Aharonis, quod sit Verum a Domino mediate procedens, ita externum, de quibus n: 7009. 7089. 7382.

8405. In deserto, quod significet statum tentationis, con-

stat ex significatione deserti, quod sit status subeundi tentationes, de qua n: 6828. 8098.

8406. Et dixerunt ad illos filii Israëlis, quod significet cogitationem ex anxietate, constat ex significatione dicere, cum de talibus quae mentem afficiunt, quod sit cogitatio, ut quoque n: 3395. 7094. 7244. 7937; quod sit ex anxietate patet, quia in tentatione.

8407. Quis dabit mortui fuissemus manu Jehovae in terra Aegypti, quod significet quod praestiterit relictos fuisse a Domino cum erant in statu infestationum, constat ex significatione quis dabit, quod sit melius fuisse, seu praestitisse; ex significatione mortui esse manu Jehovae, quod sit ut relicti a Domino, per mortuum esse in sensu spirituali significatur in malis et inde falsis esse, proinde in damnatione, n: 6407. 6119. 7494; et cum dicitur mori manu Jehovae, est relinqui a Domino, nam qui relinquuntur ab Ipso, hoc est, qui relinquunt Ipsum, in mala et inde falsa ruunt, et sic in damnationem; quod Jehovah in Verbo sit Dominus, pluries prius ostensum est; et ex significatione terrae Aegypti, quod sit status infestationum, de qua supra n: 8401: quod illi qui ab Ecclesia spirituali, qui repraesentantur per filios Israëlis, prius quam liberati sunt a Domino, infestati fuerint ab illis qui in falsis ex malo, qui repraesentantur per Pharaonem et Aegyptios, videatur n: 6854. 6914. 7474. 7828. 7932. 8018. 8099. 8159. 8321.

8408. In sedendo nos ad ollam carnis, quod significet vitam secundum libitum, et sicut concupiverunt, constat ex significatione ollae, quod sit continens boni, et in opposito sensu continens mali, de qua sequitur; et ex significatione carnis, quod sit proprium coeleste, ita bonum, et in opposito sensu proprium hominis, ita malum, de qua etiam sequitur; et quia per carnem significatur proprium, ita per sedere ad ollam carnis significatur vita secundum libitum, et sicut concupiscitur, nam haec vita est vita proprii. Quod olla sit continens boni, et in opposito sensu continens mali, est quia per carnem, quae in illa coquitur, significatur bonum, et in opposito sensu malum: quia olla id est, ideo per illam etiam significatur corporeum vel naturale hominis, quia haec sunt continentia boni vel mali, inde in universali sensu per illam significatur homo, et in adhuc

universaliori populus aut urbs, et tunc caro significat bonum vel malum in illis; ut apud Ezechielem, „Viri qui cogitant iniquitatem, et consulunt consilium malitiae in urbe hac, dicentes non prope est, *ipsa Olla est, nos Caro:* quare sic dixit Dominus Jehovih, confossi vestri, quos posuistis in medio illius, *hi Caro, ipsa* vero *Olla,*" XI: 3. 7, hic Olla pro urbe seu populo ibi, et caro pro malo, nam confossi, qui dicuntur caro, sunt apud quos bonum et verum exstinctum est, n: 4503. Apud Eundem, „Paraboliza contra domum rebellionis parabolam, et dic ad illos, sic dixit Dominus Jehovih, *appone ollam, appone* etiamque affunde frusta *in illam, omne frustum bonum, femur et humerum*, electione ossium imple; dixit Dominus Jehovih, *Vae urbi sanguinum, Ollae,* cujus spuma in illa, et cujus spuma non exiit ex illa," XXIV: 3. 4. 5. 6, hic Olla pro urbe seu *populo ibi,* in quo malum prophanationis boni, bonum quod Caro ibi est femur et humerus, malum est spuma inde, prophanatio boni est spuma remanens, ideo quoque urbs sanguinum vocatur. Apud Jeremiam, „Dixit Jehovah ad Jeremiam, quid tu vides, dixi *Ollam exsufflatam* ego video, cujus facies versus septentrionem; tunc dixit Jehovah, a septentrione aperietur malum super omnes habitatores terrae," I: 11. 12. 13. 14, Olla exsufflata pro populo, quem falsa occuparunt, septentrio pro sensuali et corporeo hominis, e quo malum scaturit; agitur hic de Ecclesiae fine, quando externum, proinde sensuale et corporeum, et cum illis falsum et malum, dominantur, nam Ecclesia Domini ab Interno vadit successive ad externum, et tunc exspirat. Apud Sachariam, „In die illo erit super tintinnabulis equorum sanctitas Jehovae, et *erunt Ollae in domo Jehovae*, sicut crateres coram altari; et *erit omnis Olla in Hierosolyma et Jehudah*, sanctitas Jehovae Zebaoth, et venient omnes sacrificantes, et sument *de illis*, et *coquent in illis,*" XIV: 20. 21; agitur hic de salvatione fidelium, fideles sunt ollae, ita dicti a receptione boni a Domino, inde vocatur olla sanctitas Jehovae; tintinnabula equorum, super quibus sanctitas, sunt vera correspondentia bono. Quia ollae sunt recipientia et continentia boni, ideo etiam *illae* cum reliquis vasis altaris „*confectae erant ex aere,*" Exod: XXXVIII: 3, nam aes significat bonum naturalis, n: 425. 1551. Etiam per Ollam si-

gnificatur doctrina, ex eo quod contineat bonum et verum Ecclesiae; doctrina significatur per Ollam, in qua ex jussu Elisaei pulmentum coquebatur filiis prophetarum, de qua ita in Libro 2 Regum, „Elischah rediit ad Gilgalem, cum fames in terra, cum filii prophetarum sederent coram illo; dixit puero suo, *appone ollam magnam*, et coque pulmentum filiis prophetarum: exivit unus in agrum ad colligendum olera, et invenit vitem agri, et collegit de illa colocynthidas agri, et *concidit in ollam pulmenti:* cum comederent de pulmento, clamarunt, *mors in olla*, vir Dei: sed dixit, ut *acciperent farinam, quam jecit in ollam*, et dixit, effunde populo et comedant, *tunc non fuit res mala in olla*," IV: 38 ad 42; sciendum, quod Miracula Divina omnia involvant talia, quae sunt Regni Domini et Ecclesiae, n: 7337. 8364, et quod Elisaeus repraesentet Verbum Domini, n: 2762, et prophetae doctrinas inde, n: 2534. 7269; inde patet, quid Ecclesiae repraesentatum est per hoc miraculum, nempe quod bonum Ecclesiae falsificatum fiat bonum per Verum e Verbo; fames est defectus cognitionum veri et boni, olla est doctrina, pulmentum bonum ritualium externorum Ecclesiae Judaicae, colocynthides ex vite agri est falsificatio, farina est Verum e Verbo, n: 2177, ex quo illud falsificatum, quod est mors in olla, fit bonum. Quod Ollae significent continentia boni, est quia inter vasa utensilia erant, in quibus praeparabatur cibus, et per cibum ac omnia ejus genera significantur talia quae nutriunt animam, ita affectiones boni et veri, n: 681. 1480. 3114. 4792. 5147. 5293. 5340. 5342. 5576. 5410. 5915.

8409. Quod Caro significet proprium in utroque sensu, in supremo sensu Proprium Divinum Domini, quod est Divinum Humanum Ipsius, ita Bonum Amoris Ipsius erga universum Genus Humanum, inde Caro in sensu respectivo ad hominem, est proprium vivificatum a Proprio Domini, hoc est, Proprium Domini apud hominem, ita bonum amoris in Ipsum; de significatione Carnis in hoc sensu, videatur n: 3813. 7850; in sensu autem opposito est Caro proprium hominis, ita malum amoris sui, et inde illius amoris cupiditates, seu concupiscentiae, n: 999. 3813; quod Proprium hominis non sit nisi quam malum, videatur n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1023. 1044.

1047. 3812 fin: 5660. 5786. Quod Caro sit proprium hominis, ita malum omnis generis, constat adhuc ex his locis, apud Esaiam, „*Cibabo oppressores tuos Carne illorum*, et sicut musto sanguine eorum inebriabuntur," XLIX: 26, cibare carne pro opplere malo suo. Apud Jeremiam, „Maledictus vir qui confidit in homine, et *ponit Carnem brachium suum*, a Jehovah autem recedit cor ejus," XVII: 5, ponere Carnem brachium suum pro confidere propriae potentiae; inde *edere carnem brachii sui* pro confidere sibi, Esai: IX: 19. Apud Esaiam, „Aegyptus homo et non Deus, et *equi ejus caro non spiritus*," XXXI: 3; equi Aegypti pro scientificis ex intellectuali perverso, n: 6125, caro pro mortuo, spiritus pro vivo; inde filii Aegypti dicuntur „*magni carne*," Ezech: XVI: 26; Mortuum dicitur ex malo, nam ex malo mors spiritualis, et vivum dicitur ex bono, nam ex bono vita spiritualis: inde est quod Caro et Spiritus in Verbo sibi opponantur, ut apud Johannem, „*Quod natum est ex carne caro est*, et quod natum *a spiritu spiritus est*," III: 6: apud Eundem, „*Spiritus* est qui vivificat, *caro non prodest quicquam*, verba quae Ego loquor vobis, *spiritus sunt* et vita sunt," VI: 63; in Libro Geneseos, „Dixit Jehovah, non arguet *spiritus meus* hominem in perpetuum, *eo quod ille caro*," VI: 3, caro ibi pro proprio hominis; similiter apud Matthaeum, „Jesus dixit, beatus es Simon, fili Jona, quia *Caro* et *Sanguis* non revelavit, sed Pater meus qui est in coelis," XVI: 17: et apud Johannem, „Quotquot receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius, qui non e sanguinibus, *neque e voluntate carnis neque e voluntate viri*, sed ex Deo nati sunt," I: 12. 13, voluntas carnis pro proprio voluntario, voluntas viri pro proprio intellectuali, filii Dei pro regeneratis, et qui regenerantur, omnes vivificantur ex proprio Domini, quod est Caro et Corpus Domini, estque Ipsum Bonum Divinum. Quia Caro in opposito sensu est proprium hominis, ita malum, etiam est concupiscentia, nam vita carnis, quae corporis est propria, non est nisi quam voluptas sensuum, jucunditas appetituum, et concupiscentia; quod caro sit concupiscentia, constat ab his apud Moschen, „Colluvies, quae in medio populi, *concupiverunt concupiscentiam*, unde iterarunt et fleverunt filii Israëlis, et dixerunt, *quis cibabit nos carne*,

nunc anima nostra arida est, non quicquam nisi quod ad Man oculi nostri: et dixit Jehovah ad Moschen; ad populum dices, sanctificate vos in crastinum, ut *comedatis carnem;* flevistis enim in auribus Jehovae, dicendo, *quis cibabit nos carne,* quia melius nobis in Aegypto; *dabit Jehovah vobis carnem ad edendum;* ad mensem [8] dierum, usque dum exibit e naso vestro, et fuerit vobis fastidio. *Caro adhuc inter dentes illorum,* antequam deglutiretur, cum ira Jehovae exarsit in populum, et percussit Jehovah in populo plagam magnam valde; *unde vocavit nomen loci illius sepulchra concupiscentiae,* quia ibi sepeliverunt populum *concupiscentes,*» Num: XI: 4. 6. 18. 20. 33. 34. Ex his nunc patet, quid per sedere ad ollam carnis in terra Aegypti, significatur, quod nempe vita secundum libitum et sicut concupiverunt, ita vita proprii.

8410. In edendo nos panem ad satietatem, quod significet quod sic bono voluptatum fruerentur quantum vellent, constat ex significatione edere, quod sit appropriatio, de qua n: 3168. 3513 fin: 3596. 4745, et quoque fruitio, n: 7849; ex significatione panis, quod sit bonum vitae coelestis, et in opposito sensu bonum vitae naturalis separatae a coelesti, ita bonum voluptatum: per panem enim in sensu spirituali intelligitur primarium quod nutrit animam, ac spiritualem ejus vitam conservat, quod hoc sit bonum amoris, constat a vita coeli, quae unice ex illo bono consistit; at in opposito sensu per panem intelligitur primarium quod nutrit illos qui in inferno, ac illorum vitam sustentat, quod hoc sit malum amoris sui et mundi, constat a vita inferni, quae unice in illo consistit; id malum est illis bonum, nam nihil illis jucundius et dulcius; hoc intelligitur hic per bonum voluptatum; et ex significatione ad satietatem, quod sit quantum vellent, nam voluntas est quae satiatur bono apud bonos, et malo apud malos.

8411. Quia eduxistis [6] nos, quod significet quod postquam liberati, constat ex significatione educere, hic e terra Aegypti, quod sit liberare, nempe ab infestationum statu.

8412. Ad desertum hoc, quod significet statum tentationum, constat ex significatione deserti, quod sit status subeundi tentationes, de qua n: 8098.

8413. Ad occidendum omnem congregationem hanc fame,

quod significet quod ex defectu jucundi et boni exspirarent, constat ex significatione occidere, quod sit privare vita, hic quae ex jucundo et bono, nam vita hominis in illis consistit, de qua n: 3607. 6767; ex significatione congregationis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua n: 7843; et ex significatione famis, quod sit defectus boni, de qua n: 5893, hic boni voluptatum, quod per panem n: 8410 [9] significatur, cum enim id quod nutrit vitam spiritualem, seu vitam spiritus, aufertur, fit fames. Quomodo cum hoc se habet, paucis dicendum; cum bonum charitatis insinuandum est, quod vitam spiritualem facit, tunc removetur jucundum voluptatum, quod fecerat vitam naturalem; cum hoc jucundum removetur, tunc homo in tentationem venit; credit enim, si privatur jucundo voluptatum, quod deprivetur omni vita, nam vita ejus naturalis in illo jucundo aut bono, ut id vocat, constitit; sed nescit, quod cum removetur hoc vitae, loco ejus insinuetur a Domino jucundum et bonum spirituale; hoc bonum est quod per mannam significatur; prius bonum seu jucundum intelligitur per carnem et panem in terra Aegypti; ac privatio ejus per famem. At probe observandum, quod homo qui regeneratur non privetur jucundo voluptatum corporis et animi, hoc enim jucundo post regenerationem plene fruitur, et plenius quam prius, sed in inversa ratione; jucundum voluptatum ante regenerationem fuit omne vitae illius, at post regenerationem bonum charitatis fit omne vitae, et tunc jucundum voluptatum inservit pro medio et pro ultimo plano, in quo bonum spirituale cum suo felici et beato terminatur: cum itaque invertendus est ordo, tunc prius jucundum voluptatum exspirat, et fit nullum, et novum ex spirituali origine loco ejus insinuatur.

8414. Vers: 4. 5. *Et dixit Jehovah ad Moschen, ecce Ego pluere faciens vobis panem e coelo, et exibit populus, et colligent verbum diei in die suo, propterea ut tentem illum, num ambulat in Lege mea, si non. Et erit in die sexto, et praeparent quod adduxerunt, et erit duplum super quod colligent die die.* Et dixit Jehovah ad Moschen, significat consolationem a Domino: ecce Ego pluere faciens vobis panem e coelo, significat quod bonum coeleste influet: et exibit populus, signi-

ficat vitam inde: et colligent verbum diei in die suo, significat jugiter ad necessitatem: propterea ut tentem illum, significat quod inde in explorato erit: num ambulat in lege mea, si non, significat num vitam veri et boni possint vivere: et erit in die sexto, significat in fine cujusvis status: et praeparent quod adduxerunt, significat dispositionem bonorum appropriatorum: et erit duplum super quod colligent die die, significat quod conjungenda.

8415. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet consolationem a Domino, constat a sequentibus, sunt enim quae dixit Jehovah, consolationis post tentationem; quod post tentationes consolatio, videatur n: 8367. 8370.

8416. Ecce Ego pluere faciens vobis panem e coelo, quod significet quod bonum coeleste influet, constat ex significatione pluere, quod sit benedictio, de qua n: 2445; quod pluere sit benedictio, est quia pluvia descendit de coelo, et facit fertilitatem terrae, sicut Divinum bonum et verum e coelo apud hominem, et facit benedictionem; inde constare potest, quod pluere in proximo sensu significet influere, nam omne bonum a Divino influit; et ex significatione panis, quod sit bonum coeleste, de qua in sequentibus.

8417. Et exibit populus, quod significet vitam inde, constat ex significatione ire, quod sit vita, de qua n: 1293. 3335. 4882. 5493. 5605, [4] similiter hic exire, quod est ire ad colligendum mannam; de significatione ire, quod sit vita, videatur etiam n: 8420.

8418. Et colligent verbum diei in die suo, quod significet jugiter ad necessitatem, constat ex significatione colligere, quod sit recipere, nam cum pluere significat influxum, nempe boni a Divino, tunc colligere significat receptionem, quoniam sibi correspondent; ex significatione verbi, quod sit [10] res de qua dicitur, hic panis seu manna e coelo; et ex significatione diei in die suo, quod sit jugiter ad necessitatem; quod sit jugiter est quia quotidie accipiebant, quod quotidie sit jugiter, videatur n: 2838; et quod sit ad necessitatem, est quia colligerent quantum quotidie indigerent, et non plus, pro quolibet nempe omerem.

8419. Propterea ut tentem illum, quod significet quod in-

de in explorato erit, constat ex significatione tentare, quod hic sit explorare, nam sequitur num ambulat in lege mea, si non.

8420. Num ambulat in lege mea, si non, quod significet num vitam veri et boni possint vivere, constat ex significatione ambulare, quod sit vivere, de qua n: 519. 1794; et ex significatione Legis, quod sit Verbum, de qua n: 2606. 3382. 6752, et quia est Verbum, est Divinum Verum, n: 7463, [11] ita quoque doctrina boni et veri; inde per ambulare in Lege Jehovae est vitam veri et boni vivere secundum doctrinam. Quod ambulare in Lege, sit vivere secundum legem, cuivis notum est, quia in communi sermone ita dicitur, inde constare potest, quod ambulare sit vivere; et quoque quod in ipsa voce ambulare insit significatio sensus spiritualis, similiter ut in perpluribus aliis; hoc non aliunde venit, quam ex influxu spiritualis mundi in cogitationis ideas, et sic in voces, nam absque illo influxu, quis usquam pro vivere diceret ambulare, ut ambulare in lege, in statutis, in praeceptis, in timore Dei; consimiliter se habet cum ire quod sit vivere, de quo mox supra n: 8417, ut et cum proficisci, progredi, peregrinari; quod haec sint vivere, est quia in mundo spirituali non sunt spatia, sed loco illorum status vitae, n: 2625. 2684. [12] 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5605. [4] 7381.

8421. Et erit in die sexto, quod significet in fine cujusvis status, constat ex significatione diei, quod sit *status*, de qua n: 23. 487. 488. 493. 2788. 3462. 3785. 4850. 7680; et ex significatione *sexti, quod sit finis status*; quod dies sextus sit finis status est inde, quia dies septem seu septimana [13] significat integram periodum seu statum plenum, n: 2044. 3845. 6508, unde dies praecedens septimum seu sextus significat finem illius status; et dies sequens seu octavus principium ejusdem status, n: 2044. 8400.

8422. Et praeparent quod adduxerunt, quod significet dispositionem bonorum appropriatorum, constat ex significatione praeparare, cum dicitur de bonis appropriatis, quod sit dispositio; et ex significatione quod adduxerunt, cum intelligitur manna, per quam significatur bonum, quod sint bona quae appropriata; collectio mannae quovis die significat boni receptionem, et ejus esus appropriationem, inde praeparare quod ad-

duxerunt significat dispositionem bonorum appropriatorum; dispositio illa a Domino fit in cujusvis status fine, qui significatur per diem sextum; dispositionem illam sequitur conjunctio, quae significatur per diem septimum.

8423. Et erit duplum super quod colligent die die, quod significet quod conjungenda, constat a significatione esse duplum, quod sit conjungi; quod conjungi per duplum significetur, est quia duo sunt conjunctio, de qua n: 1686. 3519. 5194; et ex significatione colligere, quod sit recipere, ut supra n: 8418; et ex significatione die die, seu singulo die, quod sit jugiter, ut quoque supra n: 8418. Quod duo sint conjunctio, est quia duo sunt ad quae omnia se in universo referunt, nempe bonum et verum, seu quod idem, amor et fides, nam bonum est amoris et verum est fidei; inde quoque duo apud hominem sunt quae faciunt vitam illius, nempe voluntas et intellectus, voluntas apud hominem formata est ad recipiendum bonum seu amorem, et intellectus ad recipiendum verum seu fidem, conjunctio duorum illorum vocatur conjugium, nam duo illa conjuncta se similiter sicut conjuges habent, amant se mutuo, concipiunt et gignunt, proles inde vocatur fructus; ex his nunc patet, cur duo seu duplum significat conjunctionem, nam absque conjunctione duorum illorum nusquam aliquid nascitur seu producitur. Adjicere licet, quod ex his manifeste constare possit, quod fides absque amore seu charitate nullum fructum possit producere, sed quod fructus erit ab utroque conjuncto.

8424. Vers: 6. 7. 8. [14] *Et dixit Moscheh et Aharon ad omnes filios Israëlis; vesperi et cognoscetis quod Jehovah eduxerit vos e terra Aegypti. Et mane et videbitis gloriam Jehovae, in audire Ipsum murmurationes vestras contra Jehovam, et nos quid quod murmuretis contra nos. Et dixit Moscheh, in dare Jehovam vobis in vespera carnem ad edendum, et panem in matuta ad satiandum; in audire Jehovam murmurationes vestras, quibus vos murmurantes contra Ipsum; nos quid, non contra nos murmurationes vestrae, quod contra Jehovam.* Et dixit Moscheh et Aharon ad omnes filios Israëlis, significat informationem a Vero Divino: vesperi et cognoscetis quod Jehovah eduxerit vos e terra Aegypti, significat quod in fine prioris status revelatio quod liberati: et mane videbitis glo-

riam Jehovae, significat in principio status novi quod adventus *Domini*: in audire Ipsum murmurationes vestras, significat quod cessaturae querimoniae: contra Jehovam, et nos quid quod murmuretis contra nos, significat quod illae fuerint contra Divinum, non contra illos qui id repraesentabant: et dixit Moscheh, significat informationem: in dare Jehovam vobis in vespera carnem ad edendum, quod significet quod in fine status bonum appropriabitur per jucundum: et panem in matuta ad satiandum, significat quod in principio status novi habebitur bonum quantum recipere possunt: in audire Jehovam murmurationes vestras, significat quod sic cessaturae querimoniae: quibus vos murmurantes contra Ipsum, significat quod illae fuerint contra Divinum: nos quid, non contra nos murmurationes vestrae, significat quod non contra illos qui repraesentabant Divinum: *quod contra* Jehovam, significat ut sibi posthac caveant.

8425. Et dixit Moscheh et Aharon ad omnes filios Israëlis, quod significet informationem a Vero Divino, constat ex significatione dicere, cum de illis quae a Jehovah mandata sunt ad *illos qui* ab Ecclesia spirituali, quod sit informatio, de qua etiam *n*: 7769. 7793. 7825. 8041; ex repraesentatione Moschis et Aharonis, quod sint Verum Divinum, Moscheh internum et Aharon externum, de qua n: 7009. 7089. 7382; et ex repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223.

8426. Vesperi et *cognoscetis quod* Jehovah eduxerit vos e terra *Aegypti*, *quod significet* quod in fine prioris status revelatio quod liberati, constat a significatione vesperi, quod sit finis status prioris, de qua sequitur; ex [15] significatione cognoscere, quod sit revelari, nam quod Jehovah dat cognoscere, hoc dicitur revelatio; et ex significatione educere, quod sit liberare, ut prius saepe, hic ex infestationibus, quae per terram Aegypti significantur, n: 7278. Quod Vesperi sit finis status prioris, est quia status mutationes in altera vita se habent sicut tempora diei in mundo, nempe sicut Mane, Meridies, Vespera et Nox, seu diluculum, ac iterum mane: sciendum quod in mundo spirituali perpetuae mutationes status sint, et quod omnes qui ibi *illos* percurrant; causa est, ut jugiter perficiantur, nam abs-

que statuum mutationibus seu absque variis ordine sibi continuè succedentibus non perficiuntur qui ibi; statuum mutationes quae ordine sibi succedunt sicut tempora diei et tempora anni, nusquam prorsus eadem redeunt, sed variatae: principium cujusvis status correspondet mane in terra, et quoque in Verbo aliquoties intelligitur per mane; finis autem cujusvis status correspondet vesperae, et dicitur quoque aliquoties in Verbo vespera: cum mane est, tunc in amore sunt, cum meridies tunc in luce seu in vero sunt, cum autem vespera est, tunc in obscuro quoad vera, et in jucundo amoris naturalis sunt, hoc jucundum est quod significatur per selav, quod acceperunt in vespera, et bonum est quod significatur per mannam quam acceperunt quovis mane. Ex his constare potest, quid vespera significet, quod nempe finem status rei de qua agitur; inde quoque finem status Ecclesiae: sed videantur quae prius de significatione vesperae ostensa sunt; quod in altera vita sint vices statuum sicut in mundo vices temporum, n: 5672. 5962. 6110. Quod Vespera sit finis Ecclesiae prioris, et mane principium novae, n: 2323. 7844; inde quod Vespera et Mane sit adventus Domini, n: 7844. Quod in Coelo sit Vespera et diluculum ante mane, non autem nox, quae in inferno, n: 6110.

8427. Et mane videbitis gloriam Jehovae, quod significet in principio status novi quod adventus Domini, constat ex significatione mane, quod sit principium status novi, de qua nunc supra n: 8426; et ex significatione gloriae Jehovae, quod sit praesentia et adventus: quod gloria sit praesentia et adventus Domini, est quia Gloria in supremo sensu est Divinum Verum quod procedit a Domino, et Divinum Verum apparet coram oculis Angelorum ut lux et splendor a Sole qui est Dominus; quod Gloria sit Divinum Verum procedens a Domino, videatur n: 5922. 8267; et quod sit intelligentia et sapientia quae a Divino Vero, n: 4809; et quod inde sensus internus Verbi, nam ille est Divinum Verum in gloria, n: 5922. Dicitur quod mane visuri gloriam Jehovae, quia ortus solis et inde lux, quae in coelo visum angelicum et externum et internum illustrat, consequenter praesentia et adventus Domini, qui in Coelo est sol, correspondet tempori matutino in terra, et significatur hic per mane; lux illa ex sole tunc, quae est Divinum Verum proce-

dens a Domino, ita Dominus, est Gloria; ex his patet, quod per gloriam significetur praesentia et adventus Domini; quod haec sint gloria, etiam constat ex pluribus locis in Verbo, ut apud Moschen, „Obtexit nubes montem, et *habitavit Gloria Jehovae super monte Sinai;* et obtexit illum nubes sex dies: *species gloriae Jehovae* erat sicut ignis comedens in capite montis ante oculos filiorum Israëlis," Exod: XXIV: 15. 16. 17. 18; [16] patet, quod praesentia Jehovae, hoc est, Domini, apparens sicut nubes et sicut ignis super monte, hic dicatur gloria Jehovae. Apud Eundem, „Obtexit nubes Tentorium conventus, et *Gloria Jehovae* implevit tabernaculum, nec potuit Moscheh intrare in Tentorium Conventus, eo quod habitaret super eo nubes, *et Gloria Jehovae impleret tabernaculum,*" Exod: XL: 34. 35, *hic* quoque praesentia Domini apparens ut nubes dicitur Gloria. Apud Eundem, „Ingressus est Moscheh et Aharon in Tentorium Conventus, et exiverunt et benedixerunt populo, *tunc apparuit Gloria Jehovae erga universum populum,*" Levit: IX: 23. 24. Apud Eundem, „*Gloria Jehovae* apparuit in Tentorio Conventus coram omnibus filiis Israëlis," Num: XIV: 10. 11. 12. pariter Cap: XVI: 19. Cap: XVII: 7. In Libro I Regum, „Nubes implevit domum Jehovae, ita ut non potuerint sacerdotes stare ad ministrandum propter nubem, quia *implevit Gloria Jehovae domum Jehovae,*" VIII: 10. 11. Apud Johannem, „Impletum est Templum fumo, *ex* [15] *Gloria Dei et Virtute Ipsius,* ita ut nemo posset ingredi in Templum," Apoc: XV: 8. Apud Eundem, „Ostendit mihi Civitatem magnam, sanctam Hierosolymam descendentem a Coelo e Deo, *habentem Gloriam Dei:* Civitas non opus habet sole, neque luna, ut luceant in ea, *Gloria Dei illustrat illam,* et lucerna illius Agnus," Apoc: XXI: 10. 11. 23, [17] hic Gloria Dei manifeste pro luce a Domino, quae est Divinum Verum procedens ab Ipso, ita praesentia Domini, nam Dominus in Vero quod ab Ipso est praesens. Quod Gloria Jehovae sit praesentia Ipsius, adhuc constat apud Moschen, „Dixit Moscheh ad Jehovam, *ostende mihi quaeso gloriam tuam:* cui dixit, Ego praeterire faciam omne bonum coram te, et *cum praeteribit Gloria mea,* fiet ut ponam te in foramine petrae, et obtegam manum meam super te, usque dum praeterivero; ubi vero removero manum meam,

videbis posteriora mea, et facies meae non videbuntur," Exod: XXXIII: 18 ad fin: hic quoque Gloria Jehovae manifeste pro praesentia Ipsius. Apud Matthaeum, „Discipuli dixerunt ad Jesum, *dic nobis quodnam signum tui adventus;* dixit Jesus; Tunc apparebit signum Filii hominis, et *videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute et gloria,"* XXIV: 3. 30; agitur hic de ultimo tempore Ecclesiae prioris et primo novae, Filius hominis est Verum Divinum procedens a Domino; nubes coeli est Verbum in sensu literae, virtus et gloria est sensus internus, ita Divinum Verum quod tunc apparebit; adventus Domini pro agnitione Veri Divini ab illis qui ab Ecclesia nova, et pro negatione ab illis qui ab Ecclesia Veteri, videatur n: 4060 fin: Quod Dominus quoad Divinum Verum sit Gloria, constat apud Esaiam, „Vox clamantis in deserto, parate viam Jehovae; *revelabitur Gloria Jehovae,* et videbunt omnis caro simul," XL: 3. 5, ibi de Domino, Qui est Gloria. Apud Johannem, „Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et *vidimus Gloriam Ipsius, gloriam* ut Unigeniti a Patre, plenus gratia et veritate," I: 14. Apud Eundem, „Haec dixit Esaias, *quando vidit gloriam Ipsius,* et loquutus est de Ipso," XII: 41, hic gloria pro Domino. Similiter apud Moschen, „Vivus Ego, et *implebitur gloria Jehovae universa terra,"* Num: XIV: 21, hic gloria Jehovae pro adventu Domini, ac illustratione a Divino Vero quod ab Ipso. Gloria pro Divino Domini, apud Esaiam, „Ego Jehovah, hoc Nomen meum, *et gloriam meam alteri non dabo,"* XLII: 8. Apud Marcum, „*Quando Filius hominis venit in gloriam Patris sui,* cum Angelis sanctis," VIII: 38. Apud Lucam, „Haec oportebat pati Christum, et *ingredi in gloriam suam,"* XXIV: 26. Quia per Gloriam Jehovae significatur Dominus quoad Divinum Verum, ita quoque per Gloriam significatur Divina Sapientia et Intelligentia, quae est Divini Veri a Domino: sapientia et intelligentia a Divino intelligitur *per Gloriam* apud Ezechielem Cap: I: 28. Cap: VIII: 4. Cap: IX: 3. Cap: X: 4. 18. 19. Cap: XI: 22. 23, quae repraesentata est ibi per Iridem qualis in nube.

8428. In audire Ipsum murmurationes vestras, quod significet quod cessaturae querimoniae, constat ex significatione audire, cum de Jehovah, quod sit misereri et opem ferre, ita

quod querimoniae cessaturae; et ex significatione murmurationum, quod sint indolentiae ex tentationis acerbitate, et inde querimoniae, de qua n: 8351.

8429. Contra Jehovam, et nos quid quod murmuretis contra nos, quod significet quod illae fuerint contra Divinum, non contra illos qui id repraesentabant, constat ex eo quod Jehovah sit Divinum, hic Divinum Verum, quod Moscheh et Aharon repraesentabant; et ex significatione murmurare, quod sit querimonia, ut nunc supra n: 8428; et quia dicitur quod murmuraverint contra Jehovam, et non contra Moschen et Aharonem, significatur quod contra Divinum Verum, quod per Moschen et Aharonem repraesentatur, n: 8425, et non contra illos qui repraesentant; quare etiam dicitur in Versu sequente, *Nos quid*, non contra nos murmurationes vestrae; nam persona quae Divinum repraesentat, respective non est aliquid; praeterea qui murmurant contra personam, quae repraesentat, cum ex Divino loquitur, non contra personam, sed contra Divinum murmurant.

8430. Et dixit Moscheh, [18] significat informationem, ut supra n: 8425.

8431. In dare Jehovam vobis in vespera carnem ad edendum, quod significet quod in fine status bonum appropriabitur per jucundum, constat ex significatione vesperae, quod sit finis status, de qua supra n: 8426; ex significatione carnis, quod sit proprium vivificatum, seu proprium coeleste quod homini a Domino, ita bonum amoris, de qua n: 148. 149. 780. 3813. 7850. 8409 pr. hic autem bonum fidei, quia erat caro avis seu volatilis, quod vocatur Selav; per volatile enim significatur spirituale seu quod fidei est, inde per carnem ejus tale bonum, hic bonum naturalis hominis, seu jucundum: sciendum, quod per mannam significetur bonum interni seu spiritualis hominis, at per selav bonum externi seu naturalis hominis, quod vocatur jucundum: quod illa significentur, constat ex eo quod manna data sit tempore matutino, selav autem tempore vespertino, et per illud quod datum est tempore matutino, significatur bonum spirituale, et quod datum tempore vespertino, significatur bonum naturale seu jucundum; nam status mane in altera vita est cum bonum spirituale seu interni hominis in claro est, ac bonum naturale seu externi hominis in obscuro; at status vespe-

rae est cum bonum naturale seu externi hominis in claro est, ac bonum spirituale seu interni hominis in obscuro: succedunt etiam sic vices, ob causam ut perficiatur homo, imprimis ut approprietur ei bonum, quod fit in statu vesperae per jucundum.

8432. Et panem in matuta ad satiandum, quod significet quod in principio status novi habebitur bonum quantum recipere possunt, constat ex significatione panis, quod sit bonum amoris, de qua n: 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915. 8410, hic autem bonum veri, quod est bonum Ecclesiae spiritualis, quia per panem intelligitur manna, de qua in sequentibus; ex significatione matutae seu mane, quod sit principium status novi, ut supra n: 8427; et ex significatione ad satiandum, seu ad satietatem, quod sit quantum vellet, de qua supra n: 8410, hic quantum recipere possent, nam bonum quod influit a Domino non datur quantum volunt, sed quantum recipere possunt; malum autem licet quantum volunt.

8433. In audire Jehovam murmurationes vestras, quod significet quod sic cessaturae querimoniae, constat ex illis supra n: 8428, ubi similia verba.

8434. Quibus vos murmurantes contra Ipsum, quod significet quod illae fuerint contra Divinum; et nos quid, non contra nos murmurationes vestrae, quod significet quod non contra illos qui repraesentabant Divinum, constat etiam ex illis supra n: 8429, ubi similia.

8435. Quod contra Jehovam, quod significet ut sibi posthac caveant, constat ex eo quod iterum dicatur, quod murmurationes illorum sint contra Jehovam, hoc est, contra Divinum, inde est, quod per ea verba nunc intelligatur, quod sibi posthac a talibus querimoniis in tentationibus caveant.

8436. Vers: 9. 10. 11. 12. *Et dixit Moscheh ad Aharonem, dic ad omnem coetum filiorum Israëlis, appropinquate coram Jehovah, quia audivit murmurationes vestras. Et fuit ut loqui Aharon ad omnem coetum filiorum Israëlis, et respexerunt ad desertum, et ecce gloria Jehovae visa in nube. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo. Audivi murmurationes filiorum Israëlis, loquere ad illos, dicendo, inter vesperas comedetis carnem, et in matuta satiabimini pane, et cognoscetis quod Ego Jehovah Deus vester.* Et dixit Moscheh ad

Aharonem, significat influxum Veri Divini immediate a Domino procedentis per Verum Divinum quod mediate: dic ad omnem coetum filiorum Israëlis, significat instructionem: appropinquate coram Jehovah, significat statum receptionis et applicationem ad illum: quia audivit murmurationes vestras, significat propter indolentiam in tentatione ut opem ferat: et fuit, ut loqui Aharon ad omnem coetum Israëlis, significat instructionem a Divino per influxum: et respexerunt ad desertum, significat recordationem status tentationis in quo fuerunt: et ecce gloria Jehovae visa in nube, significat praesentiam Domini in vero accommodato ad apperceptionem: et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo, significat Verum quod a Divino Domini procedit, in quo praesentia Domini: audivi murmurationes filiorum Israëlis, significat quod cessaturae querimoniae quae ex tentatione: loquere ad illos, dicendo, significat informationem per influxum: inter vesperas comedetis carnem, significat in fine status appropriabitur bonum per jucundum: et in matuta satiabimini pane, significat quod in principio status novi habebitur bonum quantum recipere possent: et cognoscetis quod Ego Jehovah [Deus vester], significat ut sciant quod Dominus solus Deus.

8437. Et dixit Moscheh ad Aharonem, quod significet influxum Veri Divini immediate a Domino procedentis per Verum Divinum quod mediate, constat ex significatione *dicere*, cum a Vero Divino quod immediate a *Domino procedit*, quod repraesentatur *per Moschen*, per Verum Divinum quod mediate et per Aharonem repraesentatur, quod sit influxus, quod dicere etiam sit influere, videatur n: 5743. 6152. 6291. 7291. 7381. 8221. [19] 8262, et quod Moscheh sit Verum quod immediate a Domino procedit, et Aharon quod mediate, n: 7009. 7010. 7089. 7382. Quid Verum immediate a Domino procedens, et quid Verum mediate, n: 7055. 7056. 7058.

8438. Dic ad omnem coetum filiorum Israëlis, quod significet instructionem, constat ex significatione dicere, cum a Vero Divino ad illos qui ab Ecclesia de faciendis ex Divino mandato, quod sit instructio, ut quoque n: 7186. 7267. 7304. 7380. 7517. 8127; et ex significatione coetus filiorum Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua n: 7843.

8439. Appropinquate coram Jehovah, quod significet statum receptionis et applicationem ad illum, constat ex significatione appropinquare coram Jehovah, quod sit influxus, de qua n: 8159, et inde quoque receptio, nam receptio est reciprocum influxus, correspondent enim sibi mutuo: quantum homo recipit influxum Divinum, tantum dicitur appropinquare coram Ipso, appropinquatio coram Jehovah in spirituali sensu non aliud est, nam fit appropinquatio ad Ipsum per fidem et amorem, et quia et fides et amor est a Jehovah, hoc est, Domino, est etiam appropinquatio ad Ipsum receptio boni et veri ab Ipso influentis: quod etiam sit applicatio, est quia receptio non est aliquid, nisi etiam sit applicatio, nempe ad usum; trahsit enim influxus a Divino primum in perceptionem, quae est intellectus apud hominem, inde in voluntatem, et dein in actum, hoc est, in bonum opus, quod est usus, et ibi desinit; cum influxus boni et veri a Domino transitum hunc facit, tunc bonum et verum appropriantur homini, nam tunc influxus vadit usque in ultimum ordinis, hoc est, in ultimum naturae, quo tendit omnis influxus Divinus; ille homo, apud quem influxus Divinus ita vadit, vocari potest via coeli: ex his nunc constare potest, quod per appropinquare coram Jehovah significetur status receptionis et applicatio ad illum; hic status receptionis boni quod per mannam significatur, et jucundi quod per selav.

8440. Quia audivit murmurationes vestras, quod significet propter indolentiam in tentatione, ut opem ferat, constat ex significatione audire, cum de Jehovah, quod sit misereri et opem ferre, inde quoque cessare facere, de qua supra n: 8428; et ex significatione murmurationum, quod sint indolentia in tentatione et querimonia, de qua n: 8351. 8428. 8433.

8441. Et fuit, ut loqui Aharon ad omnem coetum Israëlis, quod significet instructionem a Divino per influxum, constat ex significatione loqui, cum a Divino per Verum mediate a Domino procedens, quod repraesentatur per Aharonem, quod sit instructio per influxum, nam Divinus influxus apud hominem est in Verum quo instructus est; quod loqui sit influxus, videatur n: 2951. 5481. 5797. 7270. 8128; et quod sit instructio, n: 7226. 7241; et ex repraesentatione Aharonis, quod sit Verum mediate a Domino procedens, de qua n: 7009. 7382.

8442. Et respexerunt ad desertum, quod significet recordationem status tentationis in quo fuerunt, constat ex significatione respicere ad aliquid, quod sit cogitatio et reflexio, de qua n: 7341, inde quoque recordatio, nam qui cogitat et reflectit, is recordatur; et ex significatione deserti, quod sit status subeundi tentationes, de qua n: 6828. 8098.

8443. Et ecce gloria Jehovae visa in nube, quod significet praesentiam Domini in Vero accommodato ad apperceptionem, constat ex significatione Gloriae Jehovae, quod sit praesentia et adventus Domini, de qua supra n: 8427; et ex significatione nubis, quod sit sensus literalis Verbi, de qua Praefat: ad Cap: XVIII: Genes: et n: 4391. 5922. 6343 fin: 6752. 8106, ita Verum accommodatum ad apperceptionem, nam Verbum in litera est tale Verum; at Gloria quae in nube, est Divinum Verum quod non ita accommodatum est ad apperceptionem, quia est supra sensuum fallacias et apparentias, ita est quoque sensus internus Verbi, Praefat: ad Cap: XVIII: Genes: n: 5922. 8427; quod Gloria sit sensus internus Verbi, est quia in illo sensu agitur de Ecclesia et de Regno Domini, et in supremo sensu de Ipso Domino, in quo sensu etiam est Ipsissimum Divinum Verum. Verum Divinum non est unius gradus, sed plurium; Verum Divinum in primo gradu et quoque in secundo, est quod immediate procedit a Domino, hoc supra intellectum angelicum est; Verum autem Divinum in tertio gradu, est quale est in intimo seu tertio coelo, hoc tale est, ut ne hilum ejus ab homine capi possit; Verum Divinum in quarto gradu est quale est in medio seu secundo coelo, hoc nec intelligibile est homini; Verum autem Divinum in quinto gradu, est quale est in ultimo seu primo coelo; hoc aliquantisper ab homine sed illustrato, percipi potest, at usque est tale, ut multa ejus pars per voces humanas enuntiari nequeat, et cum cadit in ideas, facit facultatem percipiendi, et quoque credendi quod ita sit; at Verum Divinum in sexto gradu, est quale est apud hominem, accommodatum ejus apperceptioni, ita est sensus literae Verbi; hic sensus seu hoc verum repraesentatur per nubem, et interiora vera per gloriam in nube; inde est, quod Jehovah, hoc est, Dominus toties apparuerit Moschi et filiis Israëlis in nube, ut Exod: XXIV: 15. 16. [16] Cap: XL: 34. 35. I Reg: VIII: 10. 11.

Matth: XXIV: 30, et alibi; apparitio Domini est per Divinum Verum, et quoque est Divinum Verum. Quod nubes sit Verum accommodatum apperceptioni, est ex repraesentativis in altera vita, ibi loquela angelica superiorum coelorum, apparet illis qui infra sunt, sicut lux, et quoque sicut splendor e luce; at loquela angelorum inferioris coeli apparet sicut nubes candida, in varia forma, et in densitate et tenuitate secundum quale veritatum: ex his constare potest, quod per gloriam Jehovae visam in nube, significetur praesentia Domini in Vero accommodato ad apperceptionem.

8444. Et loquutus Jehovah ad Moschen, dicendo, quod significet Verum quod a Divino Domini procedit, in quo praesentia Domini, constat ex significatione loqui, quod sit influxus et instructio, ut supra n: 8441; ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum quod a Divino Domini procedit, de qua n: 6752. 6771. 6827. 7014. 7040. 7089. 7382: praesentia Domini in Vero a Divino significatur per quod Jehovah cum Moscheh loquutus sit e nube, ubi visa [20] gloria Jehovae, nam gloria Jehovae est praesentia Domini in Vero quod ab Ipso procedit, n: 8427.

8445. Audivi murmurationes filiorum Israëlis, quod significet quod cessaturae querimoniae quae ex tentatione, ut supra n: 8428. 8433, ubi similia verba.

8446. Loquere ad illos dicendo, quod significet informationem per influxum, constat ex significatione loqui in historicis Verbi, quod sit informatio, ut n: 8041; et dicere, quod sit influxus, n: 6291. [21] 7291. 7381. 8221. 8262.

8447. Inter vesperas comedetis carnem, quod significet quod in fine status appropriabitur [bonum per] jucundum, videatur supra n: 8431, ubi similia verba.

8448. Et in matuta satiabimini pane, quod significet quod in principio status novi habebitur bonum quantum recipere possent, ut etiam supra n: 8432.

8449. Et cognoscetis quod Ego Jehovah [Deus vester], quod significet ut sciant quod Dominus solus Deus, constat ex illis quae prius n: 7401. 7444. 7544. 7598. 7636, dicta et ostensa sunt.

8450. Vers: 13. 14. 15. *Et factum in Vespera, et ascendit selav, et obtexit castra; et in matuta fuit positio roris cir-*

cum castra. Et desiit positio roris, et ecce super facies deserti minutum rotundum, minutum sicut pruina super terra. Et viderunt filii Israëlis, et dixerunt vir ad fratrem suum, Man hoc, quia non sciverunt quid hoc: et dixit Moscheh ad illos, hoc panis, quem dedit Jehovah vobis ad edendum. Et factum in vespera, significat finem status: et ascendit selav, significat jucundum naturale per quod bonum: et obtexit castra, significat quod impleverit hominis naturale: et in matuta, significat principium status novi: fuit positio roris circum castra, significat verum pacis adjungens se: et ascendit positio roris, significat veri insinuationem: et ecce super facies deserti, significat novum voluntarium: minutum rotundum, significat bonum veri in prima formatione: minutum sicut pruina super terra, significat verum in forma boni consistens et fluens: et viderunt filii Israëlis, significat apperceptionem: et dixerunt vir ad fratrem suum, significat obstupescentiam: man [22] hoc, quia non sciverunt quid hoc, significat ex non cognito: et dixit Moscheh ad illos, significat informationem per verum a Divino: hoc panis, quem dedit Jehovah vobis ad edendum, significat quod hoc bonum quod appropriabitur et faciet vitam illorum, in supremo sensu quod hoc Dominus in vobis.

8451. Et factum in vespera, quod significet finem status, constat ex significatione vesperae, quod sit finis status, de qua supra n: 8426.

8452. Et ascendit selav, quod significet jucundum naturale per quod bonum, constat ex significatione selav, quod sit jucundum naturale: quod selav sit jucundum naturale, est quia avis maris erat, et per avem maris significatur naturale, perque carnem ejus, quae desiderabatur, jucundum, de qua supra n: 8431; quod quoque sit per quod bonum, est quia dabatur in vespera; cum enim in altera vita est status qui correspondet vesperae, tunc spiritus boni, et quoque angeli, remittuntur in statum affectionum naturalium, in quibus fuerunt cum in mundo, consequenter in jucunda naturalis sui hominis; causa est, ut inde bonum, hoc est, ut inde perficiantur, n: 8426; omnes perficiuntur per implantationem fidei et charitatis in externo seu naturali homine, nam nisi illa ibi implantantur, non influere potest bonum et verum ab interno seu spirituali homine, hoc est, a Do-

mino per illum, non enim est receptio; et si non receptio, sistitur et perit influxus, imo internus homo etiam clauditur; inde patet, quod naturale omnino accommodandum sit, ut sit receptaculum: hoc fit per jucunda, nam bona, quae naturalis hominis sunt, vocantur jucunda, quia sentiuntur. Quod selav sit jucundum naturale, est causa, ut dictum, quia avis maris erat, nam dicitur quod abreptus sit e mari, „Ventus profectus est a Jehovah, et *abripuit selav e mari*, et demisit super castra," Num: XI: 31, atque per avem maris et ejus carnem significatur jucundum naturale, ac in opposito sensu jucundum concupiscentiae; hoc significat selav in sequentibus apud Moschen, „Colluvies quae in medio populi *concupiverunt concupiscentiam*, et volebant habere *carnem*, dicebant, nunc anima nostra arida est, nec quicquam nisi quod ad man oculi nostri: ventus profectus est a cum Jehovah, et *abripuit selav e mari*, et demisit super castra: surrexit populus toto die illo, et tota nocte, totoque die crastino, ac collegerunt selav; qui minimum, collegerunt decem chomeres, quos sibi expanderunt expandendo circa castra: caro adhuc inter dentes eorum antequam deglutiretur, cum ira Jehovae exarsit in populum, et percussit Jehovah in populo plagam magnam valde; unde vocavit nomen loci illius *sepulchra concupiscentiae*, quia ibi sepeliverunt populum *concupiscentes*," Num: XI: 5. 6. 31. 32. 33. 34; hic selav pro jucundo concupiscentiae. Jucundum concupiscentiae vocatur, cum jucundum alicujus amoris corporei aut mundani dominatur, ac totum hominem occupat, usque ut exstinguat bonum et verum fidei apud illum; hoc jucundum est quod describitur, propter quod percussi sunt plaga magna: at jucundum naturale, quod in hoc Capite significatur per selav, quod datum populo in Vespera, non est jucundum concupiscentiae, sed est jucundum naturalis seu externi hominis correspondens bono spiritualis seu interni; hoc jucundum in se habet bonum spirituale, at jucundum concupiscentiae, de quo Num: XI, in se habet malum infernale; utrumque dicitur jucundum, et quoque utrumque sentitur ut [23] jucundum, sed maxima intercedit differentia, unum enim in se habet coelum, alterum in se habet infernum, etiam unum fit homini coelum, et alterum fit homini infernum, cum externum exuitur: haec se habent sicut binae mulieres, quae similiter facie

pulchrae et vita amoenae apparent in externa forma, sed prorsus dissimiles sunt in interna, una nempe casta [24] et sana, altera lasciva et putida, ita una quoad spiritum suum angelis, altera quoad spiritum suum diabolis; quales autem sunt, non apparet nisi cum externum evolvitur, ac internum revelatur: haec dicta sunt, ut sciatur quid jucundum naturale in quo bonum, quod significatur per selav in hoc Capite, et quid jucundum naturale in quo malum, quod significatur per selav Num: Cap: XI.

8453. Et obtexit castra, quod significet quod impleverit hominis naturale, constat ex significatione obtegere, quod sit implere; et ex significatione castrorum, quod sint bona et vera, de qua n: 8193. 8196, hic naturale, quod est continens, nam naturale continet bona et vera, et absque illis non est naturale vivum, nec bonum et verum externi seu naturalis hominis absque naturali sunt aliquid: inde est, quod castra, quia significant vera et bona, etiam significent naturale [25] in quo illa sunt.

8454. Et in matuta, quod significet principium status novi, constat ex significatione matutae, quod sit principium status novi, de qua n: 8427.

8455. Fuit positio roris circum castra, quod significet verum pacis adjungens se, constat ex significatione roris, quod sit verum pacis, de qua n: 3579; causa quod ros sit verum pacis, est quia mane descendit de coelo, et apparet super vireta [26] sicut tenue imbris, et quoque prae imbre recondit aliquid dulcis seu jucundi, unde gramen et seges agri laetantur, et mane est status pacis, n: 2780: quid pax, videatur n: 2780. 3696. 4681. 5662, quod nempe se habeat sicut aurora in terra, quae animos universali jucundo laetificat; et verum pacis est sicut lux aurorae: hoc Verum, quod vocatur Verum pacis, est ipsum Divinum Verum in Coelo a Domino, ac afficit universaliter omnes qui ibi, et facit ut coelum sit coelum; pax enim in se habet confidentiam in Dominum, quod Ipse regat omnia, ac provideat omnia, et quod ad finem bonum ducat; cum homo in fide horum est, tunc in pace est, nam tunc nihil timet, et nulla sollicitudo de futuris illum inquietum reddit; in hunc [27] statum venit homo quantum in amorem in Dominum: statum pacis aufert omne malum, imprimis confidentia sui: creditur quod malus in pace sit, cum in laeto et tranquillo ex eo quod omnia ei succe-

dant; sed hoc non est pax, est jucundum et tranquillum cupiditatum, quod mentitur statum pacis; at id jucundum, quia oppositum est jucundo pacis, vertitur in altera vita in injucundum, tale enim latet intus in illo; in altera vita exteriora successive evolvuntur usque ad intima, pax est intimum in omni jucundo, etiam in injucundo apud hominem qui in bono est; quantum itaque is exuit externum, tantum revelatur status pacis, et tantum afficitur fausto, beato et felici, cujus origo est ab Ipso Domino. De statu pacis, qui in coelo, dici potest quod sit talis, ut nullis verbis describi queat, nec per ullam ideam ex mundo venire in cogitationem et perceptionem hominis, quamdiu est in mundo; est super omnem sensum tunc; tranquillum animi, contentum, et laetum ex successibus, nihil sunt respective; nam haec afficiunt modo externa, at pax afficit omnium intima, primas substantias, et substantiarum principia apud hominem, et inde se derivat et effundit in substantiata et principiata, ac ea afficit amoeno, et idearum origines, proinde fines vitae hominis fausto et felici; et sic mentem hominis facit coelum.

8456. Et ascendit positio roris, quod significet veri insinuationem, constat ex significatione ascendere, quod hic sit dissipari et sic ad conspectum non apparere; et ex significatione roris, quod sit verum pacis, de qua mox supra; positio hujus super mannam significat insinuationem veri, nam verum pacis est Divinum Verum a Domino procedens in coelo, hoc quia intimum est, se insinuat in verum quod infra est, et vivificat illud, sicut ros solet gramen aut segetem super quam mane cadit; cum verum quod infra est ab illo vivificatum est, tunc verum pacis ascendit, hoc est, quoad apparentiam desinit, et conspicitur verum quod ab illo vitam acceperat; ita nascitur verum fidei; nam omne verum doctrinae seu Verbi non fit verum apud hominem, priusquam a Divino acceperat vitam, et vitam accipit per insinuationem veri quod a Domino procedit, quod vocatur verum pacis; hoc verum non est verum fidei, sed est vita seu anima veri fidei, et disponit omnia quae in Vero, quod verum fidei vocatur, in formam coelestem, et quoque postea ipsa vera inter se: ex his constare potest, quomodo se habet cum insinuatione veri apud hominem per verum pacis. Sciendum etiam est, quod inferiora seu exteriora apud hominem, qui regeneratur,

vitam accipiant a superioribus seu interioribus successive, ita verum fidei a vero pacis, et hoc ab Ipso Domino; insinuatio vitae a Domino apud illos qui regenerantur fit in ordine successivo ab Ipso, ita per intimum, et sic per interiora ad exteriora; inde apud regeneratos apertum est usque a Domino, at apud illos, qui non regenerati sunt, est clausum.

8457. Et ecce super facies deserti, quod significet novum voluntarium, constat ex significatione deserti, quod hic sit novum voluntarium per insinuationem veri; novum enim voluntarium formatur a bono per verum apud hominem Ecclesiae spiritualis, et apparet apud illum sicut conscientia, quae quod sit conscientia veri, constat ex illis quae de regeneratione hominis spiritualis prius ostensa sunt. Desertum proprie significat inexcultum et inhabitatum, in spirituali sensu significat ubi non bonum et verum, ita quoque ubi non vita, n: 1927. 2708. 3900; quare cum dicitur quod ros apparuerit super facie deserti, et sub rore manna, per desertum significatur novum voluntarium.

8458. Minutum rotundum, quod significet bonum veri in prima formatione, constat ex significatione minuti, quod praedicetur de vero; et ex significatione rotundi, quod praedicetur de bono; inde minutum rotundum praedicatur de bono veri. Bonum Veri dicitur bonum apud hominem Ecclesiae spiritualis, estque non modo quoad originem sed etiam quoad essentiam Verum; ut verum apparet, ast ut bonum sentitur, proinde ut verum format intellectuale mentis, ac ut bonum format novum voluntarium; distinguitur enim Intellectuale a Voluntario in homine per id, quod Intellectuale sistat sibi res in forma, et ut videat illas sicut in luce, Voluntarium autem afficiatur illis, ut sentiat illas simul sicut jucundum, ita sicut bonum, et hoc secundum quale formae. Quod minutum praedicetur de vero, et rotundum de bono, causam ex apparitionibus veri et boni in altera vita trahit; cum vera et bona sistuntur visibilia, quod fit in altera vita manifeste ad oculos spirituum et angelorum, tunc verum sistitur in quantitate discreta, proinde sicut multum, aut sicut minutum, secundum veri quale; sistitur etiam Verum ut angulare in varia forma; et quoque sistitur ut album; bonum autem ibi sistitur in quantitate continua, sic non ut multum

nec ut minutum; sistitur bonum etiam ut rotundum, quod est continuum in forma; et quoad colorem ut caeruleum, flavum ac rubrum: quod ita appareant bonum et verum, cum sistuntur visibilia, est ex differentia illorum quoad quale, quod ita in forma naturali se effert et repraesentat, cum visibile fit: inde est, quod res quae in mundo accedunt ad tales formas, significent vel vera vel bona; nam nihil in universo datur, quod non se refert quoad quale vel ad bonum vel ad verum.

8459. Minutum sicut pruina super terra, quod significet verum in forma boni consistens et fluens, constat ex significatione minuti, quod praedicetur de vero, de qua mox supra; et ex significatione sicut pruina, quod sit in forma boni: bonum veri, quod est bonum hominis Ecclesiae spiritualis, n: 8458, comparatur pruinae ex continuo respective ad nivem; nix ex minuto et albo praedicatur de vero, at pruina ex continuo praedicatur de Vero facto bono, quod est bonum veri. Quod nix praedicetur de Vero, patet ab his locis; apud Marcum, „Cum Jesus transformatus est, vestimenta Ipsius facta sunt splendentia, *alba valde sicut nix*," IX: 3. Apud Matthaeum, „Angelis ad sepulchrum erat species sicut fulgur, et *indumentum album sicut nix*," XXVIII: 2. 3. Apud Johannem, „Vidi in medio septem candelabrorum similem Filio hominis, Caput Ipsius, et *capilli albi sicut lana alba, sicut nix*," Apoc: I: 13. 14. Apud Jeremiam, „*Albi erant naziraei prae nive*, candidi erant prae lacte," Thren: IV: 7. Apud Davidem, „Expiabis me hyssopo et mundus fiam, lavabis me *et prae* nive dealbabor," Psalm: LI: 9. Apud Danielem, „Videns fui usque dum throni projecti sunt, et Antiquus dierum sedit, *Vestis Ejus sicut nix alba*, et crinis capitis Ejus sicut lana munda," VII: 9; in his locis nix praedicatur de Vero ex albedine, cui vestes comparantur, quia Vestes in sensu spirituali sunt vera, n: 4545. 4763. 5248. 5319. 5954. 6914. 6917. 6918; ex his patet, quid pruina, quod sit verum in forma boni. Verum in forma boni consistens et fluens dicitur, quia Verum est forma boni, et bonum est illius formae vita et [26] quasi anima.

8460. Et viderunt filii Israëlis, quod significet apperceptionem, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et

appercipere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 4408 ad 4421. 4567.

8461. Et dixerunt vir ad fratrem suum, quod significet obstupescentiam, constat ex eo quod dicere involvat illud quod sequitur, hic quod obstupescerent cum viderent mannam, dixerunt enim, *Man hoc, quia non sciverunt quid hoc;* et ex significatione vir ad fratrem, quod sit mutuo, de qua n: 4725.

8462. Man hoc, quia non sciverunt quid hoc, quod significet ex [29] non cognito, nempe obstupescentiam, constat ex eo quod *Man* in sua Lingua sit *quid*, ita non cognitum: quod inde panis, qui datus est filiis Israëlis in deserto, manna dictus sit, est quia panis ille significat bonum charitatis quod gignitur per verum fidei; id bonum est prorsus incognitum homini ante regenerationem, et ne quidem scitur quod detur; homo enim ante regenerationem credit, quod praeter jucunda amoris sui et mundi, quae vocat bona, nusquam dari queat bonum, quod non inde sit, aut tale sit; si quis diceret tunc, quod bonum interius sit, quod quamdiu jucunda amoris sui et mundi dominantur, non ad apperceptionem venire potest, consequenter non ad cognitionem, et quod hoc bonum sit in quo sunt spiritus boni et angeli, tunc obstupescunt sicut ad prorsus incognitum, et sicut ad non dabile; cum tamen hoc bonum immensum transcendit jucunda amoris sui et mundi: quod qui in amoribus sui et mundi sunt, non sciant quid charitas et fides, et quid bonum facere absque remuneratione, et quod hoc sit coelum in homine; et quod credant nihil gaudii et vitae superesse, si privantur jucundis illorum amorum, cum tamen tunc gaudium coeleste inchoat, videatur n: 8037: ex his nunc patet, cur [30] man dictum sit ex quid hoc.

8463. Et dixit Moscheh ad illos, quod significet informationem per Verum a Divino, constat ex significatione dicere, quod sit informatio, ut n: 7769. 7793. 7825. 8041; et ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum quod Legis a Divino, de qua n: 6771. 6827.

8464. Hic panis quem dedit Jehovah vobis ad edendum, quod significet quod hoc bonum quod appropriabitur et faciet vitam illorum, in supremo sensu quod hoc sit Dominus in vobis, constat ex significatione panis, quod sit bonum coeleste et spiri-

tuale, et in supremo sensu quod sit Dominus, de qua n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915, hic bonum spirituale, hoc est, bonum hominis Ecclesiae spiritualis, quod est bonum veri, de quo mox supra n: 8458; quia panis ille erat manna, sequitur quod per mannam significetur id bonum; quod etiam elucet ex descriptione ejus Vers: 31 hujus Capitis „quod esset sicut semen coriandri album, et sapor ejus sicut placentae in melle"; et quoque ex descriptione ejus Num: XI, „Man erat sicut semen coriandri, et species ejus sicut species bdellii: moluerunt molis, aut contuderunt in mortario, et coxerunt in cacabo, et fecerunt ex eo placentas; sapor ejus erat sicut sapor succi olei," Vers: 7. 8: ex singulis ibi patet, quod manna in sensu spirituali sit bonum veri, hoc est, bonum Ecclesiae spiritualis: inde etiam vocatur frumentum coelorum apud Davidem, „Praecepit aetheribus desuper, et ostia coelorum patefecit, et *depluere fecit super illos man*, et *frumentum coelorum* dedit illis," Psalm: LXXVIII: 24, frumentum quod sit bonum veri, videatur n: 5295. 5410: manna etiam pro bono veri, quod datur illis qui tentationes subeunt et vincunt, apud Johannem, „Qui vincit, *illi dabo ut comedat de manna abscondito*, et dabo illi calculum album," Apoc: II: 17. Quod Manna in supremo sensu sit Dominus in nobis, constat ex ipsis Domini verbis apud Johannem, „Patres vestri *comederunt mannam* in deserto, et mortui sunt: hic est *panis qui e coelo descendit*, ut quis ex eo comedat, non moriatur: *Ego sum panis vivus qui e coelo descendit;* si quis comedit ex hoc pane, vivet in aeternum," VI: 49. 50. 51. 58; ex his manifeste patet, quod per mannam in supremo sensu significetur Dominus: causa est, quia manna est bonum veri, et omne bonum est a Domino, et inde Dominus est in bono, estque ipsum bonum. Quod bonum illud iis appropriabitur, et faciet vitam illorum, significatur per edere, n: 3168. 3513. 3596. 4745; bonum enim quod a Domino, facit vitam coeli apud hominem, ac deinceps nutrit ac sustentat illam.

8465. Vers: 16. 17. 18. *Hoc verbum quod praecepit Jehovah, colligite de eo quisque ad os edere sui, omerem ad caput, numerum animarum, quisque ei qui in tentorio suo acci-*

pite. Et fecerunt ita filii Israëlis, et collegerunt redigens ad numerosum et ad paucum. Et mensi sunt omere, et non superfluum fecit numeroso, et pauco non defuit, quisque ad os edere sui collegerunt. Hoc verbum quod praecepit Jehovah, significat mandatum de illo a Divino: colligite de eo quisque ad os edere sui, significat receptionem et appropriationem secundum cujusvis facultatem: omerem ad caput, significat quantum cuivis: numerum animarum vestrarum, significat quantum omnibus in societate: quisque ei qui in tentorio suo accipite, significat communicationem cum illis, et inde bonum commune: et fecerunt ita filii Israëlis, significat effectum: et collegerunt redigens ad numerosum et ad paucum, significat receptionem secundum potentiam cujusvis societatis: et mensi sunt omere, significat receptionis boni potentiam: et non superfluum fecit numeroso, et pauco non defuit, significat quod justa esset ratio cuique in particulari et communi: quisque ad os edere sui collegerunt, significat receptionem secundum cujusvis facultatem.

8466. Hoc verbum quod praecepit Jehovah, quod significet mandatum de illo ex Divino, constat ex significatione verbi, quod sit res de qua agitur; et ex significatione praecipere, cum a Jehovah, quod sit mandatum.

8467. Colligite de eo quisque ad os edere sui, quod significet receptionem et appropriationem secundum cujusvis facultatem, constat ex significatione colligere, cum dicitur de bono veri quod significatur per mannam, quod sit recipere; et ex significatione quisque ad os edere sui, quod sit appropriatio secundum cujusvis facultatem; ad os edere enim, cum de cibo agitur, est secundum necessitatem requisitam nutritionis, at cum de bono veri dicitur, est secundum facultatem receptionis et appropriationis, nam per edere in sensu spirituali significatur appropriari, n: 3168. 3513 fin: 3596. 4745.

8468. Omerem ad caput, quod significet quantum cuivis, constat ex significatione omeris, quod sit quantum satis, de qua sequitur, et ex significatione ad caput, quod sit pro quovis. Quod Omer sit quantum satis, est quia erat decima pars ephae, ut patet a Versu ultimo hujus Capitis, ac decem significant plenum, n: 3107, inde decima pars significat quantum satis, hic cuique, quod est ad caput: Omer nominatur solum in hoc Capi-

te, alibi Chomer, qui erat mensura continens decem ephas, ac inde significabat plenum; ut apud Hoscheam, „Comparavi mulierem adulteram per quindecim argenti, et *Chomerem hordeorum*, et *semichomerem* hordeorum," III: 2; ibi per mulierem adulteram intelligitur domus Israëlis, in sensu spirituali Ecclesia ibi, quae quod comparata sit pleno pretio significatur per quindecim argenti, et per chomerem hordeorum; quindecim argenti praedicantur de vero, et chomer hordeorum de bono. Apud Ezechielem, „Lances justitiae, et epha justitiae, et bath justitiae, erit vobis: ephae et bathi mensura una erit, *ad tollendas decimas chomeris batho*, et *decimo chomeris epha:* juxta chomerem erit mensura tua: haec sublatio quam tolletis, *sexta ephae de chomere tritici*, de hordeis: et statutum olei bathus pro oleo, decima bathi de coro, *decem bathi Chomer*, nam *decem bathi Chomer*," XLV: 10. 11. 13. 14, [31] ibi agitur de nova terra et de novo templo, per quae significatur Regnum spirituale Domini; quisque videre potest, quod ibi non erunt Chomer, nec epha, nec bathus, nec corus, et quoque non triticum, [32] hordeum, oleum; inde constat, quod per illa significentur talia quae in dicto Regno, quae quod sint spiritualia patet, ita quae vel ad bonum quod charitatis, vel ad verum quod fidei referuntur; chomer praedicatur de bono, quia est mensura tritici et hordei, similiter epha; at bathus praedicatur de vero, quia est mensura vini, et quia etiam est mensura olei, per quod significatur bonum amoris, dicitur quod bathus erit Chomeris sicut epha, quod est in sensu spirituali, quod omnia ibi referentur ad bonum, et quoque quod verum ibi erit bonum; et quod hoc dabitur plene, nam per chomerem significatur plenum. Apud Esaiam, „Domus multae in devastationem erunt, magnae et pulchrae, ut non sit habitator, nam decem jugera vineae facient bathum unum, et *sementis Chomeris faciet* epham," V: 9. 10, hic decem jugera pro pleno et quoque pro multo, similiter Chomer, at bathus et epha pro pauco, nam cum decem sunt multum, decima pars est paucum. Apud Moschen, „Quod si de agro possessionis suae sanctificaverit vir Jehovae, aestimatio tua juxta sementim ejus, *sementis chomeris hordei* pro quinquaginta siclis argenti," Levit: XXVII: 16, ibi sementis chomeris, et quoque quinquaginta sicli pro pleno aestimationis:

quia chomer significat plenum, *decem chomeres* significant nimium et superfluum, Num: XI: 32.

8469. Numerum animarum vestrarum, quod significet quantum omnibus in societate, nempe bonum veri quod per mannam significatur, constat ex significatione ad numerum animarum, quod sit quantum satis ad omnes in societate; cum enim per omerem ad caput significatur quantum satis cuique, per ad numerum animarum significatur quantum omnibus in societate. Agitur hic de bono quod illis qui e Regno spirituali Domini, quod bonum significatur per mannam, et quod hoc dabitur quantum satis erit cuique, et quantum satis erit societati; unaquaevis enim domus ex filiis Israëlis repraesentabat unam societatem in coelo, n: 7836. 7891. 7996. 7997. Cum societatibus in coelo ita se habet; coelum consistit ex innumeris societatibus, quae inter se distinctae sunt; unaquaevis societas habet bonum commune distinctum a bono aliarum societatum, unusquisque etiam in societate habet bonum particulare distinctum a bono alterius in societate, ex bonis illorum qui in societate distinctis, et sic variis, at usque congruis, fit forma, quae forma coelestis vocatur; universum coelum ex talibus formis consistit; conjunctiones illae vocantur formae respestive ad bona, at societates respective ad personas: haec repraesentabantur per distinctiones filiorum Israëlis in Tribus, Familias, et Domus.

8470. Quisque ei qui in tentorio suo accipite, quod significet communicationem cum illis, et inde bonum commune, constat ex significatione tentorii, quod sit societas quoad bonum; tentorium hic simile significat cum domo, cum enim peregrinabantur fuerunt in tentoriis. Quod quisque acciperet ei qui ibi, significat communicationem cum illis, ita quoque inde commune bonum. Haec quia involvunt illa quae in societatibus in coelo existunt, ut mox supra n: 8469, est dictum, adhuc dicetur quomodo cum illis se habet, ut inde sciatur quid intelligitur per communicationem cum illis in societate, et cum communi bono quod inde, quae significantur per quod quisque ei qui in tentorio suo acciperet; unusquisque in societate in coelo communicat suum bonum cum omnibus qui in societate, et omnes ibi communicant cum unoquovis, inde existit bonum omnium in communi, hoc est, commune bonum; hoc bonum communicatur

cum communi bono aliarum societatum, inde existit bonum adhuc communius, et tandem communissimum: talis communicatio est in coelo, et inde est quod unum sint, prorsus sicut organa, membra et viscera in homine, quae tametsi varia ac dissimilia sunt, usque tamen per tales communicationes unum sistunt: talis communicatio bonorum datur unice per amorem, quae est conjunctio spiritualis; universale formans ac ordinans omnia et singula, est Divinum Bonum Divini amoris a Domino.

8471. Et fecerunt ita filii Israëlis, quod significet effectum, constat absque explicatione.

8472. Et collegerunt redigens ad numerosum et ad paucum, quod significet receptionem secundum potentiam cujusvis societatis, constat ex significatione colligere, quod sit recipere, ut supra n: 8467; et ex significatione redigens ad numerosum et ad paucum, quod sit secundum potentiam cujusvis societatis. Quomodo haec se habent, evolvendum est ex illis quae existunt in societatibus in coelo, nam manna est cibus coelestis, et cibus coelestis est bonum et verum, ac bonum et verum in coelo est Dominus, quia ab Ipso: ex his constare potest, quod haec, quae de manna statuta sunt, sint talia quae in dictis societatibus existunt: cum his ita se habet; Divinum Bonum, quod a Domino procedit, communicatur cum omnibus in coelo universaliter et singulariter, sed ubivis secundum potentiam recipiendi; sunt enim qui parum recipiunt, et sunt qui multum; qui parum recipiunt, sunt in terminis coeli, at qui multum, sunt in interioribus ibi: quisque ibi in potentia recipiendi est secundum quale et quantum boni in mundo acquisiti: potentiae differentia est quae significatur per numerosum et paucum.

8473. Et mensi sunt omere, quod significet receptionis boni potentiam, constat ex significatione omeris, quod sit quantum satis, de qua supra n: 8468, ita quoque potentia.

8474. Et non superfluum fecit numeroso, et pauco non defuit, quod significet quod justa esset ratio cuique in particulari et in communi, constat ex significatione non superfluum facere, et quoque non deesse, quod sit justa ratione uti; et ex significatione numerosi et pauci, quod sit differentia potentiae, de qua supra n: 8472 fin: hic secundum potentiam cujusvis in particulari et communi.

8475. Quisque ad os edere sui collegerunt, quod significet receptionem secundum cujusvis facultatem, constat ex illis supra n: 8467, ubi eadem verba.

8476. Vers: 19. 20. *Et dixit Moscheh ad illos, quisque ne residuum faciat de illo usque ad mane. Et non audiverunt ad Moschen, et residuum fecerunt viri ex illo usque ad mane, et vermiculavit vermes, et computruit, et succensuit super illos Moscheh.* Et dixit Moscheh ad illos, significat exhortationem: quisque ne residuum faciat de illo usque ad mane, significat quod non solliciti erunt de ejus acquisitione ex se: et non audiverunt ad Moschen, significat non fidem, et inde non obedientiam: et residuum fecerunt viri ex illo usque ad mane, significat abusum boni Divini, quod ex se sibi id comparare vellent: et vermiculavit vermes, significat quod inde spurcum: et computruit, significat inde infernale: et succensuit super illos Moscheh, significat quod averterent inde a se Verum Divinum.

8477. Et dixit Moscheh ad illos, quod significet exhortationem, constat ex significatione dicere, quod involvat id quod sequitur, hic exhortationem, ne residuum facerent ad mane; quod dicere etiam sit exhortatio, videatur n: 7090. [33] 8178.

8478. Quisque ne residuum faciat de illo usque ad mane, quod significet quod non solliciti erunt de ejus acquisitione ex se, constat ex eo quod manna quovis mane daretur, et quod residuo innascerentur vermes, per quae significatur quod Dominus quotidie provideat necessitates, et quod sic ex se de illarum acquisitione non solliciti esse debeant: hoc quoque intelligitur per *Panem quotidianum*, in Oratione Domini, et quoque per Domini verba apud Matthaeum, „Ne solliciti sitis animae vestrae quid esuri sitis aut bibituri, neque corpori vestro quid induituri: quid de indumentis solliciti estis, considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent: ne itaque solliciti sitis, ut dicatis, quid edemus et quid bibemus; aut quo induemur, nam ista omnia gentes quaerunt; nonne Pater vester coelestis novit, quod opus habeatis his omnibus: quaerite primum Regnum coelorum, ejusque justitiam, tunc haec omnia adjicientur vobis: ne sitis igitur solliciti in crastinum, nam crastinus dies curam habebit illorum quae illius sunt," VI: 25 ad fin: pariter apud Lucam Cap: XII: 11. 12. 22 ad 31. Quia in hoc Versu

et in sequente agitur in sensu interno de cura pro crastino, et quod illa cura non solum prohibita sit, sed etiam damnata; quod prohibita, significatur per quod de manna non residuum facerent ad mane; et quod damnata, significatur per quod residuo innatus sit vermis, et id computruerit: qui rem non ultra quam ex sensu literae intuetur, credere potest quod omnis cura pro crastino abjicienda sit, et sic quod necessitates quotidie ex coelo exspectandae; sed qui rem altius quam ex litera intuetur, ut qui ex sensu interno, scire potest quid per curam crastini [34] intelligitur: non intelligitur cura comparandi sibi victum et amictum, et quoque facultates pro tempore venturo, nam non contra ordinem est prospicere sibi et suis; sed illi curam crastini habent, qui non sunt contenti sua sorte, qui non fidunt Divino sed sibi, quique spectant solum ad mundana et terrestria, et non ad coelestia; apud hos universaliter regnat sollicitudo de futuris, cupido possidendi omnia, et dominandi super omnes, quae accenditur et crescit secundum incrementa, et tandem supra omnem modum; hi dolent si cupitis non potiuntur, et anguntur cum illorum jacturam faciunt; nec consolatio, nam tunc irascuntur contra Divinum, rejiciunt id una cum omni fidei, seque devovent; tales sunt apud quos cura crastini est. Aliter prorsus apud illos, qui fidunt Divino; hi tametsi curam pro crastino habent, usque tamen non habent, nam de crastino non cogitant cum sollicitudine, minus cum anxietate; aequo animo sunt sive potiantur cupitis, sive non, ad jacturam nec dolent, sunt contenti sua sorte; si opulenti fiunt, non in opulentia ponunt cor; si ad honores evehuntur, non se aliis digniores spectant; si pauperes fiunt, nec contristantur; si viles conditione, non dejiciunt animum; sciunt, quod illis qui fidunt Divino, omnia succedant ad statum felicem in aeternum; et quod quae illis in tempore eveniunt, usque ad illum conducant. Sciendum, quod Providentia Divina sit universalis, hoc est, in singularissimis omnium; et quod qui in Providentiae flumine sunt, ferantur continue ad felicia, qualitercunque media apparent; et quod illi in Providentiae flumine sint, qui fidunt Divino, Ipsique tribuunt omnia; et quod illi non in Providentiae flumine sint, qui sibi solis fidunt, sibique tribuunt omnia, sunt enim in opposito, nam Providentiam Divino derogant, et illam sibi vindicant: sciendum etiam,

quod quantum quis in Providentiae flumine est, tantum sit in statu pacis; tum quantum quis in statu pacis est ex bono fidei, tantum in Providentia Divina sit: hi solum sciunt et credunt, quod Providentia Divina Domini sit in omnibus et singulis, imo in omnium singularissimis, quae etiam videantur ostensa, n: 1919 fin: 4329. 5122 fin: 5894 fin: [35] 6058. 6481. 6482. 6483. 6484. 6485. 6486. 6490. 7004. 7007: et quod Providentia Divina spectet aeternum, n: 6491. At qui in opposito sunt, vix volunt ut Providentia nominetur, sed referunt omnia et singula ad prudentiam, et quae non ad prudentiam, referunt ad fortunam aut casum; quidam ad fatum, quod non ex Divino sed ex natura educunt; illos simplices vocant, qui non sibi aut naturae omnia tribuunt. Ex his iterum constare potest, quales illi quibus cura crastini, et quales illi quibus non cura crastini.

8479. Et non audiverunt ad Moschen, quod significet non fidem, et inde non obedientiam, constat ex significatione audire, quod sit percipere, fidem habere, et obedire, de qua n: 5017. 7216. 8361.

8480. Et residuum fecerunt viri ex illo usque ad mane, quod significet abusum boni Divini, quod ex se sibi id comparare vellent, constat ex significatione residuum facere usque ad mane, quod sit sollicitum esse de boni acquisitione ex se, de qua supra n: 8478, consequenter est abusus boni Divini; abusus dicitur cum simile in ultimis existit, sed ex contraria origine: ex contraria origine existit bonum, cum ab homine, non a *Domino; Dominus* enim est Ipsum Bonum, proinde est a quo omne bonum; Bonum quod ab Ipso, in se habet Divinum, ita ab intimo ac a primo esse est bonum; at bonum quod ab homine, non est bonum, quia homo ex se non est nisi quam malum, inde bonum quod ab illo est in prima sua essentia malum, tametsi in externa forma apparere potest ut bonum: se habent illa sicut flores qui sunt picti super tabella comparate ad flores qui nascuntur in horto, hi flores ab intimis pulchri sunt, nam quo interius aperiuntur, eo pulchriores sunt; at flores in tabella picti sunt modo in externa forma pulchri, et quoad internam non sunt nisi quam lutum et congeries partium terrestrium incondite jacentium; quod etiam Dominus docet, cum dicit, „Non Salomo in omni gloria sua indutus fuit, sicut unum ex liliis agri,"

Matth: VI: 29: ita se habet cum bono quod ab homine, et cum bono quod a Domino: quod illa bona tantum inter se differant, homo non scire potest, quia ab externis judicat; Angeli autem probe percipiunt, unde bonum apud hominem, et inde quale est; Angeli apud hominem in bono a Domino sunt et quasi habitant, et in bono ab homine non possunt esse, removent se ab illo quantum possunt, nam ab intimo est malum; bonum enim a Domino in se habet coelum; est enim bonum illud in imagine forma coeli, ac recondit in intimo suo Ipsum Dominum, nam in omni bono quod procedit a Domino est instar Ipsius, ac inde instar coeli; at in bono quod ab homine, est instar hominis, et quia homo ex se nihil nisi quam malum est, est instar inferni; tanta differentia est boni a Domino, et boni ab homine. Bonum a Domino est apud illos, qui amant Dominum supra omnia, et proximum sicut se; at bonum ab homine est apud illos qui semet supra omnia amant, et proximum prae se contemnunt: hi sunt qui etiam curam pro crastino habent, quia fidunt sibi; illi autem sunt qui curam pro crastino non habent, quia fidunt Domino, de qua re supra n: 8478: qui fidunt Domino, illi continue accipiunt ab Ipso bonum, nam quicquid illis contingit, sive ut prosperum sive ut non prosperum appareat, usque est bonum, nam ut medium conducit ad felicitatem eorum aeternam; at qui fidunt sibi, illi continue sibi inducunt malum, nam quicquid illis contingit, etiamsi ut prosperum et felix appareat, usque tamen est malum, et inde ut medium conducit ad infelicitatem eorum aeternam: haec sunt quae significantur per quod ex manna nihil residuum facerent ad mane, et quod residuum vermicularet vermes et putresceret.

8481. Et vermiculavit vermes, quod significet quod inde spurcum, constat ex significatione vermiculare vermes, quod sit producere spurcum, nam vermes ex spurco et putido nascuntur: falsum mali quod inest bono ex proprio, comparatur vermi, quia similiter se habent, corrodit enim et sic cruciat: sunt duo quae faciunt infernum, sicut sunt duo quae faciunt coelum; duo quae faciunt coelum sunt bonum et verum, et duo quae faciunt infernum sunt malum et falsum; consequenter sunt duo illa in coelo quae faciunt felicitatem ibi, et sunt duo in inferno quae faciunt cruciatum ibi; cruciatus in inferno a falso compa-

ratur vermi, et cruciatus a malo ibi comparatur igni; ita apud Esaiam, „Quemadmodum coeli novi, et terra nova, quae Ego facturus, stabunt coram Me, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum: tandem fiet de mense in mensem, et de sabbatho in sabbathum suum, et stabunt coram Me: exibunt deinde, et videbunt cadavera virorum praevaricantium contra Me, *nam Vermis illorum non morietur*, et *ignis illorum non exstinguetur;* et erunt fastidio omni carni," LXVI: 22. 23. 24: similiter a Domino, apud Marcum, „Ubi *Vermis illorum non morietur*, et *ignis non exstinguetur*", IX: 44. 46. 48, ibi de Gehenna seu Inferno. Spurcities falsi comparatur vermi etiam apud Moschen, „Vineas plantabis et coles, sed vinum non bibes, neque congregabis, *quia comedet illud vermis*," Deut: XXVIII: 39, vinum pro vero ex bono, et in opposito sensu pro falso ex malo, n: 6377.

8482. Et computruit, quod significet inde infernale, constat ex significatione putrescere, quod sit spurcum infernale; putrescere hic praedicatur de malo, et vermis de falso; nam bonum cum fit malum, se habet sicut caro aut sicut panis cum putrescit, falsum ex malo illo est sicut vermis qui producitur ibi ex putredine.

8483. Succensuit super illos Moscheh, quod significet quod averterent a se verum Divinum, constat ex significatione succensere seu irasci, cum dicitur de Moscheh, per quem repraesentatur Verum Divinum, quod sit aversio ab illo, de qua n: 5034. 5798; et quod aversio illa appareat sicut apud Dominum, sed quod sit apud hominem, n: 5798. In Verbo multoties tribuitur Jehovae ira et excandescentia, imo furor, contra homines, cum tamen apud Jehovam erga hominem est purus amor et pura misericordia, et ne hilum irae; hoc dicitur in Verbo ex apparentia, nam cum homines contra Divinum sunt, et inde sibi praecludunt influxum amoris et misericordiae, conjiciunt se in malum poenae, ac in infernum; hoc apparet sicut immisericordia et sicut vindicta a Divino propter malum quod egerunt, cum tamen nihil tale inest Divino, sed inest ipsi malo: sed videantur quae de his ostensa sunt prius, n: 1857. 2447. 6071. 6832. 6991. [36] 6997. 7533. 7632. 7643. 7679. 7710. 7877. 7926. 8197. 8214. 8223. 8226. 8227. 8228. 8282.

Ex his patet, quod per succensuit super illos Moscheh, significetur quod averterent a se Verum Divinum.

8484. Vers: 21. 22. 23. 24. *Et collegerunt illud mane mane, quisque secundum os edere sui; et incaluit sol et liquefactum est. Et fuit in die sexto collegerunt panem duplum, duos omeres uni; et venerunt omnes principes coetus, et indicaverunt Moschi. Et dixit ad illos, hoc quod loquutus Jehovah, requies, sabbathum sanctum Jehovae cras, quod coquetis coquite, et quod elixabitis elixate, et omne superfluum reponite hoc vobis ad custodiam usque ad mane. Et reposuerunt illud ad mane, quemadmodum praecepit Moscheh, et non computruit, et vermis non fuit in illo.* Et collegerunt illud mane mane, significat receptionem boni a Domino jugiter: quisque secundum os edere ejus, significat cuique secundum potentiam appropriationis: et incaluit sol et liquefactum est, significat quod evanescat secundum gradum crescentis concupiscentiae: et fuit in die sexto, significat ad finem cujusvis status: collegerunt [panem] duplum, significat conjunctionem ex bono recepto: duos omeres uni, significat potentiam tunc: et venerunt omnes principes coetus, et indicaverunt Moschi, significat reflexionem ex primariis veris: et dixit ad illos, significat instructionem: hoc quod loquutus Jehovah, significat influxum a Divino: requies, significat statum pacis cum non tentatio: sabbathum sanctum Jehovae cras, significat conjunctionem boni et veri in aeternum: quod coquetis coquite, significat praeparationem ad conjunctionem boni: et quod elixabitis elixate, significat praeparationem ad conjunctionem veri: et omne superfluum reponite [37] hoc vobis ad custodiam usque ad mane, significat fruitionem omnis boni et veri tunc sicut ex proprio: et reposuerunt illud ad mane, significat fruitionem venturam: quemadmodum praecepit Moscheh, significat secundum instructionem a Vero Divino: et non computruit, et vermis non fuit in eo, significat quod nihil spurci inesset, quia appropriatum ita a Domino.

8485. Et collegerunt illud mane mane, quod significet receptionem boni a Domino jugiter, constat ex significatione colligere nempe mannam, quod sit receptio boni, ut supra n: 8467. 8472; et ex significatione mane mane seu singulo mane, quod sit jugiter, per mane mane enim significatur quivis crasti-

nus dies, et per crastinum significatur aeternum, n: 3998, ita quoque perpetuo et jugiter.

8486. Quisque secundum os edere ejus, quod significet cuique secundum potentiam appropriationis, constat ex illis supra n: 8467, ubi similia verba.

8487. Et incaluit sol et liquefactum est, quod significet quod evanescat secundum gradum crescentis concupiscentiae, constat ex significatione incalescere sol, quod sit crescens concupiscentia, de qua sequitur; et ex significatione liquefieri, quod sit evanescere. Quod incaluit sol sit crescens concupiscentia, est quia sol in bono sensu significat amorem coelestem, ex causa quia Dominus est sol in altera vita, ac calor qui inde venit est bonum amoris, ac lux verum fidei; quod Dominus sit sol, et inde amor coelestis, videatur n: 1053. [38] 1521. 1529. 1530. 1531. 2120. 2441. 2495. 3636. 3643. 4060. 4321 fin: 4696. 5084. 5097. 5377. 7078. 7083. 7171. 7173. 7270; inde Sol in opposito sensu est amor sui et mundi, ac calor seu incalescentia ex sole in eo sensu est concupiscentia. Quomodo cum hoc se habet, quod bonum veri, quod significatur per mannam, evanesceret secundum gradum crescentis concupiscentiae, quod significatur per quod liquesceret cum sol incaluit, paucis dicetur; bonum veri seu bonum spirituale datur quidem homini Ecclesiae spiritualis cum regeneratur, sed quia bonum illud exstinguit omne jucundum amoris sui et mundi, quod eorum vitam prius fecerat, nam opposita sunt; idcirco apud hominem illum non diu purum bonum veri manere potest, sed temperatur a Domino per jucunda amorum, quae fuerunt vitae illius prius; nam nisi temperaretur ita bonum illud, ei injucundum fieret, ac sic fastidiretur; tale est coeleste bonum primum apud illos qui regenerantur: quantum itaque jucunda amorum sui et mundi exoriuntur, tantum bonum amoris coelestis evanescit, nam, ut dictum, opposita sunt, ita quoque vice versa: inde est, quod in coelo sint vices statuum, quibus correspondent vices temporum in mundo, n: 8426, et quod ita per vices remittantur in jucunda voluptatum naturalium; nam absque mutatione statuum tali bonum amoris coelestis fieret sicut aridum, et vilesceret, aliter cum temperatur per jucunda naturalia simul vel successive: inde est, quod principio cum filiis Israëlis datum est Man novis

mane, etiam datum sit selav in vespera; nam per selav significatur jucundum naturale, et quoque jucundum concupiscentiae, n: 8452: at sciendum, quod concupiscentiae, in quas remittuntur illi qui in coelo, cum illis est vespera, non sint concupiscentiae quae oppositae sunt bono coelesti, sed sunt concupiscentiae, quae aliquatenus cum bono illo concordant, sunt enim jucunda benefaciendi in aliqua abundantia, et inde aliquid gloriae, in quibus tamen est benevolentia ac studium serviendi, sunt quoque jucunda magnificentiae quoad decora domus, et quoad decora vestium, et similia perplura: talia sunt, quae non destruunt bonum amoris coelestis, sed usque abscondunt illud, ac tandem secundum gradum sicut regeneratur homo, fiunt ultima plana boni coelestis; et tunc non amplius audiunt concupiscentiae, sed jucunditates. Quod bonum amoris coelestis absque temperatione per talia quasi arescat, et dein sicut vile fastidiatur, significatur per id quod filii Israëlis, cum illis non daretur amplius selav, vocaverint mannam cibum aridum, et cibum vilem, de quo ita apud Moschen, „Colluvies, quae in medio, concupiverunt concupiscentiam, unde iterarunt et fleverunt etiam filii Israëlis, et dixerunt, quis *cibabit nos carne*, nunc *anima nostra arida est*, non quicquam nisi *quod ad man oculi* nostri," Num: XI: 4. 6. Apud Eundem, „Loquutus est populus contra Deum et contra Moschen; quare ascendere fecistis nos ex Aegypto, ut moriamur in deserto, non panis, neque aqua, *jam anima nostra fastidit panem hunc vilissimum*," Num: XXI: 5: et alibi apud Eundem, „Jehovah *afflixit te*, et esurire fecit te, *et cibavit te manne*, quod non noveras, nec noverunt patres tui; ut doceret te, quod non per panem solum vivat homo, sed per omne enuntiatum oris Jehovae vivat homo," Deut: VIII: 3. similiter ac per mannam, etiam per panem azymum significatur bonum purum a falsis, n: 8058; ille panis ex simili causa vocatur „*panis miseriae*," Deut: XVI: 3. Ex his nunc constare potest, quid intelligitur per quod bonum veri evanescat secundum gradum crescentis concupiscentiae, quae significantur per quod Man, cum incaluit sol, liquefactum sit.

8488. Et fuit in die sexto, quod significet ad finem cujusvis status, constat ex significatione diei sexti, quod sit finis cujusvis status, de qua supra n: 8421.

8489. Collegerunt [panem] duplum, quod significet conjunctionem ex bono recepto, constat ex significatione colligere de manna, quod sit receptio boni; quod colligere sit receptio, videatur n: 8467. 8472, et manna sit bonum veri, n: 8464; et ex significatione dupli, quod sit conjunctio, de qua n: 8423.

8490. Duos omeres uni, quod significet potentiam tunc, constat ex significatione omeris, quod sit quantum satis, et sic potentia, de quá n: 8468. 8473, hic quantum satis et potentia ad conjunctionem; per diem septimum enim seu sabbathum, significatur conjunctio boni et veri.

8491. Et venerunt omnes principes coetus, et indicaverunt Moschi, quod significet reflexionem ex primariis veris, constat ex significatione principum coetus, quod sint primaria vera, n: 1482. 2089. 5044; et ex significatione indicare, quod sit reflexio, de qua n: 2862. 5508.

8492. Et dixit ad illos, quod significet instructionem, constat ex significatione dicere, quod involvat sequentia, hic instructionem, nempe quomodo faciendum cum collectione mannae *die* ante sabbathum; quod dicere etiam sit instructio, videatur n: 6879. 6881. 6883. [39] 6891. 7186. 7267. 7304. 7380.

8493. Hoc quod loquutus Jehovah, quod significet influxum a Divino, constat ex eo, quod Jehovah seu Dominus instruat per influxum, et quod hoc in historicis Verbi per dicere et loqui exprimatur; quod loqui etiam alibi sit influxus, videatur n: 2951. [40] 5481. 5797. 7270. 8128.

8494. Requies, quod significet statum pacis, cum non tentatio, constat ex significatione requiei, qualis fuit diebus sabbathi, quod repraesentativum esset status pacis, in quo fit conjunctio boni et veri; dies autem sex priores repraesentabant pugnam et laborem, proinde tentationes, quae praecedunt statum pacis, nam post tentationes fit status pacis, et tunc conjunctio boni et veri; quod dies sex, qui praecedunt septimum seu sabbathum, significaverint pugnam et laborem, videatur n: 720. 737. 900; quod post tentationes tranquillitas et pax, n: 3696. 4572. 5246. 6829. 8367. 8370 fin: et quod sabbathum sit conjunctio boni et veri, videbitur in nunc sequentibus.

8495. Sabbathum sanctum Jehovae cras, quod significet

conjunctionem boni et veri in aeternum, constat ex significatione sabbathi, quod sit conjunctio boni et veri, de qua sequitur; et ex significatione cras, quod sit in aeternum, de qua n: 3998. Qui non scit quid sabbathum repraesentaverat, et inde quid significaverat, nec scire potest, cur id omnium sanctissimum habitum fuerat; sed pro sanctissimo habitum fuit, ob causam quia in supremo sensu repraesentabat unionem Divini ac Divini Humani in Domino, ac in sensu respectivo conjunctionem Divini Humani Domini cum Genere Humano; inde sabbathum erat sanctissimum; et quia illa repraesentabat, etiam repraesentabat coelum quoad conjunctionem boni et veri, quae conjunctio conjugium coeleste vocatur: et quia conjunctio boni et veri fit a solo Domino, et nihil ejus ab homine, ac quia illa fit in statu pacis, idcirco severissime interdictum fuit, ut homo tunc aliquod opus faceret, usque adeo ut exscinderetur anima, quae id faceret, de qua apud Moschen, „*Servabitis sabbathum, quia sanctum illud vobis,* qui prophanat illud, moriendo morietur; quia omnis qui facit opus in eo, *exscindetur anima haec e medio populi sui,*" Exod: XXXI: 14: [41] ideo lapidatus est, qui solum „*die illo ligna collegit,*" Num: XV: 32 ad 37: ideo etiam praeceptum de sabbatho est tertium praeceptum in decalogo, immediate sequens post bina de sancto cultu Jehovae, Exod: XX: 8. Deut: V: 12: ac ideo vocatur sabbathum „foedus aeternum," Exod: XXXI: 16, per foedus enim significatur conjunctio, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. Ex his nunc constare potest, quid in sensu interno intelligitur per illa quae in sequentibus his locis de sabbatho dicuntur; ut quae apud Esaiam, „Beatus homo *custodiens sabbathum,* ut non profanet illud: sic dixit Jehovah eunuchis, *qui custodiunt sabbatha mea,* et eligunt quo delector, ac *tenent foedus meum,* dabo illis in domo mea, et intra muros meos locum et nomen, bonum prae filiis et filiabus, nomen aeternitatis dabo illis, quod non exscindetur: *quisquis custodit sabbathum ut non prophanet id, et qui tenent foedus meum,* introducam illos super montem sanctitatis meae, et exhilarabo illos in domo precationis meae," LVI: 2 ad 7; ex his patet, quod per illos qui sanctificant sabbathum intelligantur qui in conjunctione cum Domino sunt; quod illi erunt in coelo, significatur per quod da-

bitur illis in domo Jehovae locus et nomen, bonum prae filiis et filiabus, nomen aeternitatis quod non exscindetur, et quod introducentur super montem sanctitatis. Apud Eundem, „*Si avertis a Sabbatho pedem tuum,* ut non facias voluntates tuas in die sanctitatis meae, *sed vocaveris Sabbathum delicias sanctas Jehovae honorabiles*, atque honoraveris illud, ut non facias vias tuas tunc, nec invenias desiderium tuum, aut loquaris verbum, tunc deliciaberis super Jehovah, et cibabo te haereditate Jacobi,» LVIII: 13. 14, hic patet evidenter, quid repraesentavit quod non die sabbathi aliquod opus facerent, nempe quod non ex proprio aliquid agent, sed ex Domino; status enim Angelicus in coelo est, ut nihil ex se seu ex proprio suo velint et agant, ac ne quidem cogitent et loquantur, conjunctio illorum cum Domino consistit in eo; proprium ex quo non agent, significatur per quod non facerent voluntates suas, nec facerent vias suas, nec invenirent desiderium suum, nec loquerentur verbum; ille status apud Angelos est ipse status coelestis; cumque in illo sunt, tunc est illis pax et quies; et quoque est quies Domino, nam cum conjuncti sunt cum Ipso, non amplius est labor cum illis, sunt enim tunc in Domino; haec significantur per verba, sic vocabis sabbathum delicias sanctas Jehovae, et deliciabuntur super Jehovah: requies Domini significatur per quod post sex dierum creationem requieverit die septimo, Genes: II: 2. Similia intelliguntur per haec verba apud Jeremiam, „Si audiendo audiveritis Me, ut *non introducatis onus per portas urbis hujus in die sabbathi, et quod sanctificetis diem sabbathi ita, ut non faciatis in illo ullum opus*, tunc intrabunt per portas urbis hujus reges et principes, sedentes super throno Davidis, equitantes in curru et equis, ipsi et principes illorum, vir Jehudae, et habitatores Hierosolymae, et habitabitur urbs haec in aeternum,» XVII: 24. 25; per opus in sabbatho significatur omne quod ex proprio; status illorum qui non ex proprio sed ex Domino ducuntur, describitur per quod intrabunt per portas urbis reges et principes, sedentes super throno Davidis, equitantes in curru et equis: per reges significantur vera fidei, per principes primaria illorum, per sedere super throno Davidis, quod illa a Domino, per currum et equos fidei doctrinalia et intellectualia: sciendum quod omnia quae ex proprio hominis veniant,

sint mala, et quae ex Domino bona; quod apud illos, qui a Domino ducuntur, omnia influunt, usque ad minimum vitae tam intellectualis quam voluntariae, ita usque ad omnia et singula fidei et charitatis, videantur quae copiose ab experientia ostensa sunt, n: 2886. 2887. 2888. 6053 ad 6058. 6189 ad 6215. 6307 ad 6327. 6466 ad 6495. 6598 ad 6626. 7004. 6982. 6985. 6996. 7055. 7056. 7058. 7147. 7270. Quod sabbathum esset repraesentativum conjunctionis Domini cum Genere Humano, constat apud Ezechielem, „*Sabbatha mea dedi illis*, ut essent in signum inter Me et inter illos, ad agnoscendum quod Ego Jehovah sanctificans illos," XX: 12. Exod: XXXI: 13. Ideo quoque prohibebatur „ignem accendere die sabbathi," Exod: XXXV: 3, quia per ignem significabatur omne quod vitae est, et per accendere ignem quod vitae ex proprio. Ex illis quae dicta sunt, patet, quod Dominus sit Dominus sabbathi, secundum Ipsius verba apud Matthaeum, Cap: XII: 1 ad 9; [42] et cur plures sanationes a Domino factae sint diebus sabbathi, Matth: XII: 10 ad 14. Marc: III: 1 ad 9. Luc: VI: 6 ad 12. Cap: XIII: 10 ad 18. Cap: XIV: 1 ad 7. Johan: Cap: V: 9 ad 19. Cap: VII: 22. 23. Cap: IX: 14. 16; nam morbi, a quibus sanabantur a Domino, involvebant morbos spirituales, qui sunt a malo, n: 7337. 8364.

8496. Quod coquetis coquite, quod significet praeparationem ad conjunctionem boni; et quod elixabitis elixate, quod significet praeparationem ad conjunctionem veri, constat ex significatione coquere, quod quia per ignem sit praeparatio ad conjunctionem boni; et ex significatione elixare, quod quia per aquam, sit praeparatio ad conjunctionem veri; per aquam enim significatur verum fidei, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668, et per ignem significatur bonum amoris, n: 934. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324. 7852: quod sit praeparatio ad conjunctionem, patet, nam quae coquebantur et elixabantur, praeparabantur ad diem sabbathi sequentem, per quem quod significetur conjunctio, mox supra ostensum est; interdictum enim fuit, ut ignem die sabbathi accenderent, Exod: XXXV: 3, ita quod tunc non coquerent aut elixarent: quod coctio dicatur de pane et mincha, quae facta per ignem, videatur Esai: XLIV: 15. 19. 1 Sam: XXVIII: 24. [43] Ezech: XLVI: 20. Levit: VI: 10.

et quod elixatio dicatur de carne, quae per aquam, Exod: XXIX: 31. Levit: VI: 21. [44] I Sam: II: 13. 15.

8497. Et omne superfluum reponite hoc vobis ad custodiam usque ad mane, quod significet fruitionem omnis boni et veri tunc sicut ex proprio, constat ex significatione superfluum reponere ad mane, quod sit fruitio die sabbathi; quod sit fruitio boni et veri, est quia reponeretur superfluum ex illis quae coquebantur et elixabantur, et quia tunc ederetur, per coquere enim significatur praeparatio boni, et per elixare praeparatio veri, ut mox supra n: 8496, ostensum est, ac per edere significatur fruitio et appropriatio, n: 3168. 3513 fin: 3596. 3832. 4745. 7849; et ex significatione vobis ad custodiam, quod sit sicut ex proprio: quod haec significentur per illa verba, est quia bonum et verum, quae a Domino influunt, conjunguntur et quasi approprianiur; talis est conjunctio coeli, hoc est, illorum qui in coelo sunt, cum Domino. Sicut ex proprio dicitur, quia bona quae fidei et charitatis non dari queunt homini nec angelo ut sint propria, homines enim et angeli sunt modo recipientes, seu formae accommodatae ad recipiendum vitam, ita bonum et verum a Domino; ipsa vita non aliunde est; et quia vita est a Domino, non potest illa aliter appropriari, quam ut appareat sicut propria: sed qui in Domino sunt, percipiunt manifeste quod vita influat, consequenter bonum et verum, nam haec sunt vitae. Causa quod vita *sicut propria* appareat, est quia Dominus ex Divino amore omnia sua dare et conjungere vult homini, et quantum fieri potest, conjungit: hoc proprium, quod datur a Domino, vocatur proprium coeleste, de quo videatur n: 731. 1937. 1947. 2882. 2883. 2891. 3812 fin: 5660.

8498. Et reposuerunt illud ad mane, quod significet fruitionem venturam, constat ex illis quae nunc supra n: 8497, explicata sunt.

8499. Quemadmodum praecepit Moscheh, quod sit secundum instructionem [a Vero Divino], constat ex significatione praecipere, quod sit instructio; et ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum Divinum, de qua saepius.

8500. Et non computruit, et vermis non fuit in illo, quod significet quod nihil spurcum inesset, quia appropriatum ita a

Divino, constat ex significatione putrescere, quod sit spurcum infernale quod praedicatur de malo, de qua supra n: 8482; et ex significatione vermis, quod etiam sit spurcum infernale, sed quod praedicatur de falso, de qua n: 8481; quod talia insint illis quae a proprio fiunt, at quod coelestia et divina illis quae a Domino, videatur n: 8478.

8501. Vers: 25. 26. 27. *Et dixit Moscheh, comedite illud hodie, quia sabbathum hodie Jehovae, hodie non invenietur illud in agro. Sex diebus colligetis illud, et in die septimo sabbathum, non erit in eo. Et fuit in die septimo, exiverunt e populo ad colligendum, et non invenerunt.* Et dixit Moscheh, significat informationem de hac re: comedite illud hodie, significat appropriationem in aeternum: quia sabbathum hodie Jehovae, significat quia conjunctum est bonum vero a Domino: hodie non invenietur illud in agro, significat quod tunc non amplius acquiretur bonum per verum: sex diebus colligetis illud, significat receptionem veri antequam conjungitur bono: et in die septimo sabbathum, significat quod postea conjunctio: non erit in eo, significat quod non amplius bonum per verum: et fuit in die septimo, significat statum conjuncti boni et veri: exiverunt e populo ad colligendum, et non invenerunt, significat quod acquirere vellent, sed non datum.

8502. Et dixit Moscheh, quod significet informationem de hac re, constat ex significatione dicere, quod involvat sequentia, hic informationem de man, quod non inventuri illud die sabbathi.

8503. Comedite illud hodie, quod significet appropriationem in aeternum, constat ex significatione comedere, quod sit appropriatio, de qua n: 3168. 3513 fin: 3596. 4745; et ex significatione hodie, quod sit in aeternum, de qua n: 2838. 3998. 4304. 6165. 6984.

8504. Quia sabbathum hodie Jehovae, quod significet quia conjunctum est bonum vero a Domino, constat ex significatione sabbathi, quod sit conjunctio boni et veri, de qua supra n: 8495; et ex significatione hodie, quod sit in aeternum, de qua mox supra n: 8503: quod Jehovah in Verbo sit Dominus, prius saepe ostensum est.

8505. Hodiè non invenietur illud in agro, quod significet quod non amplius acquiretur [45] bonum per verum, constat ex significatione non invenire, cum praedicatur de bono quod per verum, quod sit non amplius acquirere; et ex significatione agri, quod sit homo, hic mens hominis cui implantatur bonum per verum; homo enim dicitur ager ex eo quod recipiat vera fidei, quae sunt semina, et producat fructus seminum, qui sunt bona. Quomodo cum hoc se habet, paucis dicetur; homo ante regenerationem agit ex vero, at per id acquiritur bonum; verum enim tunc fit bonum apud illum, cum fit voluntatis, et sic vitae; at post regenerationem agit ex bono, et per id comparantur vera: ut hoc melius intelligatur, homo ante regenerationem agit ex obedientia, at post regenerationem ex affectione; sunt bini illi status sibi inversi, nam in priori statu dominatur verum, in posteriori autem dominatur bonum, aut in priori statu spectat homo deorsum aut retrorsum, in posteriori autem sursum aut antrorsum: cum homo in posteriori statu est, nempe cum ex affectione agit, non amplius licet ei retrospicere, et agere bonum ex vero, nam tunc influit Dominus in bonum, et per bonum illum ducit; si tunc retrospiceret, seu ageret bonum ex vero, ex [46] suo ageret, qui enim ex vero agit, semet [47] ducit, at qui ex bono, a Domino ducitur: haec sunt, quae intelliguntur per Domini verba apud Matthaeum, „Cum videritis abominationem desolationis, qui super domo est, ne descendat ad tollendum quid e domo sua; et qui in agro, ne revertatur retro ad tollendum vestimenta sua,” XXIV: 15. 17. 18: et apud Lucam, „In illo die, quicunque erit super domo, et vasa illius in domo, ne descendito ad tollendum illa; et quicunque in agro, similiter ne revertatur in, quae post illum, mementote uxoris Lothi,” XVII: 31. 32: quomodo cum his porro se habet, videantur quae n: 3652. 5895 fin: 5897. 7923 explicata sunt, et quae infra n: 8506. 8510: haec sunt quae in sensu interno significantur per illa verba, quod man non inveniretur in agro die septimo; et per quod exiverint e populo ad colligendum, et non invenerint.

8506. Sex diebus colligetis illud, quod significet receptionem veri, antequam conjungitur bono, constat ex significatione sex dierum, quod sint status pugnae et laboris, de qua supra n:

8494, hic status receptionis veri, seu status cum acquiritur bonum per verum, de quo mox supra n: 8505, in hoc enim statu est labor et pugna; in eo statu homo in tentationes mittitur, quae sunt pugnae cum malis et falsis apud illum; et tunc Dominus pro homine pugnat, et quoque cum illo; at post hunc statum, est status conjunctionis boni et veri, ita tunc status requiei etiam Domino; hic status est qui repraesentabatur per requiem in die septimo seu die sabbathi; quod tunc requies Domino, est quia cum bonum conjunctum est vero, homo in Domino est, et ducitur a Domino absque labore et pugna; hic status est qui intelligitur per alterum statum, de quo mox supra n: 8505. [48]

8507. Et in die septimo sabbathum, quod significet quod postea conjunctio, constat ex significatione diei septimi aut sabbathi, quod sit conjunctio boni et veri, de qua supra n: 8496.

8508. Et non erit in eo, quod significet quod non amplius bonum per verum, constat ex illis quae supra n: 8505, explicata sunt.

8509. Et fuit in die septimo, quod significet statum conjuncti boni et veri, constat ex significatione diei septimi seu sabbathi, quod sit conjunctio boni et veri, ut supra n: 8507.

8510. Exiverunt e populo ad colligendum et non invenerunt, quod significet quod acquirere vellent, sed non datum, constat ex illis quae supra n: 8505 explicata sunt; ibi patet, quid sit ex vero quod fidei agere, et quid ex bono quod charitatis, quod nempe qui agit ex vero quod fidei, nondum in ordine coeli sit; sed qui agit ex bono quod charitatis, in ordine sit: ordo enim, quo ducitur homo a Domino, est per velle hominis, consequenter per bonum, nam hoc est voluntatis, tunc intelligere ejus inservit, consequenter verum, nam hoc est intellectus. Cum hic status est, tunc sabbathum est, nam tunc quies Domino; ille status existit, cum conjunctum bonum est vero: quod ille status sit quies Domini, constare potest ex eo quod Jehovah seu Dominus post sex dierum creationem et laborem die septimo requieverit ab omni opere, Gen: II: 2: hic status est status coeli, inde est quod ipsum coelum dicatur sabbathum, seu in coelo perpetuum sit sabbathum: quod per creationem in Cap: I: Genes: intelligatur nova creatio seu regeneratio, et per sex dies

ibi tentationes et pugnae, videantur quae ad Cap: I et II, ibi explicata sunt.

8511. Vers: 28. 29. 30. 31. *Et dixit Jehovah ad Moschen, quousque renuitis custodire praecepta mea, et leges meas. Videte quia Jehovah dedit vobis sabbathum, propterea ille dat vobis in die sexto panem duorum dierum; quiescite quisque sub se, ne exeat quisquam e loco suo in die septimo. Et quieverunt populus in die septimo: et vocaverunt domus Israëlis nomen ejus man, et hoc sicut semen coriandri album, et sapor ejus sicut placentae in melle.* Et dixit Jehovah ad Moschen, significat apparentiam Divini obscuratam: quousque renuitis custodire praecepta mea, et leges meas, significat propter quod non secundum ordinem Divinum agerent: videte, significat ut advertant et reflectant: quia Jehovah dedit vobis sabbathum, significat conjunctionem boni et veri a Domino: propterea Ille dat vobis in die sexto panem duorum dierum, significat quod ideo usque ad finem status prioris tantum boni per verum det, ut conjunctio dein fiat: quiescite quisque sub se, significat statum pacis: ne exeat quisquam e loco suo in die septimo, significat quod manendum tunc in statu: et quieverunt populus in die septimo, significat repraesentativum tunc [conjunctionis] boni et veri in statu pacis: et vocaverunt domus Israëlis nomen ejus man, significat quale ejus quoad illos: et hoc sicut semen coriandri album, significat verum inibi quod purum: et sapor [49] ejus sicut placentae in melle, significat bonum quod jucundum, sicut quod ex vero per jucundum factum bonum.

8512. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet apparentiam Divini obscuratam, constat ex significatione dixit Jehovah, quod involvat sequentia, hic quod non custodirent praecepta et leges, ita quod apparentia Divini apud illos obscuraretur; hoc enim fit cum non vivitur secundum praecepta Divina, cum enim vivitur secundum illa, tunc vivitur secundum ordinem Divinum, nam praecepta Divina sunt vera et bona quae ex ordine; et cum vivitur secundum ordinem, tunc vivitur in Domino, nam Dominus est Ipse ordo: inde sequitur, quod qui non vivit secundum praecepta et leges, quae sunt ordinis Divini, non vivat in Domino, consequenter quod tunc apud illum obscuretur Divinum. Per vivere secundum ordinem, hic intelligi-

tur duci a Domino per bonum, at per vivere nondum secundum ordinem, est duci per verum; et cum ducitur homo per verum, Dominus non apparet; quapropter etiam tunc homo vadit in tenebris, in quibus non videt bonum, aliter cum homo ducitur per bonum, tunc videt in luce.

8513. Quousque renuitis custodire praecepta mea et leges meas, quod significet quod non secundum ordinem Divinum agerent, constat ex illis quae nunc supra n: 8512 explicata sunt. Ut sciatur quid sit secundum ordinem Divinum agere, et non secundum illum agere, adhuc dicetur; omne quod fit secundum ordinem Divinum, hoc intus apertum est usque ad Dominum, et sic in se habet coelum; at omne quod non fit secundum ordinem Divinum, hoc intus est clausum, et sic non in se habet coelum; ordo itaque Divinus est, ut Dominus influat per interiora hominis in exteriora ejus, ita per voluntatem hominis in ejus agere; hoc fit cum homo in bono est, hoc est, cum in affectione faciendi bonum propter bonum, et non propter se; cum homo propter se id facit, et non propter bonum, tunc clausa sunt interiora, et non duci potest per coelum a Domino, sed ducitur a se; amor determinat a quo ducitur, nam amor suus unumquemvis ducit; qui amat se prae proximo, is se ducet, qui autem amat bonum, bonum eum ducit, consequenter Dominus a Quo bonum: ex his videri potest, quae differentia est vivere secundum ordinem, et non vivere secundum illum: quomodo vivendum, ut sit secundum ordinem, docet Verbum, et doctrinale fidei ex Verbo; qui non ultra spectat, quam ad externa, talia nusquam potest capere, ille non scit quid internum, vix quod internum sit, et minus quod internum possit aperiri, et quod cum apertum est, in illo sit coelum: intelligentes mundi imprimis in hac inscitia sunt, et qui illorum statuunt internum, de illo usque vel nullam vel fatuam habent ideam; inde est, quod illi parum credant, et quoque quod scientias suas applicent ad confirmandum quod omnia naturae sint.

8514. Videte, quod significet ut advertant et reflectant, constat ex significatione videre, quod sit intelligere, de qua n: 2325. 3863. 4403 ad 4421. 5114; inde quod sit percipere, n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400, et quoque reflectere, n: 6836. 6839.

8515. Quia Jehovah dedit vobis sabbathum, quod significet conjunctionem boni et veri a Domino, constat a significatione sabbathi, quod sit conjunctio boni et veri, de qua n: 8495; quod sit a Domino, significatur per quod Jehovah dedit, nam Jehovah in Verbo est Dominus.

8516. Propterea ille dat vobis in die sexto panem duorum dierum, quod significet quod ideo usque ad finem status prioris tantum boni per verum det, ut conjunctio dein fiat, constat ex significatione diei sexti, quod sit finis status prioris, de qua n: 8421; ex significatione mannae, quae hic est panis, quod sit bonum veri, de qua n: 8462. 8464; [50] et ex significatione sabbathi, pro quo etiam manna die sexto data est, ita panis duorum dierum, quod sit conjunctio boni et veri, de qua n: 8495. Ostensum supra est, quod quia per sabbathum significata est conjunctio boni et veri; et per id quod die septimo non inventum sit man, significatur quod homo, cum in conjunctione illa est, ex bono agat, et non amplius ex vero, et quoque quod non ex vero amplius agere debeat, n: 8510: hoc quia apparet sicut paradoxon, adhuc licet id paucis explicare; unusquisque ad bonum Christianum, quod Charitas vocatur, duci debet per Verum fidei; Verum enim fidei docebit non modo quid charitas, sed etiam qualis erit; et nisi discat id prius ex doctrinali suae Ecclesiae, ex se enim id scire nullatenus potest, non potest praeparari et sic adaptari ad recipiendum illud bonum; sit pro exemplo, sciet ex doctrina fidei, quod charitatis non sit facere bonum propter se, seu remunerationis causa, ita nec per charitatis opera mereri salutem; sciet etiam quod omne bonum charitatis sit ex Domino, et prorsus nihil ex se, praeter perplura alia, quae instruunt, quid charitas, et qualis erit; ex his constare potest, quod homo ad bonum Christianum non duci possit nisi per vera quae fidei; amplius sciet homo, quod non vera ex se intrent bonum, sed quod bonum adoptet vera et adjungat sibi illa; vera fidei enim in memoria hominis sicut in campo interiori visui substrato jacent, bonum a Domino per illum visum influit, et ex illis eligit et sibi conjungit vera quae concordant; vera quae infra jacent, non possunt influere in bonum quod supra est, nam prorsus contra ordinem est, et quoque impossibile, ut inferius influat in superius, n: 5259: ex his nunc sciri pot-

est, quomodo nascitur bonum Christianum apud hominem cum regeneratus, et inde quoque, qualis homo erit quando regeneratus est, quod nempe ex bono agat, non autem ex vero, hoc est, quod a Domino ducatur per bonum, et non amplius per verum, est enim tunc in charitate, hoc est, in affectione faciendi bonum illud; omnes qui in coelo sunt, ita ducuntur, nam hoc secundum ordinem Divinum est, fluunt sic omnia quae cogitant et agunt quasi spontanea et ex libero; aliter prorsus si cogitarent ex vero et agerent ex illo, nam tunc cogitarent num ita faciendum sit vel non, ac sic in singulis haererent, et per id lucem apud se obscurarent, et tandem agerent secundum illa quae ipsi amant, ita secundum influxum ab illis quae favent amoribus suis, quod est duci a se et non a Domino: ex his iterum patet, quid sit quod bonum non amplius acquirendum sit per verum, quod significatur per quod sex diebus colligerent mannam, et quod die septimo non inveniretur, de qua re n: 8505. 8506. 8510.

8517. Quiescite quisque sub se, quod significet statum pacis, constat ex significatione quiescere, quod sit status pacis, de qua supra n: 8494: quod quiescerent die sabbathi, et tunc nullum opus facerent, ne quidem ignem accenderent, et praepararent sibi quod ederent, erat repraesentativum status pacis, in quo conjunctio boni et veri fit a Domino, nam omnis conjunctio boni et veri fit in illo statu: cum homo in statu pacis est, tunc etiam ducitur a Domino per bonum; si tunc homo semet [47] duceret, etiamsi per verum, dissiparet statum pacis, inde nulla conjunctio; videatur mox supra n: 8516.

8518. Ne exeat quisquam e loco suo in die septimo, quod significet quod manendum tunc in statu, constat ex illis quae supra n: 8494. 8517, explicata sunt.

8519. Et quieverunt populus in die septimo, quod significet repraesentativum tunc conjunctionis boni et veri in statu pacis, constat ex illis supra n: 8494. 8517.

8520. Et vocaverunt domus Israëlis nomen ejus man, quod significet quale ejus apud illos, constat ex significatione nominis et vocare nomen, quod sit quale rei, de qua n: 144. 145. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421. 6674: quod man dictum sit

ex non cognito, et quod sit bonum veri, quod est bonum illorum qui ab Ecclesia spirituali, videatur n: 8462. 8464.

8521. Et hoc sicut semen coriandri album, quod significet verum inibi quod purum, constat ex significatione seminis, quod sit fidei verum, de qua n: 255. 1940. 2048. 3038. 3310. 3373; semen coriandri dicitur quia album, nam album praedicatur de vero, et quoque verum ut album repraesentatur, n: 3301. 3993. 4007. 5319. Describitur nunc bonum veri, quod significatur per mannam, tam quale est ibi verum, quam quale est ibi bonum, quale veri describitur per quod esset sicut semen coriandri album, et quale boni per quod sapor ejus esset sicut placentae in melle. Bonum veri, quod est bonum illis qui e Regno spirituali Domini sunt, prorsus differt a bono quod est illis qui e Regno coelesti Domini sunt: bonum veri quod est illis qui e regno spirituali, est in parte intellectuali implantatum, in illa enim parte formatur a Domino nova voluntas, quae est ut homo facere velit secundum verum, quod ex doctrinali Ecclesiae suae hauserat, cumque vult et facit id verum, apud illum id fit bonum, et vocatur bonum spirituale, et quoque bonum veri; quod hoc vere sit verum, quidem credit, quia fidem habet doctrinali, sed perceptionem num verum sit non habet, nisi videatur sibi habere ex eo, quod confirmaverit id apud se partim ex Verbi sensu literae et partim ex fallaciis idearum captae opinioni faventium; non cogitans quod nihil non confirmari queat, usque ut appareat sicut verum, etiam ipsum falsum, n: 4741. 5033. 6865. 7012. 7680. 7950; inde est quod omnes quotcunque sunt, credant sua dogmata esse vera, usque ad Socinianos, et quoque ad ipsos Judaeos: ex his patet, quale est verum quod vertitur in bonum apud plures qui ab Ecclesia: ex his non alii possunt videre num doctrinale suae Ecclesiae verum sit, quam qui in affectione veri sunt propter usus vitae; qui hunc finem habent, illi illustrantur a Domino continue, non solum cum vivunt in mundo, sed etiam postea, illi soli sunt qui recipere possunt, nam Dominus ducit illos per bonum, et per id dat illis videre verum, et sic credere: ex his constat, unde et quale est bonum, quod illis qui e Regno spirituali Domini. At bonum quod est illis qui e Regno coelesti Domini sunt, non in parte intellectuali est im-

plantatum, sed in parte voluntaria; qui in hoc bono sunt, ex perceptione interna, quae a Domino, sciunt num verum sit: de bono unius et alterius, et de differentia, videatur n: 2046. 2088. 2227. 2669. 2715. 2718. 3235. 3240. 3241. 3246. 4138. 4493. 5113. 6500. 6865. 7233. 7977. 7992.

8522. Et sapor ejus sicut placentae in melle, quod significet bonum quod jucundum, sicut quod ex vero per jucundum factum bonum, constat ex significatione saporis, quod praedicetur de jucundis quae boni, quia correspondet jucundo sapiendi, de qua n: 3502. 4793; ex significatione placentae, quod sit bonum spirituale, de qua n: 7978; et ex significatione mellis, quod sit jucundum naturale, de qua n: 5620. 6857; ex his sequitur, quod sapor ejus sicut placentae in melle, significat bonum quod jucundum quia factum per jucundum ex vero: hic describitur bonum spirituale, unde et quomodo existit, ac sic quale est; quod nempe bonum illud sit verum in prima sua origine, et quod bonum fiat ex eo quod ex voluntate, ita ex affectione in actum veniat; quicquid enim homo ex affectione vult, hoc appercipitur ut bonum: sed hoc bonum non existere potest quam per jucunda, quae sunt naturalis hominis, per ea homo spiritualis introducitur, et cum introductus est, sensum ejus inde habet; hoc nunc est, quod significatur per quod sapor mannae esset sicut placentae in melle.

8523. Vers: 32. 33. 34. *Et dixit Moscheh, hoc verbum quod praecepit Jehovah; imple omerem ex illo ad custodiam generationibus vestris, propterea ut videant panem, quo cibavi vos in deserto, in educere Me vos e terra Aegypti. Et dixit Moscheh ad Aharonem, accipe urnam unam, et da ibi in plenitudinem omeris man, et repone illud coram Jehovah ad custodiam generationibus vestris. Quemadmodum praecepit Jehovah ad Moschen, et reposuit illud Aharon coram Testimonio ad custodiam.* Et dixit Moscheh, hoc verbum quod praecepit Jehovah, significat mandatum: imple omerem ex illo, significat summum potentiae gradum: ad custodiam generationibus vestris, significat qui illis qui ab Ecclesia spirituali: propterea ut videant panem, quo cibavi vos in deserto, significat bonum veri cum in statu tentationum: in educere Me vos e terra Aegypti, significat postquam liberati sunt ab infestationibus:

et dixit Moscheh ad Aharonem, significat influxum: accipe urnam unam, significat verum: et da ibi plenitudinem omeris Man, significat bonum inibi quantum continet: et repone illud coram Jehovah, significat quod sit in praesentia Divini: ad custodiam generationibus vestris, significat ut sit mensura illis qui ab Ecclesia illa spirituali: quemadmodum praecepit Jehovah ad Moschen, significat secundum mandatum: et reposuit illud Aharon coram Testimonio ad custodiam, significat quod in praesentia Divini.

8524. Et dixit Moscheh, hoc verbum quod praecepit Jehovah, quod significet mandatum, constat ex significatione verbi Jehovae quod praecepit, quod sit mandatum Divinum, ut quoque supra n: 8466.

8525. Imple omerem ex illo, quod significet summum potentiae gradum, constat ex significatione omeris, quod sit quantum satis et potentia, de qua n: 8468. 8473; et quia omer est quantum satis, seu quantum potentiae uni, ita quoque ei est summus potentiae gradus.

8526. Ad custodiam generationibus vestris, quod significet qui illis qui ab Ecclesia spirituali, constat ex significatione generationum, quod sint illa quae fidei et charitatis, de qua n: 613. 2020. 2584. 6239, inde in sensu determinato sunt qui ab Ecclesia spirituali, quia illi sunt qui in fide et charitate, et sunt qui repraesentantur per filios Israëlis, quorum generationes hic intelliguntur: illis ad custodiam, significat ut sit in memoriale.

8527. Propterea ut videant panem, quo cibavi vos in deserto, quod significet bonum veri cum in statu tentationum, constat ex significatione mannae, quae hic panis, quod sit bonum veri, de qua n: 8462. 8464; et ex significatione deserti, quod sit status subeundi tentationes, de qua n: 8098.

8528. In educere Me vos e terra Aegypti, quod significet postquam liberati sunt ab infestationibus, constat ex significatione educere, quod sit liberare; et ex significatione terrae Aegypti, quod sint infestationes, de qua n: 7278; quod terra Aegypti sint infestationes, est quia per Aegyptios et Pharaonem significentur qui probos in altera vita infestarunt, et qui etiam hodie infestant, n: 7097. 7220. 7228. 7317. 8148.

8529. Et dixit Moscheh ad Aharonem, quod significet in-

fluxum, constat ex significatione dicere, cum a Divino Vero interno, quod repraesentatur per Moschen, ad Verum Divinum externum, quod repraesentatur per Aharonem, quod sit influxus; nam influxus Divinus fit per Verum quod immediate a Domino procedit, in Verum quod mediate; quod Moscheh et Aharon sint in sensu repraesentativo illa vera, videatur n: 7009. 7010. 7382.

8530. Accipe urnam unam, quod significet Verum, constat ex significatione urnae, quod hic sit Verum; quod urna sit Verum, est quia erat vas recipiens mannae, per quam significatur bonum, et omne verum est sicut vas boni; inde quoque per vasa in genere significantur vera, n: 3068. 3079. 3316. 3318, consequenter per vasa in specie, et hic per urnam. Quod Vera sint vasa recipientia boni, illustrari potest a variis in natura, ut a luce, quae est recipiens caloris e sole, per lucem etiam significatur verum, et per calorem in luce significatur bonum; similiter se habet verum et bonum; se quoque habet sicut vestis ad corpus et sicut corpus ad animam; se quoque habet sicut vas sanguineum et fibra ad inclusum sanguinem et animalem spiritum; se habet porro sicut pulmo ad cor, proinde sicut respiratio quae pulmonis ad pulsum qui cordis; verbo se habet sicut omnis forma organica corporis ad vitam inibi: ex comparativis his constare potest, quale est verum absque bono, seu qualis est fides absque charitate, quod nempe sit sicut formae organicae corporis absque vita; quod sit sicut respiratio pulmonum absque pulsu cordis, seu sicut pulmo absque corde; sitque sicut vas sanguineum et fibra absque sanguine et animali spiritu; tum sicut corpus absque anima; consequenter quod sit sicut inanimatum quid; et si loco boni sit malum quod sit sicut cadaver.

8531. Et da ibi plenitudinem omeris man, quod significet bonum inibi quantum continet, constat ex significatione plenitudinis omeris, quod sit quantum continet; et ex significatione man, quod sit bonum spirituale seu bonum veri, de qua n: 8462. 8464.

8532. Et repone illud coram Jehovah, quod significet quod sit in praesentia Divina, constat absque explicatione.

8533. Ad custodiam generationibus vestris, quod significet

ut sit mensura illis qui ab Ecclesia illa spirituali, constat ex significatione omeris man, qui ad custodiam reponebatur, quod sit quantum satis, de qua n: 8468, ita quoque mensura, nempe quantum boni huic Ecclesiae esset; quod generationes vestrae sint qui ab Ecclesia spirituali, videatur supra n: 8526. Quod mensuram seu gradum boni quod Ecclesiae, attinet, sciendum quod Bona in altera vita sint quoad quale et quoad quantum, et quod apud unumquemvis definiantur cum vivit in mundo, definiuntur secundum quale et quantum cujusvis fidei et charitatis in vita: quale et quantum boni cujusvis in altera vita patet coram Angelis, cum Dominus hoc concedit, nam sisti potest videndum in luce coeli, non autem in luce mundi; similiter in communi, nempe bonum Ecclesiae: quantum et quale boni quod cuivis et Ecclesiae, repraesentatur per pondera et per mensuras in Verbo, hic quantum boni Ecclesiae spiritualis, quae repraesentatur per filios Israëlis, per omerem mannae, quae reponebatur ad custodiam coram Jehovah.

8534. Quemadmodum praecepit Jehovah ad Moschen, quod *significet* secundum mandatum, constat ex significatione praecipere, cum a Jehovah, quod sit mandatum, ut supra n: 8466. 8524.

8535. Et reposuit illud Aharon coram Testimonio ad custodiam, quod significet quod in praesentia Divini, constat ex significatione reponere ad custodiam, quod sit in memoriale, ut supra n: 8526 fin: 8533; et ex *significatione* coram Testimonio, quod *sit in* praesentia Divini; quod Testimonium sit Divinum, patet a praecedentibus, ubi dicitur a Moscheh ad Aharonem, « *quod reponeret illud coram Jehovah,* » n: 8532, ita coram Divino: quod Testimonium sit Divinum, est quia per Testimonium intelligitur in universali sensu Verbum, et quia Verbum est Verum Divinum, ita Dominus; Qui quod sit Verbum, patet apud Johannem, « In principio erat *Verbum*, et *Verbum* erat apud Deum, et *Deus erat Verbum:* et *Verbum caro factum est*, et habitavit in nobis, » I: 1. 14: quod Testimonium sit Dominus quoad Divinum Verum, constat ex Arca in qua Lex e Sinai lata, quae Testimonium vocatur; quod ex eo fuerit omnis sanctitas Tabernaculo; et quod Testimonium fuerit *ipsum* sanctum Divinum, patet ex eo, quod supra illud

esset Propitiatorium cum Cherubis, proxime extra velum ibi essent mensae aureae cum panibus, et cum lucernis; et quod sanctissimum cultus ibi ab Aharone ministraretur; tum quod Jehovah postea cum Moscheh loqueretur ibi supra Propitiatorium inter duos Cherubos, ita ex Testimonio, de quibus videatur Exod: XXV: 16. 21. 22. Cap: XL: 20.

8536. Vers: 35. 36. *Et filii Israëlis comederunt Man quadraginta annis, usque ad venire illos ad terram habitatam; Man comederunt usque ad venire illos ad terminum terrae Canaanis. Et Omer decima pars ephae illud.* Et filii Israëlis comederunt Man quadraginta annis, significat appropriationem boni veri in statu omnium tentationum: usque ad venire illos ad terram habitatam, significat antequam venirent ad coelum ubi bonum ubivis: Man comederunt usque ad venire illos ad terminum terrae Canaanis, significat quod appropriatio boni ex vero illis fuisset usque dum ad regionem coeli venirent: et omer decima pars ephae, significat boni quantum tunc.

8537. Et filii Israëlis comederunt man quadraginta annis, quod significet appropriationem boni veri in statu omnium tentationum, constat ex repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198; ex significatione comedere, quod sit appropriatio, de qua n: 3168. 3513 fin: 3596. 4745; ex significatione man, quod sit bonum veri, de qua n: 8464; et ex significatione quadraginta annorum, quod sint status tentationum, quod anni sint status, videatur n: 482. 487. 488. 493. 893; et quod quadraginta sint tentationes, n: 730. 862. 2272. 2273. 8098.

8538. Usque ad venire illos ad terram habitatam, quod significet antequam venirent ad coelum, ubi bonum ubivis, constat ex significatione terrae, hic terrae Canaanis, quod sit Regnum Domini, ita Coelum, de qua n: 1607. 3038. 3481. 3705. 3686. 4240. 4447. 5136; coelum dicitur terra habitata a bono, nam habitatum significat vivum ex bono, n: 2268. 2451. 2712. 3613. 8269. [51] 8309.

8539. Man comederunt usque ad venire illos ad terminum terrae Canaanis, quod significet quod appropriatio boni ex vero illis fuisset usque dum ad regionem coeli venirent, constat ex

significatione man, quod sit bonum veri; ex significatione comedere, quod sit appropriatio, ut mox supra n: 8537; ex significatione terrae Canaanis, quod sit coelum, ut supra n: 8538; ita terminus terrae Canaanis est introitus ad coelum, seu regio ubi coelum incipit: ex his patet, quod per man comederunt usque ad venire illos ad terminum terrae Canaanis, significetur quod appropriaretur illis bonum veri usque ad regionem coeli. Quomodo cum his se habet, patet ex illis, quae prius dicta sunt de acquisitione boni per verum, quod nempe ante regenerationem omne bonum comparetur per verum, at post regenerationem quod ducatur homo a Domino per bonum; quodque prior status significetur per sex dies qui praecedunt septimum, et quod posterior status significetur per diem septimum seu sabbathum: inde quoque patet, quod prior status repraesentatus sit per profectiones filiorum Israëlis in deserto quadraginta annis, et quod posterior status repraesentatus sit per introductionem illorum in terram Canaanem; nam cum his ita se habet, homo extra coelum est quamdiu ex vero agit et non ex bono, et tunc in coelum venit cum ex bono, agitur enim tunc a Domino secundum ordinem coeli; in quem non venit, proinde non in coelum, ubi est ordo, priusquam praeparatus est, quod fit ad bonum per verum; de utroque hoc statu videantur quae supra n: 7923. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516, ostensa sunt.

8540. Et omer decima pars ephae, quod significet boni quantum tunc, constat ex significatione omeris, quia erat decima pars ephae, quod sit quantum satis; per decem enim significatur plenum, n: 3107, inde per decimam partem quantum satis, n: 8468; et ex significatione ephae, quod sit bonum: quod Ephah sit bonum, est quia per illam et per Chomerem mensurabantur sicca, quae inserviebant cibo, sicut triticum, hordeum, similago, et per illa quae cibi sunt, significantur bona; et per bathum et per hin mensurabantur liquida, quae inserviebant potui, inde per has mensuras significantur vera; continens hanc significationem accipit a contento. [52] Quod Ephah pro mensura fuerit, patet ex his locis; apud Moschen, „*Ephah justitiae*, et Hin justitiae erit vobis,“ Levit: XIX: 36. Apud Ezechielem, „*Ephae et Bathi mensura una*, quia decima Chomeris *Ephah*,“ XLV: 11. Apud Eundem, „Lances justitiae,

et *Ephah justitiae*, et Bath justitiae, erit vobis," XLV: 10, pariter pro mensura apud Amos, Cap: VIII: 5. Quod Ephah sit bonum, patet ex locis ubi de Mincha agitur, ad quam farina seu similago definiebatur *per epham*, ut Levit: V: 11. Num: V: 15. Cap: XXVIII: 5. Ezech: XLV: 24. Cap: XLVI: 7. 11; et mincha significat bonum: et quoque ex hoc apud Sachariam, „Angelus loquens in me, dixit ad me, tolle quaeso oculos, quid exit hoc; et dixi, quid hoc, dixit, *haec Ephah exiens;* dixit porro hoc oculus eorum in omni terra: et ecce talentum plumbi sublatum est, simulque mulier haec *sedens in medio Ephae:* tum dixit haec malum, et *projecit illam in medium Ephae*, et projecit lapidem plumbi super os ejus: et sustuli oculos meos et vidi, cum ecce duae mulieres exeuntes, et ventus in alis illarum; illis alae binae sicut alae ciconiae; et *sustulerunt Epham* inter terram et inter coelum; et dixi ad angelum loquentem in me, *quo illae abducunt Epham;* qui dixit ad me, ad aedificandum illi domum in terra Schinear; et praeparabitur, et manebit ibi super sede sua," V: 5 ad 11; haec quid significant, nemo usquam scire potest, nisi ex sensu interno, et nisi inde sciat quid Ephah, quid Mulier in medio ejus, quid Lapis plumbi super os ephae, tum quid Schinear; ex evolutis singulis liquet, quod significetur prophanatio quae illo tempore in Ecclesia, per epham enim significatur bonum; per mulierem malum, ut aperte ibi dicitur; per lapidem plumbi falsum mali occludens, lapis enim est verum externum, et inde in opposito sensu falsum, n: 643. 1298. 3720. 6426, et plumbum est malum, n: 8298; ita per mulierem in medio ephae, super cujus ore lapis plumbi, significatur malum in bono occlusum falso, quod idem est cum prophano; nam prophanum est malum conjunctum bono, n: 6348; duae mulieres tollentes epham inter terram et coelum, sunt ecclesiae, n: 252. 253, per quas prophanum relegatum est; Schinear, quo mulier in ephah abducta, est cultus externus in quo intus prophanum, n: 1183. 1292.

Continuatio de Spiritibus et Incolis Telluris Jovis.

8541. *Quod cultum eorum Divinum attinet, principale est, quod agnoscunt Dominum nostrum pro Supremo, Qui regit coelum et terram, Illum vocant Unicum Dominum; et quia in vita corporis Ipsum agnoscunt et colunt, inde Ipsum quaerunt post mortem, ac inveniunt, est idem cum nostro Domino. Interrogati sunt, num sciant, quod Unicus Dominus sit Homo, responderunt quod sciant omnes, quod Homo sit, quia in orbe illorum a multis visus est ut Homo; et quod Ipse instruat illos de veritate, conservet illos, et quod det vitam aeternam illis qui credunt in Ipsum. Dicebant amplius, quod ab Ipso illis revelatum sit quomodo vivent et quomodo credent; et quod id quod revelatum est, a parentibus tradatur liberis, et quod ita emanet doctrina ad omnes familias, et sic in totam gentem quae ab uno patre. Addebant, quod videatur illis sicut habeant doctrinam mentibus suis inscriptam, quod concludunt ex eo, quia percipiunt illico et agnoscunt sicut ex se, num verum sit vel non, quod ab aliis de vita coeli apud hominem dicitur.*

8542. *Cavetur quam maxime, ne aliquis labatur in pravas opiniones de Unico Domino; et si animadvertunt quod aliqui incipiant de Ipso sinistre cogitare, primum admonent illum, dein per minas, et tandem per poenas absterrent: dixerunt, quod observaverint, si tale quid irrepit in aliquam familiam, quod illa tollatur e medio; non per aliquas poenas mortis a sodalibus, sed per privationem respirationis et inde vitae a spiritibus, postquam ii prius mortem illis denuntiaverunt: nam in illa tellure loquuntur spiritus cum illis, et castigant illos si malum fecerunt, et quoque si malum intenderunt facere, n:* 7801 *ad* 7812*: inde si male cogitant de unico Domino, si non resipiscunt denuntiatur illis mors; hoc modo conservatur ibi cultus Domini, Qui illis est supremum Divinum.*

8543. *Non sciunt quod unicus illorum Dominus natus sit homo in hac tellure; dicebant quod id scire non illis curae sit, modo quod Ipse Homo sit, et regat universum. Cum dicebam, quod in nostra Tellure Ille nominetur Christus Jesus, et quod*

Christus significet Unctum seu Regem, et Jesus Salvatorem, dicebant, quod Ipsum non colant ut Regem, quia regium sapit ex mundano; sed quod colant Ipsum ut Salvatorem: et quia e nostrae telluris spiritibus injiciebatur dubium, num unicus illorum Dominus esset idem cum nostro Domino, removebant illud per id, quod recordati sint, quod viderint Ipsum in Sole, et quod agnoverint quod Ipse esset quem viderant in sua tellure; de qua re videatur n: 7173: *quod noster Dominus sit Sol coeli, videatur n:* 1053. 3636. 3643. 4060. 4321 *fin:* 5097. 7078. 7083. 7171. 7173.

8544. *Spiritus telluris Jovis cum apud me per plures septimanas manserint, momento influebat dubium, num Unicus illorum Dominus esset idem cum nostro Domino; sed dubium hoc, quod momento influebat, momento etiam dissipabatur; influebat ex aliquibus spiritibus e nostra tellure; et tunc, quod miratus sum, tanto pudore, solum quod momento de illo dubitarent, suffusi sunt, ut dicerent ad me, ne hoc propalarem in hac tellure, ne ideo insimularentur alicujus incredulitatis; cum tamen nunc illi id sciant prae aliis.*

8545. *Erant apud Me spiritus e tellure Jovis, cum legerem* XVII *Cap: apud Johannem, de Domini amore, et de Ipsius Glorificatione; cumque audiverunt illa quae ibi, sanctum illos occupabat, et confessi quod omnia Divina ibi essent, at tunc spiritus nostrae telluris, qui infideles fuerunt, jugiter suggerebant scandala, dicendo, quod natus infans, vixerit homo, apparuerit sicut alius homo, quod crucifixus, et similia: sed spiritus telluris Jovis ad illa nihil attendebant; dicebant quod tales sint illorum diaboli, quos abhorrent; addentes, quod prorsus nihil coeleste insideat mentibus illorum, sed modo terrenum, quod vocabant scorias: et quod ita sit, quod comperti fuerint ex eo, quod, cum audirent quod in tellure sua ambularent nudi, illico tunc obscoenum occuparet cogitationes illorum, et quod prorsus nihil cogitarent de coelesti illorum vita, de qua etiam tunc audiverunt, n:* 8375.

8546. *Cum Spiritibus telluris Jovis quondam etiam loquutus sum de Domino, dicendo, quod nemo aliquod bonum facere possit a se, sed a Domino, Qui est Ipsum Bonum, proinde fons omnis boni; tunc modeste respondebant, quod autu-*

ment bonum posse facere ex se, nec aliter scire; sed cum illis ostensum est, quod omne bonum veniat unice a Domino, dicebant, quod illi humano more loquuti sint, et quod illud coelesti modo dictum, et quod illorum angeli ita cogitent, et quoque ipsi quantum angeli fiunt; adjiciebant, quod simplicius sit ita dicere; tunc respondere datum est, quod Dominus relinquat illis qui in simplicitate et innocentia vivunt, ita dicere, modo sciant quod nihil boni ab ipsis sed a Domino veniat.

8547. *Spiritus telluris Jovis maxime afficiebantur et gavisi sunt, cum audirent dictum, quod unicus Dominus sit Solus Homo, et quod omnes ab Ipso habeant ut homines dicantur; at quod tantum sint homines, quantum Ipsius imagines sunt; hoc est, quantum amant Ipsum, et amant proximum, ita quantum in bono sunt; nam Bonum amoris et fidei est imago Domini.*



EXODI

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Doctrina Charitatis.

8548. Qui non vitam spiritualem accipit, hoc est, qui non e novo generatur a Domino, non potest venire in coelum; quod docet Dominus apud Johannem, « Amen, amen, dico tibi, nisi quis generatur denuo, non potest videre Regnum Dei, » III: 3.

8549. Homo a parentibus non nascitur in vitam spiritualem, sed in vitam naturalem: vita spiritualis est amare Deum supra omnia, et amare proximum sicut seipsum; et hoc secundum praecepta fidei, quae Dominus in Verbo docuerat: vita autem naturalis est amare se et mundum prae proximo, imo prae Ipso Deo.

8550. Unusquisque homo nascitur in mala amoris sui et mundi a suis parentibus: omne malum, quod per habitum traxerat quasi naturam, derivatur in prolem; ita successive a parentibus, ab avis, et ab atavis, longa retro serie: inde derivatio mali tandem fit tanta, ut omne vitae propriae hominis non sit nisi quam malum. Derivatum [1] hoc continuum non frangitur et alteratur, quam per vitam fidei et charitatis a Domino.

8551. Quod homo ex haereditario trahit, ad hoc inclinat continue, et in hoc labitur: inde ipse confirmat apud se id malum, et quoque ex se superaddit plura.

8552. Haec mala sunt prorsus contraria vitae spirituali, destruunt illam; quapropter nisi homo a Domino, quoad vitam

spiritualem, e novo concipitur, e novo nascitur, et e novo educatur, hoc est, e novo creatur, est damnatus, nam nihil aliud vult, et inde nihil aliud cogitat, quam quod inferni est.

8553. Homo cum talis est, apud illum ordo vitae est inversus; quod dominari debet, hoc inservit, et quod servire debet, hoc dominatur: ille ordo apud hominem plane invertendus est, ut salvari possit: hoc fit per regenerationem a Domino.

CAPUT XVII.

1. Et profecti sunt omnis coetus filiorum Israëlis a deserto Sin, secundum profectiones suas ad os Jehovae; et castrametati sunt in Rephidim; et nulla aqua ad bibendum populo.

2. Et jurgatus populus cum Mosche, et dixerunt, date nobis aquam et bibamus; et dixit illis Moscheh, quid jurgamini mecum, quid tentatis Jehovam.

3. Et sitivit ibi populus aquas, et murmuravit populus contra Moschen, et dixit, quare hoc, ascendere fecisti nos ex Aegypto, ad faciendum mori me, et filios meos, et pecora mea, siti.

4. Et clamavit Moscheh ad Jehovam, dicendo, quid faciam populo huic, adhuc parum et lapidant me.

5. Et dixit Jehovah ad Moschen, transi ante populum, et accipe cum te de senioribus Israëlis, et baculum tuum, quo percussisti fluvium, accipe in manu tua, et vadas.

6. Ecce Ego stans ante te ibi super petra in Choreb, et percutias petram, et exibunt ex illa aquae, et bibat populus: et fecit ita Moscheh ad oculos seniorum Israëlis.

7. Et vocavit nomen loci Massah et Meribah, propter jurgium filiorum Israëlis, et propter tentare illos Jehovam, dicendo, num est Jehovah in medio nostri, si non.

8. Et venit Amaleck et pugnavit cum Israële in Rephidim.

9. Et dixit Moscheh ad Joschuam, elige nobis viros, et exi, pugna in Amalekum; cras ego consisto super capite collis, et baculus Dei in manu mea.

10. Et fecit Joschuah quemadmodum dixit illi Moscheh,

pugnando in Amalekum; et Moscheh, Aharon, et Chur, ascenderunt caput collis.

11. Et fuit, quando elevavit Moscheh manum suam, et praevaluit Israël, et quando dimisit manum suam, et praevaluit Amaleck.

12. Et manus Moschis graves, et sumserunt lapidem et posuerunt subter illum, et sedit super illo; et Aharon et Chur sustentabant manus illius, exhinc unus et exhinc unus; et fuit, manus illius firmae usque ad occidere solem. [2]

13. Et debilitavit Joschuah Amalekum et populum illius ad os gladii.

14. Et dixit Jehovah ad Moschen, scribe hoc memoriale in libro, et pone in auribus Joschuae, quod delendo delebo memoriam Amaleki de sub coelis.

15. Et aedificavit Moscheh altare, et vocavit nomen ejus Jehovah Nissi.

16. Et dixit, quia manus contra thronum Jah, bellum Jehovae in Amalekum a generatione generationem.

CONTENTA.

8554. In Capite praecedente in sensu interno actum est de Tertia Tentatione, quod deficeret bonum; quo illis dato, agitur in sensu interno in hoc Capite de Quarta Tentatione, quod deficeret Verum; haec Tentatio significatur per murmurationem filiorum Israëlis, quod non haberent aquam; quapropter datum est illis verum fidei a Domino, quod significatur per aquam ex petra Chorebi.

8555. Deinde agitur de pugna falsi ex malo contra verum et bonum fidei, illa repraesentatur per pugnam Amaleki contra Israëlem; quod illi qui in vero et bono fidei sunt vincant, cum spectant sursum ad Dominum, et quod succumbant cum spectant deorsum, repraesentatur per quod filii Israëlis vicerint, quamdiu Moscheh tenebat manus elevatas, et quod succubuerint quando demittebat illas.

SENSUS INTERNUS.

8556. Vers: 1. 2. 3. *Et profecti sunt omnes coetus filiorum Israëlis a deserto Sin, secundum profectiones suas ad os Jehovae; et castrametati sunt in Rephidim; et nulla aqua ad bibendum populo. Et jurgatus populus cum Mosche, et dixerunt, date nobis aquam et bibamus: et dixit illis Moscheh, quid jurgamini mecum, quid tentatis Jehovam. Et sitivit ibi populus aquas, et murmuravit populus contra Moschen, et dixit, quare hoc ascendere fecisti nos ex Aegypto ad faciendum mori me, et filios meos, et pecora mea siti.* Et profecti sunt omnis coetus filiorum Israëlis, significat progressivum vitae spiritualis: a deserto Sin, significat a statu tentationis quoad bonum: secundum profectiones, significat secundum vitae ordinem ad coeli vitam accipiendam: ad os Jehovae, significat ex Providentia Domini: et castrametati sunt in Rephidim, significat ordinationem interiorum ad subeundam tentationem quoad verum; ejus quale est Rephidim: et nulla aqua ad bibendum populo, significat defectum veri et inde recreationis: et jurgatus populus cum Mosche, significat querimoniam gravem contra Verum Divinum: et dixerunt, date nobis aquam, et bibamus, significat veri ardens desiderium: et dixit illis Moscheh, significat responsum per influxum in cogitationem: quid jurgamini mecum, significat ut moderatiores in querimonia sint: quid tentatis Jehovam, significat quod contra Divinum de cujus ope desperant: et sitivit ibi populus aquas, significat increscentiam desiderii ad verum: et murmuravit populus contra Moschen, significat indolentiae [3] gradum majorem: quare hoc ascendere fecisti nos ex Aegypto, significat cur liberati sumus ex infestationibus: ad faciendum mori me, et filios meos, et pecora mea, siti, significat [4] ut ex defectu veri exspiret omne vitae spiritualis.

8557. Et profecti sunt omnis coetus filiorum Israëlis, quod significet progressivum vitae spiritualis, constat ex significatione proficisci, quod sit vitae successivum et continuum, de qua n: 4375. 4554. 4585. 5996. 8181. 8345. 8397, hic successivum seu progressivum vitae spiritualis, hoc est, ejus incrementum, quod sit continue per tentationes: quod vita spiritualis per ten-

tationes crescat, est quia vera quae fidei per illas confirmantur, et cum bono quod charitatis conjunguntur: quod coetus filiorum Israëlis sint qui ab Ecclesia spirituali, videatur n: 7830. 7843.

8558. A deserto Sin, quod significet a statu tentationis quoad bonum, constat ex significatione deserti, quod sit status subeundi tentationes, de qua n: 6828. 8098; et ex significatione Sin, quod sit quale et status tentationis quoad bonum, de qua n: 8398.

8559. Secundum profectiones, quod significet secundum vitae ordinem ad coeli vitam accipiendam, constat ex significatione profectionum, quod sint progressivum vitae spiritualis, de qua mox supra n: 8557, ita vitae illius ordo, n: 1293: quod sit ad coeli vitam accipiendam, est quia ea vita donatur homini a Domino per tentationes, quae describuntur per profectiones filiorum Israëlis in deserto. Vita coeli est duci a Domino per bonum: ut ad illam vitam veniat homo, implantabitur bonum per verum, hoc est, charitas per fidem; quamdiu hoc fit, homo in via ad coelum est, sed nondum in coelo; utque tunc vera quae fidei confirmentur, et quoque conjungantur bono, mittitur homo in tentationes; nam hae sunt media conjunctionis boni et veri; cum itaque homo in bono est, hoc est, in affectione faciendi bonum propter bonum, ita propter proximum, tunc in coelum elevatur, est enim in ordine coeli, et per bonum a Domino ducitur: ex his constare potest quid intelligitur per vitam coeli.

8560. Ad os Jehovae, quod significet ex [5] Providentia Domini, constat ex significatione oris Jehovae, quod sit Verum Divinum secundum quod ducti, nam os Jehovae hic pro enuntiato Divino, et ductu secundum id accipitur, quod est Providentia. Providentia Divina ab omni alio ductu et auspicio differt in eo, quod Providentia continue spectet aeternum, et continuo ducat ad salutem, et hoc per varios status, nunc laetos, nunc tristes, quos homo nequaquam comprehendere potest, sed usque omnes conducunt ad vitam ejus in aeternum: haec significantur per profectiones ad os Jehovae: quod Jehovah in Verbo sit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2004. 2005. 2018.

2025. 2156. 2329. 2447. 2921. 3023. 3035. 5041. 5668. 6303. 6281. 6905.

8561. Et castrametati sunt in Rephidim, quod significet ordinationem interiorum ad subeundam tentationem quoad verum, et quod ejus quale sit Rephidim, constat ex significatione castrametari, quod sit ordinatio veri et boni ad subeundas tentationes, de qua n: 8130. 8131. 8155, hic ad subeundam tentationem quoad verum, quae repraesentatur per quod non haberent aquam, de quo sequitur: Ordinatio interiorum dicitur, quia verum et bonum interiora hominis Ecclesiae constituunt. Quod Rephidim significet quale illius tentationis, est quia nomina locorum significant quale status rei, de qua agitur, hic quale status tentationis quoad verum, quia de illa re hic agitur.

8562. Et nulla aqua ad bibendum populo, quod significet defectum veri et inde recreationis, constat ex significatione aquae, quod sit verum fidei, de qua n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668; et ex significatione bibere, quod sit instrui in veris fidei, et recipere illa, de qua n: 3069. 3772. 4017. 4018, hic recreari, nam sicut aqua et potus recreant vitam naturalem, ita vera et cognitiones veri vitam spiritualem; nam qui in vita spirituali est, desiderat sustentationem ejus a talibus quae vocantur cibi et potus coelestes, quae sunt bona et vera fidei, aeque ac qui in vita naturali sustentationem a talibus quae sunt cibi et potus naturales. Quod nunc agatur de Tentatione quoad verum, est quia mox prius actum est de Tentatione quoad bonum, post quam tentationem acceperunt mannam, per quam significatur bonum; cum enim homo donatur bono a Domino, tunc venit in desiderium veri, et hoc desiderium accenditur secundum defectum ejus; bonum enim jugiter appetit verum; omnis affectio genuina veri ex bono est; se habet hoc sicut cibus, quod is absque potu nequeat nutritioni esse vitae naturali, et quoque quod cibus appetat potum, cum quo conjungatur, ut inserviat usui: haec nunc causa est, cur Tentatio quoad Verum sequatur immediate Tentationem quoad bonum; tentatio aggreditur id quod amat et desiderat homo, n: 4274. 4299.

8563. Et jurgatus populus cum Mosche, quod significet querimoniam gravem contra verum Divinum, constat ex significatione jurgari, quod sit querimonia gravis, nam qui jurgatur

in tentatione, is graviter queritur; et ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum Divinum, de qua n: 6723. [6] 6752. 6771. 6827. 7014. 7010. 7089. 7382.

8564. Et dixerunt, date nobis aquam et bibamus, quod significet veri ardens desiderium, constat ex illis quae mox supra n: 8562, de significatione aquae et bibere, ostensa sunt.

8565. Et dixit illis Moscheh, quod significet responsum per influxum in cogitationem, constat ex significatione dicere, cum ex Vero Divino, quod repraesentatur per Moschen, quod sit responsum; et quia omne responsum a Divino fit per influxum, et quidem in cogitationem, ideo illa significantur.

8566. Quid jurgamini mecum, quod significet ut moderatiores sint in querimonia, constat ex significatione jurgari, quod sit gravis querimonia, ut supra n: 8563; quod etiam sit ut moderatiores sint, involvitur, nam dicitur, quod per id tentent Jehovam.

8567. Quid tentatis Jehovam, quod significet quod contra Divinum, de cujus ope desperant, constat ex significatione tentare Jehovam, quod sit contra Divinum queri; quod sit usque ad desperationem de Ipsius ope, est quia querimoniae in tentationibus tale involvunt; tentationes enim sunt continuae desperationes de salute, principio leves, sed successu graves, usque ut postremo sit dubitatio paene negativa de praesentia Divini ac Ipsius ope; vita spiritualis ad hoc extremum in tentationibus ut plurimum perducitur, sic enim exstinguitur vita naturalis, nam tunc intimum, in media desperatione, tenetur a Domino in pugna contra falsum; quare etiam desperatio illa mox dissipatur per solatia quae dein insinuantur a Domino, nam post omnem tentationem spiritualem consolatio et quasi novum vitae; quod tentationes perducantur usque ad desperationem, videatur n: 1787. 2694. 5279. 5280. 7147. 7155. 7166. 8165; et quod post tentationes consolatio, n: 3696. 4572. 5246. 6829. [7] 8367. 8370 fin.

8568. Et sitivit ibi populus aquas, quod significet increscentiam desiderii ad verum, constat ex significatione sitire, quod sit appetere et desiderare, et quod praedicetur de vero, sicut esurire de bono; et ex significatione aquae, quod sit verum fidei, de qua supra n: 8562; quod sitire sit appetere et deside-

rare, nempe verum, quod significatur per aquam, patet manifeste ex pluribus locis in Verbo, ut apud Amos, „Ecce dies venturi, quibus immittam *famem* in terram, non famem ad panem, *neque sitim ad aquas,* sed *ad audiendum verba Jehovae;* et vagabuntur a mari ad mare, et a septentrione usque ad orientem; et *discursitabunt ad quaerendum verbum Jehovae*, nec invenient: in die illo deficient virgines pulchrae et juvenes siti," VIII: 11. 12. 13; desiderium sciendi verum describitur hic per sitire; desiderium ad verum significatur per immittam non sitim ad aquas, sed ad audiendum verba Jehovae; defectus veri et inde privatio vitae spiritualis describitur per in die illo deficient virgines pulchrae et juvenes siti, virgines pulchrae sunt qui in affectionibus boni, et juvenes qui in affectionibus veri. Apud Esaiam, „Heu *omnis sitiens ite ad aquas,* et cui non argentum, ite, emite, comedite, ite et emite sine argento et sine pretio *vinum* et *lac*," LV: [1.] 2, omnis sitiens ite ad aquas, manifeste pro desiderante vera fidei; emere sine pretio vinum et lac, pro comparare sibi a Domino, ita gratis verum et bonum fidei, quod aquae sint verum fidei, videatur supra n: 8562, quod vinum sit bonum fidei, n: 6377, et quoque lac, n: 2184; quod hic per ire ad aquas, et emere vinum et lac, non vinum et lac intelligantur, sed talia quae sunt coeli et Ecclesiae, cuivis potest constare: pariter apud Johannem, „*Ego sitienti dabo ex fonte aquae vitae gratis*," Apoc: XXI: 6, fons aquae vitae pro vero et bono fidei; *sitiens* pro desiderante ex affectione, secundum Domini verba, apud Johannem, „Jesus dixit mulieri Samaritidi, omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; *qui vero bibit ex aqua quam Ego dabo ei, non sitiet in aeternum;* sed *aqua quam Ego dabo,* fiet in eo fons aquae [8] salientis in vitam aeternam," IV: 13. 14; aqua hic manifeste pro vero fidei e Verbo, ita a Domino; non sitire hic pro quod non amplius deficiet ei verum: similiter alibi apud Johannem, „Jesus dixit, Ego sum panis vitae, qui venit ad Me, non esuriet; *et qui credit in Me, non sitiet in aeternum,*" VI: 35: et apud Eundem, „Jesus clamavit, dicens, *si quis sitiverit,* venito ad Me, et *bibito;* quisquis credit in Me, sicut dixit Scriptura, *flumina e ventre illius fluent aquae viventis,*" VII: 37. 38, sitire pro desiderare verum, bibere pro instrui; flumina aquae viventis

pro Divino Vero quod ex Domino solo. Apud Esaiam, „*Obviam sitienti adferte aquas*, habitatores terrae Thema, cum pane ejus praevenite vagabundum," XXI: 14, obviam sitienti adferre aquas, pro instruere desiderantem in veris, et sic recreare vitam ejus animae. Apud Eundem, „Stultus stultitiam loquetur, et cor illius faciet iniquitatem, ad faciendum hypocrisin, et ad loquendum contra Jehovam errorem, ad evacuandum animam *esurientis*, et *potum sitientis deficere faciat*," XXXII: 6, esuriens pro desiderante bonum, et potum sitiens pro desiderante verum. Apud Eundem, „Pauperes et egeni *quaerentes aquam*, sed non; *lingua illorum siti deficit*: aperiam super clivis *fluvios*, et in medio vallium *fontes* ponam, desertum in *stagnum aquarum*, et *terram siccam in scaturigines aquarum*," XLI: 17. 18; quod quaerere aquam sit quaerere verum, quod deficere siti sit privari vita spirituali ex defectu veri, quod fluvii, fontes, stagnum et scaturigines aquarum, sint vera fidei, in quibus instruendi, cuivis evidenter patet. Apud Eundem, „Dicite, redemit Jehovah servum suum Jacobum; *tunc non sitient*, in vastitatibus ducet illos; *aquas e petra effluere faciet illis*, et *findet petram*, ut *effluant aquae*," XLVIII: 20. 21, non sitient pro quod non deficient illis vera, aquae hic manifeste pro veris fidei. Apud Eundem, „Non *esurient*, *neque sitient*, neque percutiet illos aestus aut sol; nam miserescens illorum ducet illos; ita ut etiam *super scaturiginibus aquarum* ducturus sit illos," XLIX: 10, non esurient pro quod non deficiet illis bonum; non sitient pro quod non deficiet illis verum; scaturigines aquarum pro cognitionibus veri ex Verbo. Similiter apud Moschen, „Jehovah ducens te per desertum magnum et formidabile, serpentis, praesteris, et scorpionis, et *sitis*, *ubi non aquae*, qui *educens tibi aquas e petra scopuli*," Deut: VIII: 15. Apud Esaiam, „Ecce Deus vester veniet, *tunc erumpent in deserto aquae*, et *fluvii* in planitie deserti; et erit *aridus locus in stagnum, et siticulosus in scaturigines aquarum*," XXXV: 4. 6. 7; aquae in deserto, quae erumpent, fluvii, stagnum, scaturigines aquarum, manifeste pro veris fidei et cognitionibus illorum, quae a Domino cum venturus in mundum. Apud Davidem, „Deus, Deus meus, mane quaero Te, *sitit anima mea Te*, desiderat Te caro mea, in terra siccitatis,

et *lassus sine aquis*," Psalm: LXIII: 2, ibi sitire praedicatur de vero, lassus sine aquis pro quod non vera. Sitis pro defectu veri et inde privatione vitae spiritualis, apud Esaiam, „Propterea exulabit populus meus ob non agnitionem, et gloria ejus homines [9] famis, et *multitudo ejus sicca siti*," V: 13. Apud Eundem, „Pono *fluvios* in desertum, putrescit piscis illorum, *eo quod non aqua*, et *morietur siti*," L: 2. Ex his nunc constare potest quid significatur in hoc Capite, *per quod „nulla aqua ad bibendum populo*," Vers: 1. Per quod dicerent, *date nobis aquam et bibamus*, Vers: 2: *per sitivit ibi populus aquas*, Vers: 3; *quod exirent e petra aquae*, Vers: 6, consequenter quod per murmurationem illorum propter defectum aquae, significetur tentatio ex defectu veri; cum enim homo in tentationem venit ex defectu veri, tunc tenetur vehementer in desiderio ejus, et simul in desperatione de salute aeterna propterea; haec faciunt indolentiam tunc et querimoniam.

8569. Et murmuravit populus contra Moschen, quod significet indolentiae gradum majorem, constat ex significatione murmurare, quod sit indolentia ex tentationis acerbitate, de qua n: 8351; quod indolentiae gradus major sit, patet ex verbis Moschis, cum clamavit ad Jehovam, „*adhuc parum et lapidant me*," Vers: 4.

8570. Quare hoc ascendere fecisti nos ex Aegypto, quod significet cur liberati sumus ex infestationibus, constat ex significatione ascendere facere, seu educere, quod sit liberare; et ex significatione Aegypti, quod sint infestationes, de qua n: 7278, per Aegyptios enim significantur qui infestant illos qui ab Ecclesia in altera vita, n: 6854. 6914. 7474. 7828. 7932. 8018. 8099. 8159. 8321.

8571. Ad faciendum mori me, et filios meos, et pecora mea, siti, quod significet ut ex defectu veri exspiret omne vitae spiritualis, constat ex significatione mori, quod sit exspirare, hic quoad vitam spiritualem; et ex significatione me, filios meos, et pecora mea, quod sit omnia vitae spiritualis; per *me* enim seu per hominem Ecclesiae significatur bonum charitatis, et fidei, per filios vera interiora fidei, et per pecora vera exteriora ex quibus bonum, ita omnia quae sunt vitae spiritualis, nam vita spiritualis consistit ex bono charitatis et fidei, et ex vero fidei

interno et externo; quod homo sit bonum, videatur n: 4287; quod filii sint vera fidei, n: 489. 491. 533. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704; et quod pecora sint vera ex quibus bonum, n: 6016. 6045. 6049; et ex significatione sitis, quod sit defectus veri, de qua mox supra n: 8568 fin:

8572. Vers: 4. 5. 6. *Et clamavit Moscheh ad Jehovam, dicendo, quid faciam populo huic, adhuc parum et lapidant me. Et dixit Jehovah ad Moschen, transi ante populum, et accipe cum te de senioribus Israëlis, et baculum tuum quo percussisti fluvium, accipe in manu tua, et vadas. Ecce Ego stans ante te ibi super petra in Choreb, et percutias petram, et exibunt ex illa aquae, et bibet populus: et fecit ita Moscheh ad oculos seniorum Israëlis.* Et clamavit Moscheh ad Jehovam, dicendo, significat lamentationem interiorem ac intercessionem: quid faciam populo huic, significat pro illis qui in querimonia tam gravi ob non receptionem veri: adhuc parum et lapidant me, significat quod non procul sit quin Vero a Divino violentiam inferant: et dixit Jehovah ad Moschen, significat opem: transi ante populum, significat ut ducat et doceat illos: et accipe cum te de senioribus Israëlis, significat ex primariis veris: et baculum tuum, quo percussisti fluvium, significat potentiam Divinam per quam dissipata sunt falsa: accipe in manu tua et vadas, significat quod illa instructus mandatum perficiat: ecce Ego stans ante te ibi super petra in Choreb, significat Dominum quoad fidei vera: et percutias petram, significat ut instent rogare Ipsum: et exibunt [ex illa] aquae, significat quod ab Ipso vera fidei: et bibat populus, significat quae recreabunt illos, et vitam spiritualem dabunt: et fecit ita Moscheh ad oculos seniorum Israëlis, significat effectum per primaria vera.

8573. Et clamavit Moscheh ad Jehovam, quod significet lamentationem interiorem, et intercessionem, constat ex significatione clamare, cum de ope Divina, quam populus ex gravi indolentia flagitabat, quod sit lamentatio interior, ut quoque prius n: 7782; atque intercessio, ut n: 8179. Quia per clamavit Moscheh ad Jehovam, significatur intercessio a Divino Vero, quod per Moschen repraesentatur, paucis dicendum, quid sit intercessio, et quomodo cum illa se habet: qui non sciunt, quid intercessio, non aliam sibi ideam de illa sistere possunt,

quam quod Dominus continue oret Patrem, et intercedat pro peccatore, qui devote supplicat et poenitentiam pollicetur; imo simplices cogitant, quod Dominus sedeat apud Patrem, et loquatur cum Ipso de peccatore, et quod roget Ipsum, ut det illum sibi, ut sit in Regno suo, et potiatur felicitate aeterna; talem ideam habent perplures de Intercessione, de qua in Verbo, ubi dicitur, quod Dominus rogabit Patrem suum pro illis: sed quis non videre potest, quod haec dicta sint secundum ideas cogitationis humanae; nam unusquisque illo tempore, sicut et perplures hodie, non aliter potuerunt cogitare de Regno coelesti, quam sicut cogitant de Regno terrestri, ab hoc enim capitur idea de illo; ut manifeste patet ab ipsis Apostolis Domini, Jacobo et Johanne, qui petierunt ut unus sederet a dextris, alter a sinistris in Regno Ipsius, Marc: X: 35. 36. 37; et quoque a *reliquis Apostolis*, inter quos quia contentio facta est, quis illorum major futurus est in Regno Domini, quibus Dominus ideo dixit, quod „ comederent et biberent super mensa sua in Regno suo, et quod sederent super thronis judicantes duodecim Tribus *Israëlis*," Luc: XXII: 24. 30, proinde quod regnarent cum *Ipso*: haec quod secundum ideam ac ita secundum captum illorum dicta sint, et quod significent in interiori sensu aliud, quod non ita tunc potuit propalari, patet; quid duodecim throni, super quibus Apostoli, significant, videatur n: 2129. 6397. Cum Intercessione ita se habet; in omni amore est Intercessio, proinde in omni Misericordia, nam Misericordia est amoris: quod qui amat aut qui miseretur continue intercedat, constare potest ab exemplis; Maritus qui amat uxorem, vult ut ab aliis benigne recipiatur, utque ei benefiat, hoc non apertis verbis dicit, sed continue id cogitat, proinde id continue tacite rogat, et pro illa intercedit; similiter faciunt parentes pro liberis suis quos amant; pariter qui in charitate sunt, ita faciunt pro proximo; et qui in amicitia pro amico: ex his constare potest, quod Intercessio insit omni amori jugiter: similiter se habet cum Intercessione Domini pro Humano Genere, et in specie pro illis qui in bono et vero fidei sunt; nam erga illos est Divinus, hoc est, Infinitus Amor, et est Divina, hoc est, Infinita Misericordia; nec orat Patrem pro illis, et sic intercedit, nam hoc foret prorsus humano more agere, sed continue excusat, et continue remittit,

nam continue miseretur, et hoc fit apud Ipsum Dominum, nam Dominus et Pater unum sunt, Joh: XIV: 8 ad 12. Arcanum quod adhuc interius latet in Verbo intercessionis, etiam dicetur; Divinum Verum, quod procedit a Domino, intercedit tali modo continue, quia procedit a Divino Amore; Dominus cum in mundo fuit, Divinum Verum fuit, at cum glorificatus est, quod factum cum resurrexit, Divinum Bonum est, n: 7499; Divinum Bonum est, quod in Verbo in sensu interno intelligitur per Patrem, et Divinum Verum per Filium, n: 2803. 3704. 7499; et quia inest Divino Vero, quod procedit a Divino Bono, Intercessio continua, ideo dicitur quod Filius roget Patrem, et intercedat pro homine: hoc capi potuit ab homine, ast illud aegre.

8574. Quid faciam populo huic, quod significet pro illis qui in querimonia tam gravi ob non receptionem veri, constat ex significatione quid faciam populo huic, quod involvat talia; nam per jurgium populi contra Moschen significatur querimonia gravis, n: 8563. 8566; et per quod nulla aqua illis ad bibendum, significatur defectus veri, n: 8562. 8568.

8575. Adhuc parum et lapidant me, quod significet quod non procul sit quin Vero a Divino violentiam inferant, constat ex significatione adhuc parum, quod sit quod non procul sit; et ex significatione lapidare, quod sit punitio propter violationem veri quod cultus, de qua n: 7456, hic in opposito sensu violentiam inferre Vero a Divino, quod per Moschen repraesentatur; quod Moscheh sit Verum a Divino, saepius ostensum est.

8576. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet opem, constat ex significatione dicere, quod involvat sequentia, hic quod darentur Vera, de quorum defectu tam graviter questi sunt, quae significantur per aquam e Chorebo; ita dicere hic involvit opem.

8577. Transi ante populum, quod significet ut ducat et doceat illos, constat ex significatione transire ante, quod sit ducere, ita quoque docere, nam qui docet, spirituali modo ducit; et ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui hic sunt populus, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua saepius.

8578. Et accipe cum te de senioribus Israëlis, quod significet ex primariis veris, constat ex significatione seniorum Israëlis, quod sint primaria sapientiae et intelligentiae, quae concor-

dant cum bono et cum vero, de qua n: 6524. [10] 6525. 6890. 7912; ita primaria vera, nam haec sunt intelligentiae et sapientiae.

8579. Et baculum tuum quo percussisti fluvium, quod significet potentiam Divinam, per quam dissipata sunt falsa, constat ex significatione baculi, quod sit potentia, de qua n: 4013. 4015. 4876. 4936. 6947. 7011. 7026, hic potentia Divina, quia per Moschen, cui baculus, repraesentatur Dominus quoad Divinum Verum; et ex significatione fluvii, hic fluvii Aegypti, quod sit falsum, de qua n: 6693: [11] quo percussisti fluvium dicitur, ob causam ut significetur dissipatio falsi, nam per potentiam Divinam, qua Verum datur, etiam dissipantur falsa; verum quod datur, significatur per aquam ex petra in Chorebo.

8580. Accipe in manu tua et vadas, quod significet quod illa instructus mandatum perficiat, constat ex significatione accipere in manu, nempe baculum, quod sit instrui potentia illa: quod vadas, sit perficere mandatum, constat absque explicatione.

8581. Ecce Ego stans ante te ibi super petra in Chorebo, quod significet Dominum quoad fidei vera, constat ex significatione Petrae, quod sit fides, hic fides a Domino, seu Dominus quoad fidem, nam dicit Jehovah, hoc est, Dominus, ecce Ego stans super petra; et ex significatione Chorebi, quod sit Lex Divina; inde per illa verba significatur Dominus quoad fidei vera, quae ex Lege Ipsius seu Verbo. Quod Petra sit Dominus quoad fidem, ac respective ad hominem quod sit fides quae a Domino, constat ex pluribus locis in Verbo; ut apud Moschen, „*Date* [12] *magnitudinem Deo nostro, Petra,* cujus perfectum opus: equitare [13] fecit illum super excelsis terrae, et cibavit proventu agrorum, *sugere fecit illum mel e rupe, et oleum e saxo petrae:* sed cum pinguis factus Jeschurun, recalcitravit, deseruit Deum, Qui fecit illum, et *vilipendit Petram salutis suae: Petram, quae genuit te,* oblivioni dedisti; et oblitus es Dei formatoris tui: *Petra illorum* vendidit illos, et Jehovah conclusit illos; *non enim sicut Petra nostra petra illorum:* quando dicitur, ubi dii illorum, *Petra cui confisi fuerunt,*" Deut: XXXII: 3. 4. 13. 15. 18. 30. 31. 37; ex his patet, quod sit Jehovah, hoc est, Dominus, qui vocatur Petra; quod [14] sit Jehovah seu

Dominus quoad fidem, ex singulis ibi in sensu interno liquet. Apud Danielem, „Videns fuisti, *usque dum excisus est lapis,* qui non per manus, et percussit statuam super pedes ejus, qui ferrum et argilla, et contrivit illos: tunc contrita sunt simul ferrum, argilla, aes, argentum, et aurum, factaque sunt sicut palea, de areis [15] aestatis; ita ut abstulerit ea ventus, et ullus locus non inventus sit illis: *Lapis autem qui percussit statuam, factus est in Petram magnam*, et implevit omnem terram: surgere faciet Deus coelorum Regnum, quod in saecula non perdetur: etiam Regnum Ipsius populo alii non permittetur, conteret et consumet omnia ista regna, ipsum autem stabit in saecula; propterea quod vidisti *quod de Petra excisus est Lapis*, qui non per manus, et contrivit ferrum, aes, argillam, argentum, et aurum," II: 34. 35. 44. 45; agitur hic de Domino ac Ipsius Regno, et per Lapidem intelligitur fides, ac per Petram Dominus quoad fidem; quod illa per Lapidem et Petram significentur, patet ei qui expendit; lapis etiam in Verbo significat verum quod fidei, videatur n: 643. 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798. 6426; inde quoque Dominus quoad Divinum Verum vocatur Lapis Israëlis, n: 6426: quod Petra sit Dominus quoad verum fidei, est quia per Petram etiam intelligitur propugnaculum quod contra falsa, ipsum propugnaculum est verum fidei, nam ex illo pugnatur tam contra falsa quam contra mala. Ex his quoque constare potest, quod per Petram intelligatur Dominus quoad fidem, et quoque fides quae a Domino, in verbis quae Dominus loquutus est ad Petrum, apud Matthaeum, „Ego tibi dico, *tu es* [16] *Petrus, et super hac Petra aedificabo Ecclesiam meam;* et portae inferni non praevalebunt illi: et dabo tibi claves regni coelorum, et quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in coelis, et quicquid solveris in terra, erit solutum in coelis," XVI: 18. 19; quod Petra ibi sit Dominus quoad fidem, ac fides quae a Domino, et quod Petrus illam fidem repraesentet, videatur Praefat: ad Cap: XXII: Genes: tum n: 4738. 3750. 6000. [17] 6073 fin: 6344 fin: patet etiam unicuique, qui ex sana ratione cogitat, quod potestas aperiendi coelum et claudendi infernum pro bonis, ac aperiendi infernum et claudendi coelum pro malis, sit Solius Domini; et quod sit fidei est quia fides est a Domino, ita quoque est Domini, hoc

est, Ipse Dominus in illa; omnis potestas in altera vita etiam est per verum fidei ex bono, n: 4931. 6344. 6428. [18] 8200. 8304; qui ex ratione cogitat, etiam concludere potest, quod Ecclesia Domini non super aliquo homine, ita non super Petro, sed super Ipso Domino, ita super fide in Ipsum, aedificata sit. Ex his videri potest in quales et in quantos errores labuntur illi, qui stricte sensum literae Verbi premunt; et quam prone antistites Ecclesiae arripiunt quod talis potestas data sit Petro, et consequenter illis qui se ejus successores vocant, nam favet illorum amori, et quam aegre se persuaderi patiuntur quod aliud intelligatur, nam quisque sibi comparare summum potentiae vult: ex illis quoque patet, quam necessarium est, ut sciatur quid petra, quid claves, quid portae inferni, et perplura alia, in sensu interno significant. Quod Jehovah dicatur Petra, et quod tunc intelligatur Dominus quoad fidem, etiam ex multis aliis locis in Verbo constat, ut ex his sequentibus, quos adducere absque ulteriore explicatione licet; apud Esaiam, „Mittite Agnum Dominatoris terrae *de Petra versus desertum* ad Montem Sionis," XVI: 1. Apud Eundem, „Oblita es [Dei] salutis tuae, *et petrae refugii tui* non recordata es," XVII: 10. Apud Eundem, „Cadet Aschur gladio non viri, *etiam Petra ejus* prae formidine ejus transibit," XXXI: 9. Apud Eundem, „Cantent *habitatores petrae*, e capite montium clament," XLII: 11. Apud Eundem, „Attendite ad me sectantes justitiam, quaerentes Jehovam, *respicite ad Petram, e qua excisi estis*," LI: 1. Apud Jeremiam, „Relinquite urbes, et *habitate in petra*, habitatores Moabi," XLVIII: 28. Apud Eundem, „Ego contra te mons perdens, perdens universam terram, et extendam manum meam contra te, et *devolvam te de petris*, et dabo te in montem combustionis, nec sument de te *lapidem pro angulo*, aut *lapidem fundamentorum*," LI: 25. 26, de Babele. Apud Davidem, „Fecit ascendere me a fovea devastationis, e coeno luti, ac *constituit super petra pedes meos*," Psalm: XL: 3. Apud Eundem, „Ab extremitate terrae ad Te clamo, cum deficit cor meum, ad *petram altam a me ducis me*," Psalm: LXI: 3. Apud Eundem, „Cibavit illos ex adipe tritici, et *e petra melle saturavi illos*," Psalm: LXXXI: 17. Quia Petra significabat Dominum quoad fidem, ac fidem a Domino, ideo

etiam mirabilia facta sunt super petra, de quibus in Libro Judicum, „Angelus Jehovae dixit ad Gideonem, ut sumeret carnem et azyma, et *poneret super petra*, et jus effunderet, *et ascendebat ignis e petra*, et comedit carnem et azyma," VI: 20. 21; et alibi in eodem Libro, „Manoach pater Simsonis sumsit haedum caprarum, et *obtulit super petra;* tunc Angelus mirabiliter fecit, et ascendebat in flamma," XIII: 19. 20; quid haec significabant, constare potest, si ex sensu interno evolvitur, quid repraesentabat Gideon, et quid Manoach pater Simsonis; tum quid significabant caro et azyma, ac jus, ut et haedus caprarum, et ignis; omnia enim et singula repraesentabant et significabant. Ex significatione Petrae, quod sit fides, etiam sciri potest, quid intelligitur per quod Moscheh, cum videret Jehovam, poneretur in *foramine petrae*, Exod: XXXIII: 20. 21. 22. 23, per foramen enim petrae significatur obscurum fidei. Quod Petra in Chorebo, ex qua aquae, significet Dominum, in Ecclesiis notum est; sed quod significet Dominum quoad fidem, et quoque quod fidem a Domino, nunc ostensum est. Simile quod per petram in Chorebo, etiam significatur per haec apud Esaiam, „Dicite, redemit Jehovah servum suum Jacobum, tunc non sitiet, in vastitatibus ducet illos, *aquas e petra effluere faciet illis, dum findet petram ut effluant aquae,*" XLVIII: 20. 21. Quod aqua daretur populo non ex alia petra, quam ex illa in Chorebo, est [19] quia per Chorebum significatur Lex Divina; quod Lex Divina per Chorebum significetur, est quia ibi promulgata est Lex; et fides quae a Domino, est ex Lege Divina, hoc est, ex Verbo; per id enim Dominus docet quid fides, et quoque dat fidem.

8582. Et percutias petram, quod significet ut instent rogare Ipsum, nempe Dominum, constat ex significatione percutere, quod sit instare rogando, sed ex humili corde; quod percutere petram sit instanter rogare ex humili corde, constare potest ex eo, quod, quia Moscheh percussit petram ex duro corde, et sic expostulavit, ideo ei denuntiatum sit, ut non introduceret populum in terram Canaanem, sicut ipse memorat in Libro Numerorum, „Congregaverunt Moscheh et Aharon congregationem ante petram; et dixit illis, audite quaeso rebelles, num ex petra hac educemus vobis aquas: et sustulit Moscheh manum

suam, et percussit petram baculo suo duabus vicibus; nihilominus exiverunt aquae multae: tunc dixit Jehovah ad Moschen et Aharonem, propterea quod non credidistis in Me, et sanctificaveritis Me in oculis filiorum Israëlis, ideo non deducetis congregationem hanc in terram, quam dedi illis. » [XX: 10 ad 12.]

8583. Et exibunt ex illa aquae, quod significet quod ab Ipso vera fidei, constat a significatione petrae, ex qua exibunt aquae, quod sit Dominus quoad fidem, de qua mox supra n: 8581; [20] et ex significatione aquarum, quod sint vera fidei, de qua n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8568.

8584. Et bibat populus, quod significet quae recreabunt illos, et vitam spiritualem dabunt, constat a significatione bibere, quod sit instrui in veris fidei, et sic dare et recreare vitam spiritualem, de qua supra n: 8562.

8585. Et fecit ita Moscheh ad oculos seniorum Israëlis, quod significet effectum per primaria vera, constat ex significatione fecit ita Moscheh, quod sit effectus; et ex significatione seniorum Israëlis, quod sint primaria vera, de qua supra n: 8578. Quod prius dictum sit, quod Moscheh acciperet secum de senioribus Israëlis, et nunc quod fecerit ita ad oculos seniorum Israëlis, est quia fides datur per vera, et quidem per primaria, nam ex illis fit illustratio, ut vera inde fluentia, quae vocantur secundaria, clare percipiantur.

8586. Vers: 7. *Et vocavit nomen loci Massah, et Meribah, propter jurgium filiorum Israëlis, et propter tentare illos Jehovam, dicendo, num est Jehovah in medio nostri, si non.* Et vocavit nomen loci Massah, significat quale status tentationis: et Meribah, significat querimoniae quale: propter jurgium filiorum Israëlis, significat querimoniam ex gravitate tentationis usque ut prope succumberent: et propter tentare illos Jehovam, significat quod contra Divinum de cujus ope desperant: dicendo, num est Jehovah in medio nostri, significat quod prope crederent, quod Dominus non suis opem ferat.

8587. Et vocavit nomen loci Massah, quod significet quale status tentationis, constat ex significatione nominis et vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2628. 2724. 3006. 3421. 6674. 6887; et ex significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387.

4321. 4882. 5605. [21] 7381; quod [22] sit quale status tentationis est quia de Tentatione agitur; ejus status quale significatur per Massah; Massah etiam in Lingua originali significat tentationem: de quali ejus in nunc sequentibus dicetur.

8588. Et Meribah, quod significet querimoniae quale, constat ex eo quod Meribah in Lingua originali significet contentionem seu jurgium, et jurgium significat querimoniam, n: 8563. 8566; quia etiam nomina significant quale rei, n: 8587, ideo Meribah hic quale querimoniae. Quod ipsam hanc tentationem, et ejus quale, attinet, sciendum, quod hic describantur illi qui in tentationibus paene succumbunt, qui nempe queruntur contra coelum, et quoque contra Ipsum Divinum, et tandem paene non credunt Providentiam Divinam; haec significantur in sensu interno per illa quae praecedunt, et quoque per ea quae in hoc Versu sequuntur, et sunt quale status tentationis quod per Massah, et quale querimoniae in tentatione quod per Meribah significatur: quod hoc quale hic per Meribah significetur, patet apud Davidem, „In angustia invocasti Me, et eripui te, respondi tibi in occulto, *probavi te juxta aquas Meribah,*" Psalm: LXXXI: 8. At in sensu interno historico, in quo agitur de religioso apud gentem Israëliticam, describitur Gens illa qualis fuit erga Jehovam, quod nempe non voluerit supplicando rogare Ipsum de ope, sed quod expostulaverit: causa erat, quia Jehovam non agnoscebant pro summo Deo, corde, sed solum ore quando viderunt miracula: quod non corde Ipsum agnoverint, constat manifeste ex vitulo Aegyptiaco, quem sibi fecerunt et adoraverunt, dixeruntque quod illi sint dii sui; tum a frequenti illorum apostasia, de qua videatur n: 8301: haec sunt quae in sensu interno historico hic describuntur; in sensu autem interno spirituali describitur quale tentationis apud illos qui ad ultimum tentationis perducuntur, antequam liberantur. Quod quale gentis Israëliticae ac religiosi ejus describatur per contentionem cum Mosche ad Massah et Meribah, constat etiam apud Davidem, „Ne obturate cor vestrum *sicut in Meribah, sicut in die Massae, in deserto,* ubi tentarunt Me patres vestri; tentarunt Me, et viderunt opus meum: quadraginta annis *fastidivi in generatione;* et dixi, populus sunt errantes corde, iidemque non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea,

si venient ad requiem meam," Psalm: XCV: 8. 9. 10. 11. Apud Moschen, „Non tentabitis Jehovam Deum vestrum, *quemadmodum tentastis in Massah,*" Deut: [VI: 16.] IX: 22. 24. Apud Eundem, „De Levi dixit, Thumim tui et Urim tui, Viro Sancto, *quem tentasti in Massah, contendisti cum Eo apud aquas Meribah,*" Deut: XXXIII: [8.] 9, Vir Sanctus hic pro Domino, Quem tentaverunt, et Quem non sanctificaverunt Moscheh et Aharon: in sensu interno historico, in quo de religioso gentis [23] Israëliticae agitur, per Moschen et Aharonem non repraesentatur Verum Divinum, sed religiosum istius gentis, cujus duces et Capita erant, n: 7041; hoc religiosum quia tale fuit, ut supra dictum, etiam ideo illis denuntiatum est, quod non introducerent populum in terram Canaanem, de qua re ita in Libro Numerorum, „Dixit Jehovah ad Moschen et Aharonem, propterea quod non credidistis in Me, et sanctificavistis Me in oculis filiorum Israëlis, ideo non deducetis congregationem hanc in terram quam dedi illis; *hae aquae Meribah, quia contenderunt filii Israëlis cum Jehovah,*" XX: 12. 13. Cap: XXVII: 14: Et in eodem Libro, „Colligetur Aharon ad populum suum, et non veniet in terram, quam dedi filiis Israëlis, propterea quod rebellastis ori meo *apud aquas Meribah,*" XX: 24: „pariter Moscheh," Deut: XXXII: [50.] 51. Quod apud illam gentem usque Cultus Divinus repraesentativus institutus fuerit, erat causa, quia repraesentativus cultus potuit institui apud omnem gentem, quae externa cultus sancta haberet, et paene idololatrice coleret; nam repraesentativum non spectat personam, sed rem, n: 1361, et genius illius gentis prae omni alia gente fuit, prorsus colere externa, ut sancta et Divina absque omni interno; sicut adorare patres suos, Abrahamum, Jischakum, et Jacobum, ac postea Moschen et Davidem, ut numina, ac praeterea sanctum et ut Divinum habere et colere omnem lapidem et omne lignum, quod cultui illorum Divino inauguratum fuit, sicut arcas, mensas ibi, lampadem, altare, vestes Aharonis, urim et thummim, et postea templum: per talia dabatur eo tempore ex Providentia Domini communicatio angelorum coeli cum homine; nam oportet alicubi Ecclesia esse, seu repraesentativum Ecclesiae, ut sit communicatio coeli cum humano genere; et quia illa gens prae omni alia gente potuit in externis ponere cultum Divinum, et

sic agere repraesentativum Ecclesiae, ideo gens illa assumta est. Communicatio cum angelis in coelo per repraesentativa fiebat eo tempore hoc modo; cultus illorum externus communicabatur cum spiritibus angelicis, qui simplices sunt, et non ad interna reflectant, sed usque interius boni sunt; tales sunt qui in Maximo Homine correspondent cuticulis; hi prorsus non attendunt ad internum hominis, sed solum ad externum ejus; si hoc sanctum apparet, etiam illi sancte de illo cogitant; Angeli interiores coeli in his spiritibus videbant illa quae repraesentabantur, proinde coelestia et Divina quae correspondebant; nam apud hos potuerunt esse, et videre illa, non autem apud homines, nisi per illos; habitant enim angeli cum hominibus in interioribus, at ubi non interiora sunt, habitant in interioribus spirituum simplicium, nam angeli non sapiunt nisi spiritualia et coelestia, quae interiora sunt in repraesentativis; ex his paucis constare potest, quomodo dari potuerit communicatio cum coelo per talem populum: sed videantur quae de hac re prius ostensa sunt, nempe quod apud Judaeos sanctum cultus miraculose elevatum fuerit in coelum extra illos, n: 4307; quod posteri Jacobi sanctum potuerint repraesentare, qualescunque fuerunt, modo ritualia mandata stricte observarent, n: 3147. 3479. 3480. 3881 fin: 4208. [24] 4281. 4288. 4289. 4293. 4307. 4444. 4500. 4680. 4825. 4844. 4847. 4899. 4912. 6304. 6306. 7048. 7051. 8301 fin.

8589. Propter jurgium filiorum Israëlis, quod significet querimoniam ex gravitate tentationis usque ut prope succumberent, constat ex significatione jurgii, quod sit querimonia gravis, de qua n: 8563; quod sit ut prope succumberent, constat ex quali jurgii illorum, quod nempe paene lapidavissent Moschen, quod tentarent Jehovam, et quod dicerent num est Jehovah in medio nostri.

8590. Et propter tentare illos Jehovam, quod significet quod contra Divinum, de cujus ope desperant, constat ex illis supra n: 8567, ubi eadem verba.

8591. Dicendo, num est Jehovah in medio nostri, quod significet quod prope crederent quod Dominus non suis opem ferat, constat absque explicatione.

8592. Vers: 8. 9. *Et venit Amaleck, et pugnavit cum*

Israële in Rephidim. Et dixit Moscheh ad Joschuam, elige nobis viros, et exi, pugna in Amaleck, cras ego consisto super capite collis, et baculus Dei in manu mea. Et venit Amaleck, significat falsum ex interiori malo: et pugnavit cum Israële in Rephidim, significat quod aggressi cum tentationem gravem sustinebant: et dixit Moscheh ad Joschuam, significat influxum Divinum in Verum pugnans: elige nobis viros, significat ut vera in pugnam instruat: et exi, pugna in Amalekum, significat contra falsa ex interiori malo: cras ego consisto super capite collis, significat conjunctionem Veri Divini cum bono charitatis, et inde influxum: et baculus Dei in manu mea, significat quod inde potentia.

8593. Et venit Amaleck, quod significet falsum ex interiori malo, constat ex repraesentatione Amaleki, quod sit falsum ex interiori malo, de qua sequitur. Quinam et quales illi sunt qui in falso ex interiori malo, primum dicitur; interius malum est [19] quod intus latet apud hominem, reconditum in ejus voluntate, et inde in cogitatione, nec ejus vestigium apparet in externis, ut in actionibus, in loquela, inque facie; qui in tali malo sunt, student omni modo et arte occultare illud et recondere sub specie honesti et justi, et sub specie amoris proximi; et usque apud se non aliud cogitant, quam ut possint malum inferre, et quantum possunt per alios inferunt, cavendo tunc ne appareat quod ab illis, ipsum etiam malum infucant, ut non videatur sicut malum; jucundissimum vitae illorum est talia meditari, et in occulto moliri; hoc dicitur malum interius; qui in hoc malo sunt, vocantur mali genii, et in altera vita prorsus separati sunt ab illis qui in malo exteriori, et vocantur spiritus; illi, nempe mali genii infernum suum habent post hominem, hoc est, ad tergum ejus, ac ibi in variis cavernis; at mali spiritus infernum habent ante hominem, et quoque ad latera; Genii illi in Maximo Homine pertinent ad provinciam Cerebelli, et quoque ad illam partem Medullae spinalis, quae emittit fibras et nervos ad involuntaria. Quod ulterius falsum ex hoc malo attinet, non est sicut falsum ex malo malorum spirituum, nam in se est malum; qui in hoc malo sunt, non aggrediuntur vera fidei, sed bona fidei; agunt enim per affectiones pravas, per quas pervertunt cogitationes bonas, et hoc modo paene incom-

prehensibili: hi quia tales sunt, inferna illorum prorsus separantur ab infernis spirituum malorum, adeo ut vix communicationem habeant, et hoc ob causam ut separentur ab hominibus Ecclesiae spiritualis, nam si ab infernis suis influerent, actum foret de homine istius Ecclesiae, agerent enim occultissime in conscientiam, et illam perverterent, et hoc per pravarum affectionum insufflationes: infernales illi genii nusquam aggrediuntur aperte hominem, nec cum est in vigore resistendi, sed cum apparet quod homo in lapsu sit ut succumbat, tunc subito praesto sunt, et impellunt ut prorsus cadat: hoc quoque repraesentatur per quod Amaleck nunc invaserit Israëlem; et quoque postea, cum filii Israëlis opposuerunt se Jehovae, et timuerunt pro gentibus in terra Canaane; „*Descendit etiam tunc Amaleck* cum Canaanita *e monte*, et percusserunt filios Israëlis usque ad Chormah," Numer: XIV: 43. 45. Ex his constare potest, quales sunt qui repraesentantur per Amalekum, et cur judicium super illum a Jehovah, quod bellum erit contra illos perpetuo; et quod delebitur memoria illorum de sub coelo; secundum haec in ultimo Versu hujus Capitis, „Quia manus malorum contra thronum Jah, *bellum Jehovae erit in Amalekum a generatione in generationem;*" et in Deuteronomio, „Memento quod fecit tibi Amaleck in via cum exivisti ex Aegypto, quod occurrerit tibi in via, et *decaudaverit in te omnes infirmos, cum tu fessus et lassus*, nec timuit Deum: cum quietem dederit tibi Jehovah Deus tuus, *delebis memoriam Amaleki de sub coelo*, non obliviscaris," XXV: 17. 18. 19: tum in Libro I Samuelis, „Dictum est a Jehovah per Schemuelem Schaulo; *visitare constitui quod fecit Amaleck Israëli*, qui posuit huic in via cum ascenderet ex Aegypto; quare abi et percute Amalekum, et devotioni da omnia quae illi, nec parcas illi, sed occidas a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad lactentem, a bove usque ad pecudem, a camelo usque ad asinum. Sed Schaul pepercit regi Agago, et opimis gregis et boum, et secundae sorti, et arietibus, et omni egregio; ideo denuntiatum est Schaulo, quod ex illo non amplius esset rex super Israëlem," XV: 1 ad fin: quod deleretur memoria Amaleki, ac devotioni darentur omnia quae ibi, significabat, quod prorsus non communicarent genii mali cum illis qui ab Ecclesia spirituali, nam communicant cum

illis qui non in veris sunt, sed falsis favent ex affectione mala. Quis non videre potest, quod Jehovah absque causa, quae altius latet, nusquam dixerit, quod bellum esset in Amalekum in perpetuum, et quod deleretur memoria illius de sub coelo, quodque omnia quae ibi devotioni darentur; et quod usque tamen hoc non factum sit. Causa illa quae altius latuit; cur illa dicta sunt et facta, involvitur in verbis Schemuelis ad Agagum regem Amalekitarum, cui pepercit Schaul, « Agagus rex Amaleki ivit ad Schemuelem in delitiis; sed dixit Schemuel, quemadmodum orbavit mulieres gladius tuus, ita orba fiet prae mulieribus mater tua, et dissecuit illum Schemuel coram Jehovah, » I Sam: XV: 32; ire in delitiis significat adblandientia externa, quae talibus in praesentia aliorum; orbavit mulieres gladius tuus significat quod falsum illorum inferat violentiam affectionibus bonis; orba fiet prae mulieribus mater tua significat quod dominatura apud illos affectio mala ex voluntario et non ex intellectuali; et dissecuit illum Schemuel coram Jehovah, significat quod separati ab illis qui in falso ex malo ex intellectuali sunt, ita genii a spiritibus, ut supra dictum; quod mulieres sint affectiones, videatur n: 568. 6014. 8337; [25] quod gladius sit falsum pugnans et vastans, n: 2799. 4499. 7102.

8594. Et pugnavit cum Israële in Rephidim, significat quod aggressi cum tentationem gravem sustinebant, constat ex significatione pugnare, quod sit aggredi per falsa ex malo interiori, et ex significatione Rephidim, quod sit quale tentationis quoad verum, de qua n: 8561. Quid per haec intelligitur, constat ex illis quae nunc supra n: 8593 dicta sunt, quod nempe qui per Amalekum repraesentantur, in altera vita aggrediantur illos qui in tentatione sunt, cum in lapsu sunt paene ad succumbendum.

8595. Et dixit Moscheh ad Joschuam, quod significet influxum Divinum in Verum pugnans, constat ex significatione dicere, quod hic sit influxus, quia in Verum pugnans, quod repraesentatur per Joschuam; quod sit influxus Divinus, est quia per Moschen repraesentatur Divinum Verum, hoc est, Verum quod immediate a Domino procedit, hoc Verum, quia est pure Divinum, influit in vera fidei quaecunque, et facit ut vera sint; et ex repraesentatione Joschuae, quod sit Verum pugnans; quod

Joschuah sit Verum pugnans, constat ex eo, quod ei mandatum sit, ut pugnaret contra Amalekum, hoc est, contra falsa ex interiori malo; contra illud pugnabit Verum quod pugnans factum est per influxum Divini Veri; ipsum Verum Divinum quod a Domino immediate procedit, non est pugnans, sed est pacificum, nam est ipsa Pax, procedit enim a Divino Bono Divini Amoris Domini; sed hoc ut fiat pugnans, influit apud tales angelos, qui in ardente Zelo pro Vero et Bono sunt, et ex Zelo illo excitati pugnant; inde Verum pugnans quod repraesentatur per Joschuam. Quia hoc Verum per Joschuam repraesentabatur, ideo etiam ille factus est dux super filios Israëlis post Moschen, et introducebat illos in terram Canaanem, pugnabatque cum gentibus ibi: ideo quoque, cum in terram Canaanem venit, apparuit illi Angelus Jehovae cum gladio evaginato in manu, et se vocavit Principem exercitus Jehovae, Josch: V: 13. 14. 15: per gladium evaginatum in manu significatur Verum Divinum pugnans in sua potentia; quod gladius sit verum pugnans, videatur n: 2799. 4499, quodque gladius evaginatus sit pugnans continue contra falsa et mala, n: 8294; et quod manus sit potentia, n: 878. 4931 ad 4937. 7518. 8050. 8153; tum quod per gentes in terra Canaane significentur falsa et mala, contra quae pugnandum, n: 8054.

8596. Elige nobis viros, quod significet ut vera in pugnam instruat, constat ex significatione virorum, quod sint vera, de qua n: 265. 749. 1007. 3134; illa in pugnam instruere significatur per quod Joschuah eligeret illos; cum enim per Joschuam repraesentatur [26] Verum Divinum pugnans, per viros quos ille eligit et sibi adjungit, significantur vera ad pugnam instructa.

8597. Et exi, pugna in Amalekum, quod significet contra falsa ex interiori malo, constat ex repraesentatione Amaleki, quod sint falsa ex interiori malo, de qua supra n: 8593.

8598. Cras ego consisto super capite collis, quod significet conjunctionem veri Divini cum bono charitatis, et inde influxum, constat ex repraesentatione Moschis, qui consisteret super capite collis, quod sit Verum Divinum, de qua saepius; ex significatione consistere, quod sit conjungi et influere; quod consistere hic sit conjungi, est quia tunc esset super capite collis, et

per collem significatur bonum charitatis; quod etiam sit influere, est quia inde prospexit pugnam, et quoque disposuit, quod significatur per quod cum elevavit manum suam praevaleret Israël, et cum dimisit manum suam praevaleret Amaleck; et ex significatione collis, quod sit bonum charitatis, de qua n: 6435. Quomodo se habet cum conjunctione et influxu boni charitatis in verum pugnans, paucis dicendum; Verum Divinum fit pugnans per conjunctionem cum illis qui in zelo sunt, ut supra dictum est; illi, qui in zelo sunt, pugnant, at non ex aliqua inimicitia et hostilitate, sed potius ex charitate, nam zelus differt ab ira in eo, quod zelus in se habeat bonum quod charitatis, quare cum zelus pugnat, modo removet illos qui in falso et malo, ne laedant illos qui in bono et vero; ira autem non solum removet illos, sed etiam ex odio et vindicta persequitur; zelus enim ex charitate quae inest, vult etiam bene illis qui in malo et falso sunt, et quoque facit quantum non nocent bonis; at ira ex odio et vindicta, quae insunt, vult male omnibus cum quibus pugnat, sive boni sint sive mali; ex his constare potest quid intelligitur per influxum boni charitatis in Verum pugnans: quod zelus in se bonum habeat et ira malum, videatur n: 4164. 4444.

8599. Et baculus Dei in manu mea, quod significet quod inde potentia, constat ex significatione baculi Dei, quod sit potentia Divina, de qua n: 4013. 4015. 4876. 4936. 7026; et ex significatione manus, quod etiam sit potentia, n: 8595 fin: quod dicatur baculus Dei in manu, est quia per baculum significatur potentia exterior, et per manum interior, seu per baculum potentia naturalis et per manum spiritualis, n: 6947. 7011: *inde potentia* dicitur, quia vero pugnanti potentia inest ex bono, nam omnis potentia quae vero est, est ex bono quod inest; causa est, quia Divinum inest bono, et per bonum vero, non autem inest vero absque bono; quod omne potentiae Vero sit ex bono, videatur n: 3563. 4931; et quod omne potentiae bono sit ex Divino, patet.

8600. Vers: 10. 11. 12. 13. *Et fecit Joschua quemadmodum dixit illi Moscheh, pugnando in Amalekum; et Moscheh, Aharon, et Chur, ascendebant caput collis. Et fuit, quando elevavit Moscheh manum suam, et praevaluit Israël, et quando dimisit manum suam, et praevaluit Amaleck. Et*

manus Moschis graves, et sumserunt lapidem, et posuerunt subter illum, et sedit super illo; et Aharon et Chur sustentabant manus illius, exhinc unus et exhinc unus; et fuit, manus illius firmae usque ad occidere solem. Et debilitavit Joschua Amalekum et populum ejus [ad os gladii]. Et fecit Joschua quemadmodum dixit illi Moscheh, significat effectum sicut Verum pugnans a Divino Vero instructum est: pugnando in Amalekum, significat contra falsum ab interiori malo: et Moscheh, Aharon, et Chur, significat Divina Vera in ordine successivo: ascenderunt caput collis, significat in bono charitatis: et fuit quando elevavit Moscheh manum suam, significat cum fides apud illos qui ab Ecclesia spirituali spectaret versus Dominum: praevaluit Israël, significat quod tunc verum pugnans vinceret: et quando dimisit manum, significat cum fides apud illos spectaret deorsum seu a Domino ad se et mundum: et praevaluit Amaleck, significat quod tunc falsum vinceret: et manus Moschis graves, significat quod potentia spectandi sursum ad Dominum deficeret: et sumserunt lapidem, significat verum Divinum in ultimo ordinis: et posuerunt subter illum, et sedit super illo, significat correspondentiam cum vero primo ordinis: et Aharon et Chur, significat vera ordine: sustentabant manus illius, significat veri pugnantis sustentationem: exhinc unus [27] et exhinc unus, significat undequaque: et fuit manus illius firmae, significat potentiae robur tunc: usque ad occidere solem, significat cum status ille desineret: et debilitavit Joschua Amalekum et populum illius, significat diminutionem potentiae apud illos qui in falso ex interiori [28] malo: ad os gladii, significat per verum pugnans.

8601. Et fecit Joschua quemadmodum dixit illi Moscheh, quod significet effectum sicut Verum pugnans a Divino Vero instructum est, constat ex significatione facere, quod sit effectus; ex repraesentatione Joschuae, quod sit Verum pugnans, de qua mox supra n: 8595; et ex significatione quemadmodum dixit illi Moscheh, quod sit sicut a Divino Vero instructum est, nam per Moschen repraesentatur Divinum Verum, et per dixit significatur instrui ab illo.

8602. Pugnando in Amalekum, quod significet contra falsa ab interiori malo, constat ex repraesentatione Amaleki, quod sit falsum ex interiori malo, de qua supra n: 8593.

8603. Et Moscheh, Aharon, et Chur, quod significet Divina vera in ordine successivo, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Divinum Verum immediate a Domino procedens, de qua n: 7010; ex repraesentatione Aharonis, quod sit Divinum Verum mediate a Domino procedens, de qua n: 7009; et ex repraesentatione Churis, quod sit Divinum Verum per id iterum mediate procedens; ita sunt vera in ordine successivo. Quid vera in ordine successivo sunt, paucis dicetur; omnia et singula in universa natura ab interioribus ordine existunt, sunt derivationes et successiones; sed interiora non cohaerent cum exterioribus per continuum, sed distincta sunt, et conjuncta per exsertiones sicut fibras, per quas communicationes: derivationes et inde successiones in genere, quales sunt, sisti possunt ad ideam ex fructibus, sicut ex citris, pomis et similibus; illorum maxime externa sunt cutes quae circumcingunt, interiora sunt caro quae circumcingitur; adhuc interiora sunt semina, quae circumdantur thecis extra, et ipsa dein membranis; sub illis est interior caro, in qua prima forma, sicut anima, ex qua iterum novae arbores et novi fructus: haec omnia in ordine successivo sunt, ac inter se distincta, et quoque conjuncta; communicatio interiorum cum exterioribus fit mirabiliter per transitus sicut fibrosos: illa principio, cum formantur, paene cohaerent, sed temporis successu separantur; nam prima forma, quae intima est in semine, antequam in formas parentibus suis similes potest expandi, successive aperienda est; et cum aperitur et inchoat crescere, aptant se carnes, quibus circumcincta est, inserviunt primum pro humo, dein pro succo foecundante, post hoc tempus, quod est tempus ejus in utero, nascitur, et tunc relinquitur humo terrae, cui ut semen inseminata est. Ex his idea formari potest, quomodo se habet cum derivativis in ordine successivo: sicut se habet in regno vegetabili, ita quoque se habet in regno animali, sed in hoc multo perfectius; sunt in regno animali exteriora, et interiora, ac intima, pariter in ordine successivo; quae inter se distincta sunt, et quoque conjuncta; sed differunt in eo, quod formae in regno animali creatae sint ad recipiendam vitam, inde sicut formae recipientes vitae sunt in ordine successivo, ita quoque vitae quae inde resultant, nam formae seu substantiae recipientes vitae sunt subjecta, et quae

ex illarum mutationibus et modificationibus resultant, sunt vires, quae vocandae sunt vitae, quia sunt vires vivae. Ex his nunc constare potest, quid Divina Vera in ordine successivo, nam omnia quae vitae sunt se referunt ad verum, et eorum perfectio ad bonum, inque opposito sensu ad falsum, et illorum imperfectio ad malum: transitus ab uno ad alterum in ordine successivo, etiam vocantur gradus.

8604. Et fuit cum elevavit Moscheh manum suam, quod significet cum fides apud illos qui ab Ecclesia spirituali spectaret versus Dominum, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit verum Divinum, de qua saepius; et ex significatione elevare manum, quod sit potentiam spiritualem determinare sursum, ita ad Dominum; quod manus sit potentia spiritualis, videatur n: 6947. [29] 7011; et quia potentia spiritualis est fides, nam omnis potentia in spirituali mundo, hoc est, contra falsa ex malo, est veri ex bono, seu fidei ex charitate, n: 3563. 4931. Quid sit spectare versus Dominum, et quid sit spectare versus mundum et ad se, ita quid sit spectare supra se et infra se, videatur n: 7814 ad 7821; quod nempe spectare supra se sit ad proximum, ad patriam, ad Ecclesiam, ad coelum, ita ad Dominum, n: 7814. 7815. 7817; quod spectare infra se sit ad mundum et ad se, n: 7817; quod spectare supra se et infra se, sit pro fine habere, et supra omnia amare, n: 7818; quodque homo distinguatur a brutis per quod spectare possit supra se et infra se, et quod, cum spectat supra se, sit homo, at, cum infra se, sit bestia, n: 7821; quod spectare supra se, sit elevari a Domino, n: 7816: Dominus enim influit apud omnem hominem per Verum quod ab Ipso, per hoc dat vitam homini; nam Lux quae a Domino est Divinum Verum, et est Vita, Joh: I: 4: Divinum hoc Verum, quod a Domino, influit in bonum apud hominem, et per illud trahit hominem ad Se, nam vita, quae a Domino, est attractiva, quia est ex amore, omnis enim amor in se habet vim attractionis, quia conjungi vult, usque ut unum sint; cum itaque homo est in bono, et ex bono in vero, tunc attrahitur ille a Domino, ac Ipsi conjungitur; hoc intelligitur per spectare sursum ad Dominum: at cum homo non in bono est, ita non in vero a bono, tunc quoque attrahitur a Domino, sed non potest elevari, nam mala et inde falsa avertunt se, hoc

intelligitur per spectare deorsum, seu ad se et ad mundum; quod Dominus trahet hominem ad se, docet Ipse Dominus apud Johannem, „Ego, si exaltatus fuero e terra, *omnes traham ad Me Ipsum*," XII: 32: ex his nunc constare potest, quomodo intelligendum, quod cum fides spectaret versus Dominum, Verum pugnans vinceret, et cum fides spectaret deorsum a Domino ad se et mundum, quod tunc falsum vinceret, quae significantur per quod cum Moscheh elevavit manum, praevaleret Israël, et cum demisit manum, praevaleret Amaleck.

8605. Praevaluit Israël, quod significet quod tunc Verum pugnans vinceret, constat ex significatione praevalere, quod sit vincere; et ex repraesentatione Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, hic qui ex veris pugnant contra falsa [30] ex malo interiori.

8606. Et quando demisit manum, quod significet cum fides apud illos spectaret deorsum seu a Domino ad se et mundum, constat ex illis quae mox supra n: 8604, explicata sunt: quod fides quae spectat ad Dominum vincat, est quia Dominus tunc pugnat, nam Dominus est fides, quia fides ab Ipso est; at quod fides quae spectat a Domino ad se et mundum, succumbat, est quia homo tunc pugnat ex se.

8607. Et praevaluit Amaleck, quod significet quod tunc falsum vinceret, constat ex significatione praevalere, quod sit vincere; et ex repraesentatione Amaleki, quod sit falsum ex malo interiori, de qua n: 8593. Quod nunc vicerit Israël, nunc Amaleck, repraesentabat, quod illi qui ab Ecclesia spirituali, non in fide, quae continue spectat ad Dominum, possint esse, sed quod alternatim in fide quae spectat ad se et ad mundum, sunt enim qui ab illa Ecclesia in obscuro et inde in infirmo quoad fidem; quod tales sint, videatur n: 2708. 2715. 2718. 2831. 2935. 2937. 3833. 6289. [31] 6500. 6639. 6865. 6945. 7233: inde est, quod Amaleck non a Joschua, nec postea a Judicibus, nec a Regibus in terra Canaane, exstirpatus, utcunque mandatum quod deleretur, n: 8593.

8608. Et manus Moschis graves, quod significet quod potentia spectandi sursum ad [32] Dominum deficeret, constat ex significatione manuum, quod sint potentiae quae fidei, de qua supra n: 8604; et ex significatione gravium, seu quod vires

elevandi manus diminuerentur, quod sit quod potentia spectandi sursum ad Dominum deficeret, nam per elevare manus significatur fides spectans sursum ad Dominum, n: 8604, et per demittere manum, fides spectans deorsum a Domino, n: 8606.

8609. Et sumserunt lapidem, quod significet Verum Divinum in ultimo ordinis, constat ex significatione lapidis, quod sit Verum, n: 643. 1298. 3720. 3769. 3771. [33] 3789. 3798. 6426, hic verum in ultimo ordinis, quia positus subter illum, et sedit super illo; lapis vulgaris etiam significat verum inferius, lapis autem pretiosus verum superius seu interius. Quid verum in ultimo ordinis, constare potest ex illis quae de veris in ordinis successivo supra n: 8603 dicta sunt, quod nempe sint vera interiora, et vera exteriora, quae ultima sunt intelliguntur per vera in ultimo ordinis.

8610. Et posuerunt subter illum, et sedit super illo, quod significet correspondentiam cum Vero primo ordinis, constare potest ex eo, quod lapis ille suffulciverit Moschen, et per Moschen repraesentatur Verum in primo ordinis, seu Verum Divinum quod immediate a Domino procedit; quando huic Vero correspondet Verum in ultimo ordinis, tunc illud suffulcitur, nam tunc unum agunt; conjunguntur enim interiora cum exterioribus, et demum cum ultimis per correspondentias; tunc est Vero primo robur in ultimo, nam est in hoc et agit per hoc: at si non correspondentia est, disjunctio est; inde non robur vero primo in ultimo. Quid Correspondentia videri potest ab illis quae copiose allata sunt ad finem plurium Capitum de Correspondentia omnium quae apud hominem cum Maximo Homine.

8611. Et Aharon et Chur, quod significet vera ordine, constat ex repraesentatione Aharonis et Churis, quod sint vera inferiora in ordine successivo respective ad Verum in primo ordinis, quod per Moschen repraesentatur, de qua supra n: 8603.

8612. Sustentabant manus illius, quod significet potentiae veri pugnantis sustentationem, constat ex significatione manuum, quod sit potentia, de qua n: 878. 4931 ad 4937. 7518. 8050. 8153, hic potentia veri pugnantis, quod repraesentatur per Joschuam, n: 8595: quod sustentatio veri pugnantis sit, quae significatur per quod Aharon et Chur sustentarent manus

Moschis, est quia per elevationem manuum Moschis praevaluit Joschua.

8613. Exhinc unus et exhinc unus, quod significet undequaque, constat ex eo, quod exhinc unus et exhinc unus sit ad dextram et ad sinistram, et in sensu spirituali ad dextram et ad sinistram est undequaque, nam dextrum et sinistrum non determinationes sunt ad certam plagam, sed ad omnem, est enim quocunque se homo vertit; magis in mundo spirituali, ubi determinationes spatiorum prorsus aliter se habent, quam in mundo naturali, nam ibi quod ad dextram est apparet ad dextram in omni versura seu circumversione, pariter quae ad sinistram, videatur n: 4321. 4882.

8614. Et fuit, manus illius firmae, quod significet potentiae robur tunc, constat ex significatione manuum, quod sint *potentia*, de qua supra n: 8612; inde potentiae robur significatur per quod manus firmae factae sint per sustentationem.

8615. Usque ad occidere solem, quod significet cum status ille desineret, nempe status pugnae cum falso ex interiori *malo*, constat ex eo, quod tempora diei ab ortu solis ad occasum ejus, et iterum ad ortum, significent status mutationes, quas subeunt illi qui in altera vita; finis illius status significatur per tempus occasus solis; inde est, quod per usque ad occidere solem, significetur quod status ille desineret: quod tempora diei ab ortu solis ad occasum ejus significent status et eorum mutationes, videatur n: 5672. 5962. 6110. 8426. Quisque, qui expendit, videre potest, quod illa quae in his Versibus memorantur, contineant arcana, quae non exstant in litera; sicut quod Moscheh consisteret super colle; haberet baculum in manu sua; quod vinceret Joschua cum Moscheh elevavit manus, et vinceret Amaleck cum Moscheh submisit manus; quod posuerint lapidem sub illo super quo sedit; quodque Aharon et Chur sustentarent manus; et hoc usque dum occideret sol; nisi omnia et singula haec correspondissent cum illis quae in coelo sunt, nusquam potuissent aliquid conferre ad pugnam cum Amaleko: correspondentiae omnem vim habent, usque adeo ut quod fit in terra secundum correspondentias, hoc in coelo valeat, nam correspondentiae sunt ex Divino: qui in bono amoris et fidei sunt, illi in correspondentia sunt, et Divinum facit omnia apud illos,

ex Divino enim est bonum amoris et bonum fidei: omnia miracula, de quibus in Verbo, per correspondentias facta sunt: Verbum scriptum est ita, ut singula ibi usque ad minutissima correspondeant illis quae in coelo; inde Verbum vim Divinam habet; et conjungit coelum cum terra, nam cum legitur Verbum in terra, angeli qui in coelo moventur ad sanctum, quod in sensu interno; hoc fit per correspondentias singulorum ibi.

8616. Et debilitavit Joschua Amalekum, et populum illius, quod significet diminutionem potentiae apud illos qui in falso ex interiori malo, constat ex significatione debilitare, quod sit diminutio potentiae; et ex repraesentatione Amaleki et populi ejus, quod sint qui in falso ex interiori malo, de qua supra n: 8593.

8617. Ad os gladii, quod significet per verum pugnans, constat ex significatione gladii, quod sit verum pugnans, de qua n: 2799. 8294.

8618. Vers: 14. 15. 16. *Et dixit Jehovah ad Moschen, scribe hoc memoriale in libro, et pone in auribus Joschuae, quod delendo delebo memoriam Amaleki de sub coelis. Et aedificavit Moscheh altare, et vocavit nomen ejus Jehovah Nissi. Et dixit, quia manus contra thronum Jah, bellum Jehovae in Amalekum a generatione generationem.* Et dixit Jehovah ad Moschen, significat instructionem: scribe hoc memoriale in libro, significat in perpetuam memoriam: et pone in auribus Joschuae, significat ad obediendum pro Vero pugnante contra id falsum: quod delendo delebo memoriam Amaleki de sub coelis, significat quod falsum illud prorsus removendum sit ut non pugnet amplius: et aedificavit Moscheh altare, significat in sanctum cultus et memoriae: et vocavit nomen ejus Jehovah Nissi, significat bellum continuum et tutelam Domini contra illos qui in falso mali interioris: et dixit, quia manus contra thronum Jah, significat quia violentiam inferre volunt Regno spirituali Domini: bellum Jehovae in Amalekum a generatione generationem, significat quod sub jugum redacti et ad infernum conjecti, unde exsurgere nusquam possunt ex Divina Domini potentia.

8619. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet instructionem, constat ex significatione dicere, quod involvat se-

quentia, et quia ibi instruitur Moscheh, quod faciendum, est instructio quae significatur.

8620. Scribe hoc memoriale in libro, quod significet in perpetuam memoriam, constat ex significatione memorialis, quod sit quod reminiscendum, seu quod in memoriam, de qua n: 8066. 8067; et ex significatione scribere in libro, quod sit ad reminiscendum perpetuo; hoc significatur per scribere in libro apud Esaiam, „Veni, *scribe super tabulam apud illos*, et *super librum* exprime illud, ut sit *in diem posterum, in perpetuum usque in aeternum,*" XXX: 8: quia reminiscentia per scribere in libro significatur, inde fideles dicuntur in Libro vitae scripti; nam per reminiscentiam Divinam significatur salvatio, et per non reminiscentiam seu oblivionem damnatio: de Libro vitae ita apud Danielem, „Antiquus dierum judicium consedit, et *Libri aperti sunt*," VII: 10: apud Eundem, „In tempore hoc eripietur populus tuus, *omnis qui invenietur scriptus in Libro*," XII: 1: apud Davidem, „Da iniquitatem super iniquitatem eorum, et ne perveniant ad justitiam tuam; *deleantur e Libro vitarum*, et cum justis [34] *ne scribantur*," Psalm: LXIX: 28. 29: apud Johannem, „Qui vicerit, is induetur vestimentis albis, *non delebo nomen ejus e Libro vitae*," Apoc: III: 5. Apud Eundem, „Non ingredietur in Hierosolymam novam, *nisi qui scripti in Libro vitae Agni*," Apoc: XXI: 26: apud Eundem, „Vidi *quod Libri aperti sint;* et *Liber alius apertus est*, *qui est vitae;* et judicati sunt mortui juxta ea *quae scripta sunt in Libris secundum opera illorum:* judicati sunt omnes secundum opera illorum: et *si quis non inventus est in Libro vitae scriptus,* ejectus est in stagnum ignis," Apoc: XX: 12. 13. 14 [. 15]: ac praeterea Cap: XIII: 8. Cap: XVII: 8. Qui non ex sensu interno scit quid Liber vitae, tum quid Libri, ex quibus judicandi, non aliam ideam potest habere, quam quod in coelo tales Libri sint, et quod in illis omnium acta scripta sint, quorum sic memoria conservatur; cum tamen per libros in dictis locis non libri intelliguntur, sed reminiscentia omnium quae egerant; unusquisque enim in alteram vitam secum fert omnium actorum suorum memoriam, ita Librum vitae suae, n: 2474; sed judicare quemvis secundum acta ejus, nemo potest quam Dominus solus; nam omnia acta procedunt a causis fina-

libus, quae intus alte latent absconditae, secundum illas causas judicatur homo, illas nemo scit quam Dominus, quapropter Ipsi soli est judicium; quod etiam intelligitur per haec apud Johannem, „Vidi super dextra sedentis super throno *Librum scriptum intus et a tergo*, obsignatum septem sigillis: deinde vidi Angelum fortem clamantem voce magna, *quis est dignus, ut aperiat Librum*, et solvat sigilla ejus: unus ex senioribus dixit mihi, ecce vicit [35] Leo, qui ex tribu Jehudae, radix Davidis, *ut aperiat Librum*, et solvat sigilla ejus: et *sumsit Librum*, et cecinerunt canticum novum, *dignus es qui accipias Librum*, et aperias sigilla ejus," Apoc: V: 1 ad 9. Ex his constare potest, quod per Librum scriptum intelligatur praesentia actorum cujusvis: similiter per Librum apud Davidem, „*Super Libro tuo omnes scripti sunt dies,* qui destinati sunt," Psalm: CXXXIX: 16.

8621. Et pone in auribus Joschuae, quod significet ad obediendum pro Vero pugnante contra id falsum, constat ex significatione ponere in auribus, quod sit ad obediendum; quod auris sit obedientia, videatur n: 2542. 3869. 4652 ad 4660; et ex repraesentatione Joschuae, quod sit Verum pugnans contra falsum ex malo interiori, de qua n: 8595.

8622. Quod delendo delebo memoriam Amaleki de sub coelis, quod significet quod falsum illud prorsus removendum sit, ut non pugnet amplius, constat ex significatione delere memoriam, quod sit removere, de qua sequitur; et ex repraesentatione Amaleki, quod sint qui in falso ex malo interiori, de qua n: 8593. Quod delere memoriam Amaleki, sit removere falsum quod ex malo interiori, est quia id removeri potest, non deleri, est enim id falsum apud genios infernales, qui in aeternum vivunt, n: 8593; sed genii illi removentur a Domino, ne influant in illos qui ab Ecclesia spirituali; causa est, quia non influunt sicut spiritus infernales in cogitationes quae intellectus, ita nec in illa quae fidei sunt, sed in affectiones quae voluntatis, proinde in illa quae charitatis; et hoc tam clandestine, ut nusquam appareat vestigium quod ab illis; quare si illi influerent, spiritualis Ecclesiae homo nusquam salvari posset, quoniam affectiones veri et boni perverterent et prorsus depravarent; inde

est, quod infernales illi genii removeantur, ita ut non communicent cum illis qui e Regno spirituali Domini. Praeterea sciendum, quod apud hominem Ecclesiae spiritualis nova voluntas implantata sit in parte intellectuali, n: 895. 927. 1023. 1043. 1044. 2256. 4328. 4493. 5113, hanc voluntatem plane destruerent genii illi, si iis permitteretur influere; intrarent etiam in haereditaria mala voluntatis veteris, et illa recluderent, quae tamen occlusa sunt, quod occlusa sint videatur n: 986. 1667. 2308. Infernales illi genii removentur hoc modo ne influant; quod falsum eorum, quod est falsum ex interiori malo, sit malum, et quidem tale malum, quod non influere potest in partem intellectualem, sed in partem voluntariam; et quia nova voluntas hominis Ecclesiae spiritualis implantata est in parte intellectuali, ut supra dictum, inde remoti sunt ab influxu in illam: ob hunc finem etiam Dominus disponit, ut tales genii vastentur quoad omne intellectuale. Homines fiunt tales genii post mortem, qui continue meditati sunt malum contra proximum, et cogitationem suam talibus delectaverunt; et quoque intulerunt malum, sed clandestine ac per alios, maxime cavendo ne aliquis sciret quod ab illis; caeteroquin in externis apparuerunt modesti, civiles, et sicut amici, et quoque sicut Christiani quoad loquelam, tum etiam quoad vitam, sed fuerunt hypocritae, ac intus dolosi tigres.

8623. Et aedificavit Moscheh altare, quod significet in sanctum cultus et memoriae, constat ex significatione altaris, quod sit praecipuum repraesentativum Domini, de qua n: 2777. 2811. 4489; et inde sanctum cultus, n: 4541; quod etiam sit in memoriam, est quia antiquis temporibus struebantur acervi in testem et memoriam rei, quae firma staret, et cujus recordaturi; ac postea etiam altaria, n: 4192; hic in memoriam rei, quod, quia manus Amaleki [36] contra thronum Jah, bellum Jehovae in illum a generatione in generationem; quod altaria etiam struerentur in testem et memoriam, constat ab Altari, quod Rubenitae, Gadditae, et dimidia tribus Menaschis ad Jordanem aedificabant, de quo dicebant ad filios Israëlis, quod ideo bellum illis inferre volebant, quod aedificaverint id ut testis esset, quod culturi sint Jehovam, non per holocausta et sacrificia super illo, sed super altari quod ante Habitaculum; idcirco voca-

bant altare illud „Testis inter nos et inter vos, quod Jehovah Deus," Josch: XXII: 10 ad 34.

8624. Et vocavit nomen ejus Jehovah Nissi, quod significet bellum continuum et tutelam Domini contra illos qui in falso mali interioris, constat ex eo, quod nomina quae ab Antiquis in Ecclesia indebantur, significaverint quale et statum rei, de qua tunc agebatur, et quod quoque involverint eadem ipsis nominibus, n: 340. 1946. 3422. 4298; quale et status rei de qua hic agitur, est, quod bellum Jehovae erit contra Amalekum a generatione in generationem, in sensu interno, quod bellum perpetuum erit contra illos qui in falso mali interioris; hoc quoque significatur per Jehovah Nissi: Jehovah Nissi in Lingua originali significat Jehovah vexillum seu signum meum, et per signum aut vexillum in Verbo significatur [convocatio] ad bellum: et quia dicitur bellum Jehovae, significatur etiam tutela ab Ipso. Quod per vexillum seu signum significetur convocatio ad bellum, constat ex eo, quod cum convocationes fierent, sive ad profectiones, sive ad festa, sive ad bellum, clanxerint buccina, et tunc [37] quoque sustulerint signum seu vexillum super montibus; quod clanxerint buccina, videatur Num: X: 1 ad 11; quod sustulerint signum seu vexillum, ex his locis; apud Jeremiam, „Annuntiate in Jehuda, et in Hierosolyma audiri facite, et dicite, *et clangite buccina in terra,* proclamate, implete, dicite, *congregamini,* et intremus in urbes munimenti, *erigite vexillum Zionem versus, convenite,* ne subsistite," IV: 5. 6. Apud Esaiam, „Omnes habitatores orbis, et incolae terrae, *quando tolletur vexillum, aspicite,* et *cum clangitur buccina,* audite," XVIII: 3. Apud Eundem, „*Sustulit Vexillum gentibus e longinquo,* et sibilavit illi ab extremitate terrae; et ecce cito velox adveniet," V: 26. Apud Eundem, „*Super monte eminente tollite vexillum,* extollite vocem illis, agitate manum, ut veniant portae principum," XIII: 2. Apud Eundem, „Sic dixit Dominus Jehovih, ecce tollam erga gentes manum meam, *et erga populos attollam vexillum meum,* ut adferant filios tuos in sinu, et filias tuas super humero apportent," XLIX: 22; ex his patet quod per vexillum significetur congregatio. Quod Vexillum seu signum, cum praedicatur de Domino, significet etiam tutelam, constat apud Esaiam, „Timebunt ab occasu Nomen

Jehovae, et ab ortu solis gloriam Ipsius, quia veniet sicut flumen angustum, *Spiritus Jehovae vexillum eriget in illo;* tunc veniet Zioni Redemptor,» LIX: 19. Apud Eundem, « Fiet in die illo, radicem Jischaii, *qui stans in vexillum populorum,* gentes quaerent; et erit quies [38] Ipsius gloria,» XI: 10. Quia signum, quod in Lingua originali exprimitur eadem voce, qua vexillum, significabat congregationem, et cum dicebatur de Domino etiam tutelam, ideo expresse mandatum est, ut serpens aenens poneretur super signo; de quo ita apud Moschen, « Dixit Jehovah ad Moschen, fac tibi serpentem, et *pone eum super signum;* et fiet, omnis qui morsus fuerit, et aspexerit illum, vivet: Et fecit Moscheh serpentem aeris, et *posuit eum super signum;* unde factum est, si momordit serpens virum, et aspexit serpentem aeris, revixit,» Num: XXI: 8. 9; quod serpens aeneus repraesentaverit Dominum, videatur Johan: III: 14. 15; quod etiam tutelam, patet; nam sanatio per inspectionem serpentis qui super signo, significabat sanationem a malis falsi per inspectionem fidei in Dominum; dicit enim Dominus in loco citato apud Johannem, « Sicut Moscheh exaltavit serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis; ut omnis qui credit in Ipsum, non pereat, sed vitam aeternam habeat.»

8625. Et dixit, quia manus contra thronum Jah, quod significet quia violentiam inferre volunt Regno spirituali Domini, constat ex significatione manus contra aliquem, quod sit violentiam inferre; et ex significatione throni Jah, quod sit Regnum spirituale Domini. Quod thronus Jah sit Regnum spirituale Domini, est quia thronus praedicatur de Regio Domini, et Regio Domini correspondet Regnum spirituale Ipsius: sunt duo quae praedicantur de Domino, nempe Sacerdotium et Regium, Sacerdotio Ipsius correspondet Regnum coeleste, et Regio Regnum spirituale, nam Dominus vocatur Sacerdos ex Divino Bono, et vocatur Rex ex Divino Vero; hoc nempe Divinum Verum involvit nomen Christus, et Divinum Bonum nomen Jesus, videatur n: 1728. 2015. 3004. 3009. 6148; Thronus praedicatur de Regio Domini, proinde de Regno Ipsius spirituali, similiter Jah; quid Thronus, videatur n: 5313, et quid Jah, n: 8267. Quod ipsam rem attinet, quod nempe illi qui per Amalekum repraesentantur, qui sunt infernales genii qui in

falso ex interiori malo, violentiam inferre velint Regno spirituali Domini, explicatum est supra n: 8593. 8622: qui in falso hujus mali fuerunt, non potuerunt arceri ab illis qui ab Ecclesia spirituali, priusquam Dominus in mundum venit, et Humanum in Se Divinum fecit, tunc inclusi sunt inferno, unde exsurgere nusquam possunt; et quoque communicatio, quae fit per influxum, prorsus adempta est; homo enim Ecclesiae spiritualis in obscuro est quoad verum fidei, et pro vero agnoscit quia Ecclesia sic dixit, non quia verum esse percepit; hoc verum apud illos fit bonum, et inde conscientiae; maligni genii si influerent in id obscurum, destruerent conscientiam mille modis; nam non agunt in vera fidei ibi, sed in ipsas affectiones; et ubicunque appercipiunt aliquid affectionis boni, hoc pervertunt momento, tam clandestine, ut ad apperceptionem nullatenus venire possit; aggrediuntur ipsos fines: verbo, malignitas illorum non describi potest; sed comparari cum veneno lethali inconspicuo, quod ad ipsas medullas penetrat. Plura de his geniis, ex Divina Domini Misericordia, ad finem Capitum, ab experientia dicentur.

8626. Bellum Jehovae in Amalekum a generatione generationem, quod significet quod sub jugum redacti, et in infernum conjecti, unde exsurgere nusquam possunt, ex Divina Domini potentia, constat ex significatione belli Jehovae, quod sit conjectio in infernum; et ex significatione a generatione in generationem, quod sit perpetuo, ita quod inde exsurgere nusquam possint; quod hoc a Divina Domini potentia, videatur mox supra n: 8625 fin: Quod bellum Jehovae sit conjectio in infernum, est quia bellum Jehovae est perpetua victoria, infernales genii contra Jehovam, hoc est, Dominum nullatenus possunt bellum gerere et pugnare, sed apparet illis quod pugnent, imo etiam quandoque quod vincant, cum illos qui in malo sunt subjugant, sed usque illis prorsus nulla potentia est contra Divinum; minimum potentiae Divinae omnem turbam diabolicam, si vel myriades myriadum forent, ad omnem nutum momento domat; ast dat illis copiam agendi, quantum inde usus fit, et malum illorum a Domino in bonum potest verti; de qua re, ex Divina Domini Misericordia, alibi. Ex his aliquatenus constare potest, quod per bellum Jehovae contra Amalekum a genera-

tione in generationem, significetur subjugatio et conjectio in infernum, unde resurgere nusquam possunt, ex Divina Domini potentia.

Continuatio de Incolis et Spiritibus Telluris Jovis.

8627. *Incolae telluris Jovis sapientiam ponunt in cogitando bene et juste de rebus quae in vita obveniunt; sapientiam illam hauriunt a parentibus ab infantia, quae successive in posteritatem transfertur, et sic crescit. De scientiis, quales in nostra tellure sunt, prorsus nihil sciunt, nec scire volunt; vocant illas umbras, et comparant nubibus quae inter solem: ideam hanc de scientiis duxerunt ex aliquibus e nostra tellure, qui se coram illis venditarunt, quod sapientes essent ex scientiis.*

8628. *Spiritus e nostra Tellure, qui se ita venditarunt, fuerunt qui sapientiam posuerunt in talibus, quae sunt merae memoriae, ut in Linguis, in historicis quae sunt orbis literarii, in nudis experimentalibus, inque terminis imprimis philosophicis, et in similibus aliis, nec illis ut mediis ad sapiendum usi sunt, quia in illis ipsis sapientiam posuerunt; hi quia per scientias, ut per media non excoluerunt facultatem suam rationalem, in altera vita parum perceptionis habent, nam solum vident in terminis, et ex terminis, qui sunt ibi sicut grumi, ac sicut crassae nubes ante visum intellectualem; et qui fastuosi fuerunt ex eruditione inde, adhuc minus percipiunt; qui vero scientiis usi sunt ut mediis annihilandi illa quae fidei sunt, illi intellectuale suum prorsus destruxerunt, ac vident in caligine sicut noctuae, falsum pro vero et malum pro bono. Spiritus Joviales ex conversatione cum talibus concluserunt, quod scientiae umbram inducant et occaecent: sed illis dictum est, quod in hac Tellure scientiae sint media aperiendi visum intellectualem, qui visus est in luce coeli, ac instruit in talibus quae sunt vitae spiritualis; sed quia regnat amor sui et amor mundi, et inde talia quae sunt vitae mere naturalis ac sensualis, ideo*

scientiae illis sunt media insaniendi, nempe confirmandi pro natura contra Divinum, et pro mundo contra coelum. Porro dictum est, quod scientiae in se sint divitiae spirituales, et quod ii qui possident illas sint sicut qui possident divitias mundanas, quae similiter sunt media usum praestandi sibi, proximo, et patriae, et quoque media malefaciendi; tum quod sint sicut vestes, quae pro usu et ornatu inserviunt, et quoque pro fastu ut apud eos qui ab illis solis volunt honorari. Spiritus Telluris Jovis haec bene intellexerunt, sed mirati sunt, quod, cum homines essent, praetulerint talia quae ad sapientiam ducunt ipsi sapientiae; et quod non videant quod immergere illis mentem, et non ultra se elevare, sit inumbrare et occaecare.

8629. *Quidam spiritus ex inferiore terra ascendens ad me venit, et dixit, quod audiverit illa quae cum aliis spiritibus loquutus sum, sed quod vix aliquid intellexerit quae dicta sunt de vita et luce spirituali; interrogabatur num illa discere vellet, dicebat quod non eo animo venerit; ex quo concludi potuit quod non vellet; erat valde stupidus: dictum ab Angelis, quod ille, cum in mundo vixit homo, fuerit inter celebratiores propter eruditionem: erat frigidus, quod ab afflatu manifeste sentiebatur; quod signum erat luminis mere naturalis, et nullius spiritualis; ita quod per scientias non aperuerit sed occluserit sibi viam ad lucem coeli.*

8630. *Quia incolae telluris Jovis per aliam viam sibi intelligentiam comparant, quam incolae nostrae telluris; et praeterea alia indole sunt ex vita, ideo non possunt simul esse, sed si appropinquant, vel fugiunt illos, vel repellunt. Sunt sphaerae, quae sphaerae spirituales vocandae, quae ex unaquavis societate continuo emanant, imo exundant, sphaerae illae sunt ex activo affectionum et inde cogitationum, ita sunt ipsius vitae, de sphaeris videatur n:* 1048. 1053. 1316. 1504. 1505. 1507. 1508. 1510. 1511. 1512 *ad* 1519. 2401. 4464. 5179. 6206. 7454. 6598 *ad* 6613. 8063; *consociationes in altera vita omnes fiunt secundum sphaeras; quae concordant conjunguntur secundum concordantiam, quae discordant repelluntur secundum discordantiam: unaquaevis Provincia in Maximo Homine, cui aliquod membrum ac organum in corpore humano correspondet, suam sphaeram ab alterius Pro-*

vinciae sphaera distinctam habet, inde conjunctio mutua illorum qui ad eandem Provinciam pertinent, et disjunctio illorum qui ad aliam: Spiritus et Angeli, qui e Tellure Jovis sunt, referunt in Maximo Homine IMAGINATIVUM COGITATIONIS, *et sic statum activum partium interiorum; nostrae autem Telluris spiritus referunt varias functiones partium exteriorum Corporis, in quas, cum dominari volunt,* Imaginativum cogitationis *influere non potest; inde oppugnantiae inter sphaeras.*

8631. *Spiritus Joviales in quam clara perceptione de rebus spiritualibus sunt, constare mihi potuit ex repraesentatione illorum, quomodo Dominus, Quem unicum suum Dominum vocant, convertit pravas affectiones in bonas; repraesentabant mentem intellectualem ut formam pulchram, ac ei indebant activitatem formae convenientem pro affectione; ac ostendebant dein quomodo Dominus flectit pravum ibi in bonum; quod fecerunt modo qui vocibus describi nequit, tam dextre ut collaudati sint ab Angelis. Aderant tunc eruditi ex nostra tellure, qui intellectuale suum immerserant terminis scientificorum, et multum litigaverunt de forma, de substantia, de materiali, et non materiali, et de similibus, ac talia ad nullum usum applicuerunt; hi nequidem repraesentationem illam comprehendere potuerunt.*

8632. *Loquutus sum cum spiritibus illius telluris de Domino, quod nulli malum faciat, minus quod aliquem puniat; spiritus illi, quia inter simpliciores erant, hoc primum non voluerunt admittere, credentes quod a Domino poenae: sed cum illis dictum est, quod Angeli illorum, cum apud hominem suae telluris sunt, non castigent, ne quidem loquantur dure, sed quod solum permittant spiritibus punitoribus, qui etiam adsunt, ut id faciant; et cum Angeli non castigant, eo minus Dominus, Qui est ipsum Bonum, et Qui regit Angelos: his auditis agnoscebant et affirmabant voce manifesta, quod Dominus nullum puniat, et nulli malum faciat, ne quidem ad aliquem dure loquatur. De Angelis, et de spiritibus punitoribus apud incolas Jovis, videatur n:* 7802. 7803. 7804. 7805. 7810.

8633. *Quod vitam illorum in tellure illa porro attinet, instructus sum a spiritibus illorum, quod sicut non scientifica,*

ita nec artificialia curent. Tum quod non habeant festos dies, sed quolibet mane, oriente sole, et qualibet vespera occidente sole, cultum sanctum Unico Domino in tentoriis suis habeant, et quod tunc quoque psallant.

8634. *Continuatio de Incolis et Spiritibus telluris Jovis, ad finem Capitis sequentis.*



EXODI

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DOCTRINA CHARITATIS.

8635. Nemo regenerari potest, nisi sciat talia quae vitae novae, hoc est, vitae spiritualis sunt; nam in illam vitam homo per regenerationem introducitur: quae vitae novae sunt, seu quae vitae spiritualis, sunt vera quae credenda et bona quae facienda, illa sunt fidei, haec charitatis.

8636. Haec scire nemo potest ex se, nam homo non capit nisi quae obvia fuerunt sensibus; ex illis sibi comparavit lumen, quod lumen naturale vocatur; ex quo non aliud videt, quam quae mundi sunt et quae sui, non autem quae coeli et quae Dei; haec discet ex revelatione.

8637. Ut, quod Dominus, Qui ab aeterno Deus, in mundum venerit ad salvandum genus humanum; quod Ipsi omnis potestas sit in coelo et in terra; quod omne fidei et omne charitatis, ita omne verum et bonum sit ab Ipso; quod coelum sit et quod infernum; quod homo victurus sit in aeternum, si bene egerit in coelo, si male in inferno.

8638. Haec et plura sunt fidei, quae homo, qui regenerandus est, scire debet; nam qui scit illa, cogitare potest illa, dein velle illa, et demum facere illa, et sic habere vitam novam.

8639. Ut, qui non scit quod Dominus sit Salvator generis humani, non potest fidem habere in Ipsum, adorare Ipsum, amare Ipsum, et sic facere bonum propter Ipsum: qui non scit,

quod omne bonum ab Ipso, non potest cogitare quod justitia sua et salus sua sit ab Ipso, minus potest velle quod ita sit, ita non potest vivere ab Ipso: qui non scit, quod infernum sit, et quod coelum, nec quod vita aeterna, is ne quidem cogitare potest de vita coeli, nec applicare se ad recipiendam illam; ita in reliquis.

8640. Ex his constare potest, qualis vita est regenerati, quod sit vita fidei: tum quod illa homini dari nequeat, priusquam in statu est, ut possit agnoscere vera fidei, et quantum agnoscit, velle illa.

CAPUT XVIII.

1. Et audivit Jethro sacerdos Midianis socer Moschis omne quod fecit Deus Moschi et Israëli populo suo, quod eduxerit Jehovah Israëlem ex Aegypto.

2. Et accepit Jethro socer Moschis Zipporam uxorem Moschis post dimissiones ejus.

3. Et duos filios ejus, quorum nomen unius Gerschom, quia dixit, peregrinus fui in terra aliena.

4. Et nomen unius Eliezer, quia Deus patris mei in auxilio meo, et liberavit me a gladio Pharaonis.

5. Et venit Jethro socer Moschis, et filii ejus, et uxor ejus, ad Moschen ad desertum, ubi ille castrametatus montem Dei.

6. Et dixit ad Moschen, ego socer tuus Jethro venio ad te, et uxor tua, et duo filii ejus cum illa.

7. Et exivit Moscheh obviam socero suo, et incurvavit se, et osculatus illum; et interrogabant vir socium suum ad pacem: et venerunt in tentorium.

8. Et narravit Moscheh socero suo omne quod fecerat Jehovah Pharaoni et Aegyptiis, propter causas Israëlis; omnem molestiam, quae invenit illos in via, et eripuit illos Jehovah.

9. Et gavisus est Jethro super omni bono, quod fecit Jehovah Israëli, qui eripuit illum e manu Aegyptiorum.

10. Et dixit Jethro, benedictus Jehovah, qui eripuit vos

e manu Aegyptiorum, et e manu Pharaonis, qui eripuit populum suum e sub manu Aegyptiorum.

11. Nunc novi quod magnus Jehovah prae omnibus diis, quia eapropter quod superbiverint super illos.

12. Et accepit Jethro socer Moschis holocaustum et sacrificia Deo; et venit Aharon et omnes seniores Israëlis ad comedendum panem cum socero Moschis coram Deo.

13. Et fuit crastino, et sedit Moscheh ad judicandum populum, et stetit populus super Moschen a mane usque ad vesperam.

14. Et vidit socer Moschis omne quod ille faciens populo, et dixit quodnam verbum hoc, quod tu facis populo, quare tu sedes solus, et omnis populus stans super te a mane usque ad vesperam.

15. Et dixit Moscheh socero suo, quia venit ad me populus ad inquirendum Deum.

16. Cum est illis verbum, venit ad me, et judico inter virum et inter socium ejus, et nota facio judicia Dei et leges Ipsius.

17. Et dixit socer Moschis ad illum, non bonum verbum quod tu facis.

18. Marcescendo marcesces etiam tu etiam populus hic qui tecum, quia grave prae te verbum, non potes facere illud solus tu.

19. Nunc audi vocem meam, consulam tibi, et erit Deus tecum, esto tu populo apud Deum, et adducas tu verba ad Deum.

20. Et doceas illos statuta et leges, et notam facias illis viam, ibunt in qua, et opus quod facient.

21. Et tu videas ex omni populo viros strenuitatis, timentes Deum, viros veritatis odientes lucrum; et ponas ex illis principes millenorum, principes centenorum, principes quinquagenorum, et principes decadum.

22. Et judicent populum in omni tempore, et erit, omne verbum magnum adducant ad te, et omne verbum parvum judicent illi; et devolve de super te, et portent tecum.

23. Si verbum hoc facias, et praeceperit tibi Deus, et potes consistere; et etiam omnis populus hic super locum suum veniet in pace.

24. Et auscultavit Moscheh voci soceri sui, et fecit omne quod dixit.

25. Et elegit Moscheh viros strenuitatis ab omni Israële, et dedit illos capita super populum, principes millenorum, principes centenorum, principes quinquagenorum, et principes decadum.

26. Et judicabunt populum in omni tempore, verbum difficile adducent ad Moschen, et omne verbum parvum judicabunt illi.

27. Et dimisit Moscheh socerum suum, et ivit sibi ad terram suam.

CONTENTA.

8641. In sensu interno in hoc Capite agitur de Veris in ordine successivo a Primo ad ultimum, et quod ordinentur illa a Bono Divino: Verum in primo gradu repraesentatur per Moschen; Vera inde in ordine successivo per principes millenorum, centenorum, quinquagenorum, et decadum; et Bonum Divinum, a quo ordinatio, repraesentatur per Jethronem socerum Moschis.

SENSUS INTERNUS.

8642. Vers. 1. 2. 3. 4. 5. *Et audivit Jethro sacerdos Midianis socer Moschis omne quod fecit Deus Moschi et Israëli populo suo, quod eduxerit Jehovah Israëlem ex Aegypto. Et accepit Jethro socer Moschis Zipporam uxorem Moschis post dimissiones ejus. Et duos filios ejus, quorum nomen unius Gerschom, quia dixit, peregrinus fui in terra aliena. Et nomen unius Eliezer, quia Deus patris mei in auxilio meo, et liberavit me a gladio Pharaonis. Et venit Jethro socer Moschis, et filii ejus, et uxor ejus ad Moschen ad desertum, ubi ille castrametatus montem Dei.* Et audivit Jethro [1] sacerdos Midianis, significat Divinum Bonum: socer Moschis significat ex quo bonum conjunctum Vero Divino: omne quod fecit Deus Moschi et Israëli populo suo, significat perceptionem illarum re-

rum quae illis qui e regno spirituali Domini factae sunt: quod eduxerit Jehovah Israëlem ex Aegypto, significat quod a Domino ab infestationibus liberati sint: et accepit Jethro socer Moschis Zipporam uxorem Moschis, significat Bonum a Divino conjunctum Vero Divino: post dimissiones ejus, significat separationem hactenus respective ad statum illorum qui ab Ecclesia spirituali: et duos filios ejus, significat bona veri: quorum nomen unius Gerschom, quia dixi, peregrinus fui in terra aliena, significat quale boni veri illorum qui extra Ecclesiam sunt: et nomen unius Eliezer, significat quale boni veri illorum qui intra Ecclesiam sunt: quia Deus patris mei in auxilio meo, significat misericordiam et praesentiam Domini in Ecclesia: et liberavit me a gladio Pharaonis, significat liberationem a falso illorum qui infestaverunt: et venit Jethro socer Moschis, significat Divinum Bonum: et filii ejus, significat bona veri: et uxor ejus, significat bonum conjunctum Vero Divino: ad Moschen ad desertum, significat conjunctionem in statu ante regenerationem cum tentationes: ubi ille castrametatus montem Dei, significat juxta bonum veri.

8643. Et audivit Jethro sacerdos Midianis, quod significet Divinum Bonum, constat ex repraesentatione Jethronis sacerdotis Midianis, quod sit bonum Ecclesiae quae in Vero simplicis boni est, de qua n: 7015, hic autem est Divinum Bonum, ex causa quia Moscheh, cujus socer erat, repraesentabat Divinum Verum; gener enim cum repraesentat Verum, tunc socer repraesentat bonum, in superiori gradu, nam est pater uxoris ejus. Quod Divinum Bonum hic per Jethronem repraesentetur, est quia agitur in hoc Capite de ordinatione Verorum apud hominem Ecclesiae spiritualis, quae fit a Divino Bono per Divinum Verum, nam omnis ordinatio est a bono per Verum. Ordinatio illa fit apud hominem Ecclesiae spiritualis, cum is incipit non amplius a vero sed a bono agere; hic enim status est, alter ejus status, qui existit postquam tentationes subierat; nam cum ex vero agit, tunc tentatur, ob causam ut vera apud illum confirmentur; quae cum confirmata sunt, tunc illa a Domino rediguntur in ordinem, et cum in ordinem redacta sunt, tunc intrat alterum statum, qui est, ut vera velit et illa agat; inde fiunt vitae, et vocantur bona. De ordinatione illa sequitur.

8644. Socer Moschis, quod significet ex quo Bonum conjunctum Vero Divino, constat ex significatione soceri, quod sit bonum ex quo bonum conjunctum vero, de qua n: 6827; et ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum Divinum, de qua n: 6752. 6771. 7010. 7014. 7382; quod socer sit bonum ex quo bonum conjunctum vero, est quia uxor significat bonum cum vir verum, n: 2517. 4510. 4823. Quia in sequentibus agitur de conjunctione Divini Boni cum Divino Vero, ut inde ordinatio fiat apud hominem Ecclesiae, sciendum, quod inter Divinum Bonum et Divinum Verum discrimen sit, quod Divinum Bonum sit in Domino, et Divinum Verum a Domino; se habent illa sicut Ignis solis et Lux quae inde; ignis est in sole, et Lux a sole, in hac non est ignis sed calor; Dominus etiam in altera Vita est Sol, et quoque est Lux; in Sole ibi, qui est Ipse, est Ignis Divinus, qui est Divinum Bonum Divini Amoris; a Sole illo est Lux Divina, quae est Divinum Verum a Divino Bono; in Divino hoc Vero est quoque Divinum bonum, sed non quale est in Sole, est accommodatum ad receptionem in coelo; nisi enim accommodatum esset ad receptionem, coelum non potuisset existere, nam nullus angelus potest sustinere flammam ex Divino Amore, consumeretur momento, sicut si solis mundi flamma immediate afflaret hominem: quomodo autem Divinum Bonum Divini Amoris Domini accommodatur ad receptionem, a nemine sciri potest, ne quidem ab angelis in coelo, quia accommodatio est Infiniti ad finitum; et Infinitum est tale, ut transcendat omnem intelligentiam finiti, usque adeo, ut cum intelligentia finiti vult illuc intuitionem suam immittere, cadat sicut qui in profundum maris et pereat. Quod Dominus sit Sol in coelo, et quod Sol ibi sit Divinum Bonum Divini Amoris Ipsius, et quod Lux inde sit Divinum Verum, ex quo Intelligentia, videatur n: 1053. 1521 ad 1533. 1619 ad 1632. 2776. 3094. 3138. 3190. 3195. [2] 3222. 3223. 3225. 3339. 3341. 3636. 3643. 3993. 4180. 4302. 4408. 4409. 4415. 4523. 4533. 4696. 7083. 7171. 7174. 7270. 8197.

8645. Omne quod fecit Deus Moschi et Israëli populo suo, quod significet perceptionem illarum rerum, quae illis qui e regno spirituali Domini factae sunt, constat ex significatione audire, nempe omne quod fecit Deus, quod sit perceptio, de qua

n: 5017. 8361; ex significatione omne quod fecit Deus, quod sint quae factae sunt a Divino; et ex repraesentatione Israëlis, qui hic est Moscheh et populus quibus illa facta sunt, quod sint qui e regno spirituali Domini, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; Moscheh enim cum populo repraesentat regnum illud, Moscheh sicut caput, et populus sicut illa quae Capiti subjecta sunt; ita quoque Moscheh repraesentat Dominum quoad Divinum Verum, nam ex hoc est Regnum spirituale.

8646. Quod eduxerit Jehovah Israëlem ex Aegypto, quod significet quod a Domino ab infestationibus liberati sint, constat ex significatione educere, quod sit liberare; ex repraesentatione Israëlis, quod sint qui e Regno spirituali, ut mox supra n: 8645; et ex significatione Aegypti, quod sint infestationes a falsis, de qua n: 7278; quod Aegyptus sint infestationes, est quia per Aegyptios et Pharaonem significantur illi qui per falsa infestaverunt in altera vita illos qui ab Ecclesia spirituali, n: 7097. 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228. 7317. 8148.

8647. Et accepit Jethro socer Moschis Zipporam uxorem Moschis, quod significet bonum a Divino conjunctum Vero Divino, constat ex repraesentatione Jethronis soceri Moschis, quod sit Divinum Bonum, a quo bonum conjunctum vero, hic Vero Divino quod per Moschen repraesentatur, de qua supra n: 8643. 8644; ex repraesentatione Zipporae, uxoris Moschis, quod sit bonum Divinum; nam conjugia repraesentant conjunctionem boni et veri; in Ecclesia coelesti repraesentat maritus bonum, et uxor verum inde; at in Ecclesia spirituali repraesentat vir verum et uxor bonum; hic uxor Moschis bonum, quia agitur de Regno spirituali, videatur n: 2517. 4510. 4823. 7022.

8648. Post dimissiones ejus, quod significet separationem hactenus respective ad statum illorum qui ab Ecclesia spirituali, constat a significatione dimissionum, quod sint separatio; quod sit respective ad statum illorum qui ab Ecclesia spirituali, est quia in primo statu illorum qui ab Ecclesia spirituali bonum non apparet, sed modo verum. Quomodo cum hoc se habet, constare potest ab illis quae prius de bino statu illorum, qui ab Ecclesia spirituali, ostensa sunt; quod nempe in primo statu ex

vero agatur, non ex bono, at in altero ex bono; in primo statu, cum ex vero non ex bono agitur, est bonum quasi absens, et est sicut uxor dimissa; at in altero statu, cum ex bono agitur, tunc est bonum praesens, et sicut uxor conjuncta suo viro; haec sunt quae in sensu interno intelliguntur per *post dimissiones ejus*. Sciendum est porro, quod hoc respective sit ad illos qui ab Ecclesia spirituali, nam Verum quod a Domino procedit est semper conjunctum suo bono, at in primo statu, qui est ante regenerationem, non recipitur bonum sed verum, tametsi per coelum a Domino influit utrumque, in altero autem statu, qui est post regenerationem, recipitur bonum vero conjunctum; quod fit apud hominem, hoc praedicatur fieri apud Dominum, ex eo quod ita appareat; ita se habet in perpluribus aliis, sicut pro exemplo, quod Dominus malum faciat, puniat, conjiciat in infernum, haec praedicantur de Domino, quia ita apparet, cum tamen omne malum, quod fit homini sit ab homine: talia in Verbo permulta sunt, quae tamen scrutanti scripturas ex affectione veri, et propter bonum vitae, patent, quia is illustratur a Domino.

8649. Et duos filios ejus, quod significet bona veri, constat ex significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2159. 2623. 3704. 4257, hic bona veri, quia dicuntur filii uxoris, ut ex Lingua originali patet, similiter ut in Vers: 6 seq: inde quia per uxorem significatur bonum conjunctum vero, n: 8647, [3] ideo per filios hic bona veri. Bona veri sunt vera quae facta voluntatis et inde vitae, et constituunt novam voluntatem apud hominem Ecclesiae spiritualis.

8650. Quorum nomen unius Gerschom, quia dixit, peregrinus fui in terra aliena, quod significet quale boni veri illorum qui extra Ecclesiam, constat ex significatione nominis et vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421. 6674; hoc quale describitur per verba quae Moscheh tunc dixit, nempe, peregrinus fui in terra aliena; quod per illa verba significetur bonum veri illorum qui extra Ecclesiam, est quia per *peregrinum* significantur qui extra Ecclesiam nati sunt, et tamen instruebantur in rebus Ecclesiae; et per *terram alienam* significatur ubi non Ecclesia; quod peregrinus sint qui extra Ecclesiam, et in illis quae Ecclesiae instrue-

bantur, videatur n: 1463. 4444. 7908. [4] 8007. 8013; quod terra aliena sit ubi non Ecclesia genuina, est quia per terram significatur Ecclesia, n: 662. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 2928. 3355. 4447. 4535. 5577, et alienum est ubi non genuinum; est enim Ecclesia Domini sparsa per universum terrarum orbem, ita quoque apud gentes, n: 2049. 2284. 2589 ad 2604. Quod etiam Moscheh, cum natus Gerschom, fuerit extra suam Ecclesiam, et apud illos qui in bono simplicis veri, qui per Midianitas significantur, videatur n: 6793. 6794. 6795. 6796.

8651. Et nomen unius Eliezer, quod significet quale boni veri illorum qui intra Ecclesiam, constat ex significatione nominis et vocare nomen, quod sit quale, ut supra n: 8650; [5] quod sit quale boni veri, est quia per duos filios significantur bona veri, n: 8649: [6] quod quale hujus boni veri sit illorum qui intra Ecclesiam sunt, patet ex verbis quae Moscheh loquutus de hoc filio cum natus est, nempe quia Deus patris mei in auxilio meo, et liberavit me a gladio Pharaonis; et ex eo, quod quale boni veri, quod significatum est per nomen prioris filii seu Gerschom, sit illorum qui extra Ecclesiam, n: 8650 [5]

8652. Quia Deus patris mei in auxilio meo, quod significet Misericordiam et praesentiam Domini in Ecclesia, constat ex significatione patris, quod sit Ecclesia quoad bonum, n: 5581, [7] et quod sit Ecclesia antiqua, n: 6050. 6075. 6846, et quod Deus patris sit Divinum Ecclesiae antiquae, quod fuit Dominus, n: 6846. 6876. 6884; et ex significatione auxilii, cum praedicatur de Domino, quod sit misericordia, nam auxilium ab Ipso est misericordiae, et quoque est praesentiae, nam ubi receptio misericordiae ibi est praesentia, quae praecipue est in Ecclesia, quia ibi est Verbum, et per Verbum praesentia Domini.

8653. Et liberavit me a gladio Pharaonis, quod significet liberationem a falso illorum qui infestaverunt, constat ex significatione gladii, quod sit verum pugnans, et in opposito sensu falsum pugnans et vastans, de qua n: 2799. 4499. 6353. 7102. 8294; et ex repraesentatione Pharaonis, quod sint qui per falsa infestant probos in altera vita, n: 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228. 7317.

8654. Et venit Jethro socer Moschis, quod significet Di-

vinum Bonum, constat ex repraesentatione Jethronis et Moschis, quod sit Divinum Bonum, et Divinum Verum, et ex significatione soceri, de quibus supra n: 8643. 8644.

8655. Et filii ejus, quod significet bona veri, videatur [8] supra n: 8649. [6]

8656. Et uxor ejus, quod significet bonum conjunctum Vero Divino, constat ex repraesentatione uxoris Moschis, quod sit bonum a Divino conjunctum Vero Divino, de qua etiam supra n: 8647. [3]

8657. Ad Moschen ad desertum, quod significet conjunctionem in statu ante regenerationem cum tentationes, constat ex significatione venire ad Moschen, quod sit conjunctio, nempe Divini Boni quod per Jethronem repraesentatur cum Divino Vero quod per Moschen; et ex significatione deserti, quod sit status subeundi tentationes, de qua n: 6828. 8098, ita status ante regenerationem: quod bini status sint, quos ineunt illi qui regenerantur, et fiunt Ecclesia spiritualis; et quod cum in priori statu sunt, tentationes subeant, videatur supra n: 8643; prior status describitur per statum filiorum Israëlis in deserto, et posterior status per statum illorum in terra Canaane sub Joschua.

8658. Ubi ille castrametatus montem Dei, quod significet juxta bonum veri, constat ex significatione castrametari, quod sit ordinatio veri et boni, quae Ecclesiae apud hominem, de qua n: 8103 fin: 8130. 8131. 8155; et ex significatione montis Dei, quod sit bonum amoris, de qua n: 795. 796. 2722. 4210. 6435. 8327, hic bonum veri, quia agitur de bono illorum, qui ab Ecclesia spirituali sunt, qui per filios Israëlis repraesentantur, bonum quod illis est bonum veri, hoc bonum est etiam bonum charitatis; ideo etiam vocatur mons Dei, quia Deus dicitur ubi agitur de Vero, et Jehovah ubi de bono, n: 2586. 2769. 2807. 2822. 3921 fin: 4295. 4402. 7268. 7873: ex his patet, quod per castrametatus ad montem Dei, significetur ordinatio boni et veri quae Ecclesiae juxta bonum veri. Quid per hoc intelligitur, etiam paucis dicendum est; quando homo in priori statu est, nempe quando ex vero agit et nondum ex bono, hoc est, cum ex fide et nondum ex charitate, in statu subeundi tentationes est; per has progressive fertur ad alterum

statum, nempe ut ex bono, hoc est, ex charitate et ejus affectione agat; cum itaque prope ad illum statum venit, tunc dicitur castrametari ad montem Dei, hoc est, ad bonum, ex quo postea aget. Hoc dicitur, quia in nunc sequentibus agitur de nova dispositione seu ordinatione verorum, ad ineundum illum statum, ad quem statum etiam venit homo Ecclesiae postquam tentationes subiverat, et antequam lex Divina cordibus inscribitur; in praecedentibus de tentationibus actum est, et in nunc sequentibus agitur de Lege promulgata e monte Sinai; Mons Sinai est bonum in quo verum.

8659. Vers: 6. 7. *Et dixit ad Moschen, ego socer tuus Jethro venio ad te, et uxor tua, et duo filii ejus cum illa. Et exivit Moscheh obviam socero suo, et incurvavit se, et osculatus illum, et interrogabant vir socium suum ad pacem: et venerunt in tentorium.* Et dixit ad Moschen, significat influxum et inde perceptionem: ego socer tuus Jethro venio ad te, et uxor tua, et duo filii ejus cum illa, significat bona Divina in ordine: et exivit Moscheh obviam socero suo, significat applicationem Veri Divini ad Divinum Bonum: et incurvavit se, significat immissionem: et osculatus illum, significat conjunctionem: et interrogabant vir socium ad pacem, significat statum Divinum coelestem mutuum: et venerunt in tentorium, significat sanctum unionis.

8660. Et dixit ad Moschen, quod significet influxum et inde perceptionem, constat ex significatione dicere, cum a Divino Bono ad Divinum Verum de ordinatione verorum, quod sit influxus, et quia est influxus est etiam perceptio, nam perceptio est ab influxu; quod dicere respective ad agentem sit influxus et ad recipientem sit receptio, videatur n: 5743.

8661. Ego socer tuus Jethro [venio ad te], et uxor tua, et duo filii ejus cum illa, quod significet bona Divina in ordine, constat ex repraesentatione Jethronis soceri Moschis, quod sit Divinum Bonum, de qua n: 8643. 8644; ex repraesentatione Zipporae uxoris Moschis, quod sit inde bonum conjunctum vero Divino, de qua n: 8647; [5] et ex repraesentatione filiorum ejus, quod sint bona veri, de qua n: 8649. [6] 8650. 8651, ita sunt bona in ordine. Bona in ordine sunt bona interiora et ex-

teriora in ordine successive secundum gradus, de quibus videatur n: 3691. 4154. 5114. 5145. [9] 5146. 8603.

8662. Et exivit Moscheh obviam socero suo, quod significet applicationem Veri Divini ad Divinum Bonum, constat ex significatione exire obviam, quod sit applicatio; quod exire obviam sit applicatio, est quia mox sequitur quod osculatus sit illum, per quod significatur conjunctio, et conjunctionem praecedit applicatio; ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum Divinum, de qua supra n: 8644; et ex repraesentatione Jethronis, qui socer, quod sit Divinum Bonum, de qua etiam supra n: 8643. 8644.

8663. Et incurvavit se, quod significet immissionem, constat ex significatione incurvare se, quod sit humiliatio et submissio, de qua n: 2153. 5682. 7068, hic autem immissio, quia praedicatur de Vero Divino respective ad Divinum Bonum.

8664. Et osculatus illum, quod significet conjunctionem, constat ex significatione osculari, quod sit conjunctio ex affectione, de qua n: 3573. 3574. 4215. 4353. 5929. 6260.

8665. Et interrogabant vir socium ad pacem, quod significet statum Divinum coelestem mutuum, constat ex significatione interrogare ad pacem, quod sit consociatio quoad statum Divinum coelestem, de qua sequitur; et ex significatione vir ad socium, quod sit mutuo. Quod interrogare ad pacem sit consociatio quoad statum Divinum coelestem, est quia in sensu interno interrogare ad pacem, est interrogare de vita, ejus prospero et felici; at interrogare ad pacem in sensu supremo, ubi agitur de Divino Bono et Vero Divino, est consociatio quoad statum Divinum coelestem; pax enim in supremo sensu significat Dominum, et inde statum coeli intimi, ubi illi qui in amore in Dominum, et inde in innocentia; illi etiam prae reliquis sunt in pace quia in Domino, status illorum vocatur Divinus coelestis; inde est quod per pacem hic ille status intelligatur: quid pax in supremo et in interno sensu, videatur n: 3780. 4681. 5662. 8455.

8666. Et venerunt in tentorium, quod significet sanctum unionis, constat ex significatione tentorii, quod sit sanctum amoris, de qua n: 414. 1102. 2145. 2152. 4128, ita sanctum unionis, quia amor est unio; inde venire in tentorium, est ex

sancto amore uniri. Agitur in hoc Versu de Unione Divini Boni cum Vero Divino; et quia omnis unio fit primum per influxum unius in alterum ac inde perceptionem, dein per applicationem, tum per immissionem, postea per conjunctionem; idcirco primum describitur influxus et inde perceptio, n: 8660, dein applicatio, n: 8662, tum immissio, n: 8663, postea conjunctio, n: 8664, demum unio per amorem.

8667. Vers: 8. 9. 10. 11. *Et narravit Moscheh socero suo omne quod fecerat Jehovah Pharaoni et Aegyptiis propter causas Israëlis; omnem molestiam quae invenit illos in via, et eripuit illos Jehovah. Et gavisus est Jethro super omni bono, quod fecit Jehovah Israëli, qui eripuit illos e manu Aegyptiorum. Et dixit Jethro, benedictus Jehovah, qui eripuit vos e manu Aegyptiorum, et e manu Pharaonis, qui eripuit populum suum e sub manu Aegyptiorum. Nunc novi quod magnus Jehovah prae omnibus diis, quia eapropter quod superbiverint super illos.* Et narravit Moscheh socero suo omne quod fecerat Jehovah Pharaoni et Aegyptiis, significat perceptionem tunc a Vero Divino de potentia Divini Humani Domini contra illos qui in falsis fuerunt, et infestaverunt: propter causas Israëlis, significat pro illis qui ab Ecclesia spirituali: omnem molestiam quae invenit illos in via, significat laborem in tentationibus: et eripuit illos Jehovah, significat liberationem ex Divina Domini ope: et gavisus est Jethro super omni bono quod fecit Jehovah Israëli, significat statum Divini Boni cum succedunt omnia: qui eripuit illos e manu Aegyptiorum, significat ob liberationem ab infestantium insultu: et dixit Jethro, benedictus Jehovah, significat Divinum Bonum: qui eripuit vos e manu Aegyptiorum et e manu Pharaonis, significat liberationem ab insultu infestantium: qui eripuit populum suum e sub manu Aegyptiorum, significat misericordiam erga illos qui in bono veri et vero boni: nunc novi quod magnus Jehovah prae omnibus diis, significat Dominum quod nullus Deus praeter Ipsum: quia eapropter quod superbiverint super illos, significat ob conatum dominandi super illos qui ab Ecclesia.

8668. Et narravit Moscheh socero suo omne quod fecerat Jehovah Pharaoni et Aegyptiis, quod significet perceptionem tunc a Vero Divino de potentia Divini Humani Domini contra

illos qui in falsis fuerunt et infestaverunt, constat ex significatione narravit Moscheh, quod sit perceptio a Vero Divino, quod narrare sit percipere, videatur n: 3209, [10] et quod Moscheh sit Verum Divinum, n: 6752. 6771. 7010. 7014. 7382; ex repraesentatione soceri Moschis, quod sit Divinum Bonum ex quo bonum conjunctum Vero Divino, de qua n: 8643. 8644; ex significatione omne quod fecerat Jehovah, quod sint illa quae filiis Israëlis facta sunt in Aegypto, et postea in deserto; quae quia in sensu interno involvunt illa quae facta sunt illis qui ab Ecclesia spirituali Domini fuerunt, ac in terra inferiore detenti, usque dum Dominus Humanum in Se glorificavit, idcirco per illa verba significatur perceptio de potentia Divini Humani Domini: quod illi qui ab Ecclesia spirituali Domini in terra inferiore detenti fuerint, ac ex potentia Divini Humani Domini salvati, videatur n: 6854. 7035. 7091 fin: 7828. 8018. 8054. 8099. 8321; et ex repraesentatione Pharaonis et Aegyptiorum, quod sint qui in falsis et infestaverunt, de qua n: 7097. 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228. 7317.

8669. Propter causas Israëlis, quod significet pro illis qui ab Ecclesia spirituali, constat ex repraesentatione Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. [11] 7062. 7198. 7201. 7215. 7223.

8670. Omnem molestiam quae invenit illos in via, quod significet laborem in tentationibus, constat ex significatione molestiae, quod sit labor; quod molestia sit labor est quia praedicatur de tentationibus, in his enim est ipsis qui tentantur labor contra falsa et mala, et quoque angelis est labor cum illis ut in fide teneantur, et sic in potentia vincendi; et ex significatione quae invenit illos in via, quod sit quoad tentationes, nempe labor, nam in via est in deserto, ubi tentationes subiverunt, de quibus prius.

8671. Et eripuit illos Jehovah, quod significet liberationem a Divina Domini ope, constat ex significatione eripere, quod sit liberatio; quod Jehovah sit Dominus in Verbo, videatur n: 1343. 1736. 1815. 2447. 2921. 3035. 5041. 5663. 6280. 6303. 6905.

8672. Et gavisus est Jethro super omni bono quod fecit Jehovah Israëli, quod significet statum Divini Boni, cum suc-

cedunt omnia, constat ex repraesentatione Jethronis, quod sit Divinum Bonum, de qua supra n: 8643; ex significatione gavisus super omni bono, cum praedicatur de Divino Bono, quod per Jethronem repraesentatur, quod sit status illius Boni; nam status Divini, cum bonum fit coelo ac angelis ibi, tum Ecclesiae ac homini ibi, in Verbo exprimitur per Gaudium, sed quale istius gaudii est incomprehensibile, quia est Infiniti: quod etiam Gaudium Infinitum sit propter receptionem boni ab illis qui in Coelo et in Ecclesia, constare potest ex Divino Amore, qui erga Genus humanum est infinitus, n: 8644, nam omne gaudium est amoris: ex his patet, quod per gavisus est Jethro super omni bono, quod fecit Jehovah Israëli, significetur status Divini Boni cum succedunt omnia; per Israëlem enim intelliguntur illi qui e Regno spirituali et Ecclesia spirituali Domini, n: 8669, cum quibus omnia successerunt, nam liberati sunt ab infestationibus, ac postea vicerunt in tentationibus, ut supra descriptum est.

8673. Et eripuit illos e manu Aegyptiorum, quod significet ob liberationem ab infestantium insultu, constat ex significatione eripere, quod sit liberatio, ut supra n: 8671; et ex repraesentatione Aegyptiorum, quod sint qui per falsa infestaverunt, de qua etiam supra n: 8668.

8674. Et dixit Jethro, benedictus Jehovah, quod significet quod a Domino omne bonum, constat ex significatione Benedictus Jehovah, quod sit a Domino omne bonum, de qua n: 1096. 1422. 3140; quod Jehovah sit Dominus, videatur supra n: 8671. Quod Benedictus Jehovah sit quod a Domino omne bonum, est quia benedictio apud hominem involvit omne bonum vitae aeternae, hoc est, bonum amoris in Dominum et erga proximum, n: 3406. 4981, haec bona faciunt vitam aeternam apud hominem.

8675. Qui eripuit vos e manu Aegyptiorum et e manu Pharaonis, quod significet liberationem ex insultu infestantium, constat ex illis quae supra n: 8671. 8673, explicata sunt.

8676. Qui eripuit populum suum e sub manu Aegyptiorum, quod significet misericordiam erga illos qui in bono veri et vero boni, constat ex significatione eripere, quod sit liberatio, ut nunc supra n: 8675; ex significatione Aegyptiorum,

quod sint qui per falsa infestarunt, de qua etiam supra n: 8668; et ex repraesentatione Israëlis, qui hic populus Jehovae, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua n: 8645, ita qui in bono veri et vero boni, n: 7957. [12] 8234: quod ex Misericordia Domini, est quia dicitur benedictus Jehovah qui eripuit, et per benedictus Jehovah significatur quod ab Ipso omne bonum ex Divino amore Ipsius, n: 8674; Divinus amor, ex quo bonum homini, qui est in statu miseriae, quia totus ex se in malo et in inferno, est Miserisordia.

8677. Nunc novi quod magnus Jehovah prae omnibus diis, quod significet Dominum, quod nullus Deus praeter Ipsum, constat ex illis quae n: 7401. 7444. 7544. 7598. 7636. 8274, dicta et ostensa sunt.

8678. Quia eapropter quod superbiverint super illos, quod significet ob conatum et vim dominandi super illos qui ab Ecclesia, constat ex significatione superbire, quod sit conatus et vis dominandi, de qua sequitur; et ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui sunt illi super quos superbiverunt, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua supra n: 8645. Quod superbire sit conatus et vis dominandi, est quia ille conatus et inde vis inest omni superbiae, superbia enim est amare se prae aliis, seque illis praeferre et velle aliis imperare; et qui hoc volunt, etiam contemnunt alios prae se, et quoque persequuntur ex odio et vindicta illos qui se praeferunt, aut non colunt; amor sui, qui est superbia, est talis, ut quantum ei relaxatur fraenum, tantum ruat, crescendo ad quemvis gradum datae possibilitatis, usque tandem ad ipsum solium Divinum, ut velint pro deo esse: tales sunt omnes qui in inferno; quod tales sint appercipitur ex conatu illorum inde, et quoque ab eorum infestis odiis et diris vindictis unius contra alterum propter dominatum; ille conatus est qui a Domino coërcetur; et qui intelligitur per caput serpentis, quod semen mulieris conculcabit, n: 257; tales etiam intelliguntur per Luciferum apud Esaiam „Quomodo cecidisti de Coelo Lucifer, fili Aurorae, excisus es in terram, infirmatus es infra gentes; atqui tu dixisti in corde tuo, coelos ascendam, super stellas Dei exaltabo thronum meum, et sedebo in monte conventus, in lateribus septentrionis; ascendam super excelsa nubis, similis fiam Altissimo: verum enim vero ad in-

fernum demissus es, ad latera foveae; projectus es e sepulchro, sicut surculus abominabilis, vestimentum occisorum, confossi gladio, qui descendunt ad lapides foveae, sicut cadaver conculcatum" XIV: 12 ad 29. Quod superbia cordis, quae est amor sui, repellat a se Divinum, ac a se removeat coelum, constare potest manifeste ex statu receptionis Divini ac Coeli, qui est status amoris erga proximum, et est status humiliationis erga Deum; quantum homo se humiliare potest coram Domino, et quantum amare potest proximum sicut se, et prout fit in coelo, supra se, tantum recipit Divinum, et inde tantum in coelo est: inde patet, in quo statu sunt illi, qui se amant prae proximo, et qui super illum superbiunt, hoc est, qui in amore sui sunt, quod nempe sint in statu opposito ad coelum et ad Divinum; proinde in statu in quo infernales. Videantur quae de amore sui n: 2041. 2045. 2051. 2057. 2219. 2363. 2364. 2444. 3413. 3610. 4225. 4750. 4776. 4947. 5721. 6667. 7178. 7364. 7255. 7366 ad 7377. 7489. [13] 7488. 7490. 7491. 7492. 7494. 7643. 7819. 7820. 8318. 8487, dicta et ostensa sunt.

8679. Vers: 12. *Et accepit Jethro socer Moschis holocaustum et sacrificia Deo; et venit Aharon et omnes seniores Israëlis ad comedendum panem cum socero Moschis coram Deo.* Et accepit Jethro socer Moschis holocaustum et sacrificia Deo, significat cultum ex bono amoris et veris fidei: et venit Aharon et omnes seniores Israëlis, significat quae primaria Ecclesiae: ad comedendum panem cum socero Moschis coram Deo, significat appropriationem illorum ex Divino Bono.

8680. Et accepit Jethro socer Moschis holocaustum et sacrificia Deo, quod significet cultum ex bono amoris et veris fidei, constat ex significatione holocausti et sacrificiorum, quod essent repraesentativa coelestium et spiritualium, quae sunt cultus interni, holocausta repraesentativa coelestium, hoc est, boni amoris, et sacrificia repraesentativa spiritualium, hoc est, veri fidei, de qua n: 922. 923. 1823. 2180. 2805. 2807. 2830. 3519. 6905; quod holocausta repraesentaverint illa quae boni amoris, et sacrificia illa quae veri fidei, constat ex institutione illorum, quod nempe in holocaustis consumerentur omnia, tam caro quam sanguis, in sacrificiis autem caro comederetur, ut constare potest ex Levit: Cap: I. Cap: II. Cap: III. Cap:

IV. Cap: V, Numer: XXVIII: 1 ad fin: et ex Deuteron: ubi haec „Ut facias holocausta tua, carnem et sanguinem super altari Jehovae Dei tui; sanguis sacrificiorum effundetur super altari Jehovae Dei tui, et carnem comedes" XII: 27. [14] Quod illa duo per holocausta et sacrificia repraesentarentur, erat quia holocausta et sacrificia repraesentabant omnem cultum Dei in genere, n: 923. 6905; et cultus Dei in genere fundatur super amore et fide, nam absque his non est cultus, sed modo ritus, qualis est externi hominis absque interno, ita absque vita.

8681. Et venit Aharon et omnes seniores Israëlis, quod significet quae primaria Ecclesiae, constat ex repraesentatione Aharonis, quod sit verum doctrinae, de qua n: 6998. 7009. 7089. 7382; et ex repraesentatione seniorum Israëlis, quod sint vera praecipua Ecclesiae quae concordant cum bono, de qua n: 6524. [15] 8578. 8585; per Israëlem enim significatur Ecclesia, n: 8645.

8682. Ad comedendum panem cum socero Moschis coram Deo, quod significet appropriationem illorum ex Divino Bono, constat ex significatione comedere quod sit appropriatio, de qua n: 3168. 3513 fin: 3596. 3832. 4745; et ex significatione panis, quod sit bonum amoris, de qua n: 2165. 2177. 3464. 3735. 4211. 4217. 4735. 5915; quod sit ex Divino bono, significatur per quod comederent panem coram Deo. Per panem hic intelligitur omnis cibus qui tunc, imprimis caro sacrificiorum; nam cum sacrificia fiebant, comedebatur caro illorum juxta altare; quod per panem significetur omnis cultus in genere, videatur n: 2165. Causa quod Caro sacrificiorum comederetur, erat ut repraesentaretur appropriatio boni coelestis, tum quoque consociatio per amorem, nam Caro sacrificii, quam tunc comedebant, significabat bonum amoris; quapropter hoc illis erat convivium sanctum: quod etiam caro sit bonum amoris, videatur n: 7850. Ex his constare potest, quid intellectum est a Domino, cum dixit quod comederent carnem Ipsius, Joh: VI; 53. 54. 55. 56; tum cum institueret sanctam coenam, quod Panis esset Corpus suum, Matth: XXVI: 26: [16] quid per illa intellectum est, nusquam aliquis scire potest, nisi sciat quod sensus internus sit, et quod in illo sensu intelligantur coelestia et spiritualia, loco naturalium, et quod naturalia illis correspon-

deant, et secundum correspondentias significent; alioquin nusquam alicui notum posset esse, cur sancta Coena instituta est, et quid sanctum sit in pane, et cur panis sit corpus et sit caro: praeter innumera alia.

8683. Vers: 13. 14. 15. 16. *Et fuit crastino, et sedit Moscheh ad judicandum populum, et stetit populus super Moschen a mane usque ad vesperam. Et vidit socer Moschis omne quod ille faciens populo, et dixit quodnam verbum hoc, quod tu facis populo, quare tu sedes solus tu, et omnis populus stans super te a mane usque ad vesperam. Et dixit Moscheh socero suo, quia venit ad me populus ad inquirendum Deum. Cum est illis verbum, venit ad me, et judico inter virum et inter socium ejus, et nota facio judicia Dei et leges Ipsius.* Et fuit crastino, significat aeternum: et sedit [17] Moscheh ad judicandum populum, significat Veri Divini dispositionem apud illos qui ab Ecclesia spirituali in statu antequam ex bono: et stetit populus super Moschen, significat obedientiam tunc ex Vero Divino: a mane usque ad vesperam, significat in omni statu tunc interius et exterius: et vidit socer Moschis omne quod ille faciens populo, significat omniscientiam Divini Boni: et dixit, quare tu sedes solus, significat quod absque influxu veri ex bono aliunde: et omnis populus stans super te a mane usque ad vesperam, significat quod inde tunc omne voluntatis illis qui ab Ecclesia spirituali in omni statu: et dixit Moscheh socero suo, significat reciprocum quod responso: quia venit ad me populus ad inquirendum Deum, significat quod non aliunde velint [18] et agant quam ex eo quod Verbum ita dixit: cum est illis verbum, significat in omni quod obvenit: venit ad me, et judico inter virum et inter socium, significat quod ex vero revelato tunc disponantur: et nota facio judicia Dei et leges Ipsius, significat quod inde doceantur quid verum et quid bonum.

8684. Et fuit crastino, quod significet aeternum, constat ex significatione cras seu crastini, quod sit aeternum, de qua n: 3998.

8685. Et sedit [17] Moscheh ad judicandum populum, quod significet Veri Divini dispositionem apud illos qui ab Ecclesia spirituali in statu antequam ex bono, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum Divinum immediate a Domino proce-

dens, de qua n: 7010. 7382; ex significatione judicare, quod sit dispositio; quod judicare hic sit dispositio, est quia Verum Divinum non judicat aliquem, sed influit et disponit ut recipiatur; ex receptione dein fit judicium secundum leges ordinis, hoc intelligitur per judicium Domini, Matth: XXV: 31 ad fin: Johan: V: 22. 26. 27. 30. Cap: IX: 39; quod id intelligatur, constat a Domini verbis, ubi dicit *quod neminem judicet*, Johan: III: 17 ad 21. Cap: VIII: 15. [19] Cap: XII: 47. 48; ex repraesentatione Israëlis, qui hic est populus, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua supra n: 8645: ex his patet, quod per sedit [17] Moscheh ad judicandum populum, significetur Veri Divini immediate a Domino procedentis dispositio apud illos qui ab Ecclesia spirituali: quod sit in statu antequam ex bono, constat ex illis quae sequuntur: sunt enim bini status homini qui regeneratur et fit Ecclesia, in primo statu agit ex vero, in altero ex bono, de quibus videatur n: 8516. 8539. 8643. 8648. 8658; in utroque statu ducitur homo a Domino, sed in primo per influxum immediatum, in altero autem per influxum tam immediatum quam mediatum; de influxu boni et veri a Domino immediato et mediato, videatur n: 6472 ad 6478. 6982. 6985. 6996. 7054 ad 7058. 7270, influxus immediatus repraesentatur per quod Moscheh judicaverit populum solus, at influxus tam immediatus quam [20] mediatus per quod principes millenorum, [21] centenorum, quinquagenorum, et decadum, electi fuerint, qui res parvas judicarent, et res magnas referrent ad Moschen, de quibus in sequentibus. Sed haec sunt arcana, quae vix aliquis intelligere potest, nisi qui in illustratione est a Domino, et per illustrationem in perceptione; describi quidem possunt influxus illi, et quoque effectus inde, sed usque non cadunt rite in cogitationem, nisi perceptio ex coelo sit; et perceptio ex coelo non datur, nisi apud illos qui in amore veri ex bono sunt; et ne sic quidem, nisi in amore veri ex genuino bono.

8686. Et stetit populus super Moschen, quod significet obedientiam tunc ex Vero Divino, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum Divinum, ut mox supra n: 8685, [22] inde stare super illum, significat consulere Verum Divinum, aque illo exspectare responsum, et secundum hoc facere, hoc est, obedire; per haec in sensu interno describitur primus status, in

quo homo, qui regeneratur, ducitur per Verum a Domino; Verum, per quod ducitur, est Verbum, nam hoc est Verum Divinum.

8687. A mane usque ad vesperam, quod significet in omni statu interius et exterius, constat ex significatione mane et vesperae, quod sint status spirituales qui sibi succedunt sicut status temporum in mundo, nempe sicut mane, meridies, vespera, nox, et iterum mane: quod tempora haec correspondeant statuum mutationibus in altera vita, videatur n: 5672. 5962. 6110. 8426. Quod sint interius et exterius, est quia in altera vita interius in bono et vero sunt, cum in statu mane ibi, hoc est, in statu correspondente tempori matutino, at exterius in bono et vero cum in statu vesperae ibi; nam cum in statu vesperae sunt, tunc in jucundo naturali sunt; at cum in statu mane, in jucundo spirituali sunt, videatur n: 8431. 8452.

8688. Et vidit socer Moschis omne quod ille faciens populo, quod significet omniscientiam Divini Boni, constat ex significatione videre omne quod facit, cum dicitur de Divino Bono, quod repraesentatur per Jethronem socerum Moschis, quod sit omniscientia; videre enim in sensu interno est intelligere et percipere, n: 2150. 2325. 2807. 3764. 4403 ad 4421. 5400; at in supremo sensu, ubi agitur de Domino, est Praevidentia et Providentia, n: 2837. 2839. 3686. 3854. 3863, inde videre omne quod facit, est Omniscientia.

8689. Et dixit, quare tu sedes solus, quod significet quod absque influxu veri ex bono aliunde, constat ex significatione sedere solus, cum dicitur de Vero Divino immediate a Domino procedente, quod repraesentatur per Moschen, quod sit influxus ex Illo solo, et non simul aliunde: haec quomodo se habent, constare potest ab illis quae supra, n: 8685, [26] dicta sunt.

8690. Et omnis populus stans super te a mane usque ad vesperam, quod significet quod inde tunc omne voluntatis illis qui ab Ecclesia spirituali, in omni statu, constat ex repraesentatione Israëlis, qui hic populus, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua supra n: 8645; ex significatione stare super Moschen, quod sit obedientia ex Vero Divino, de qua etiam supra n: 8686; et quia est obedientia, est voluntatis, nam obedientia est ex voluntate, at est voluntas faciendi verum ex mandato,

non autem ex affectione, quae voluntas est obedientia; et ex significatione a mane usque ad vesperam, quod sit in omni statu, interius et exterius, de qua supra n: 8687. Agitur hic de statu primo, in quo homo ante regenerationem, qui est ut faciat bonum ex obedientia, et nondum ex affectione, sed id bonum est verum quod facit, quia solum ex mandato, ita adhuc ex coacto, non autem ex libero, ex libero facit cum ex affectione, nam omne quod ex affectione, quae amoris, fluit, est liberum; cum homo in priori statu est, tunc Dominus influit ac inducit immediate, sed influxus immediatus Domini non ad perceptionem venit, quia est in intima hominis, at influxus Domini immediatus et simul mediatus ad perceptionem venit et dat affectionem, nam non solum est in hominis intima, sed etiam est in ejus media et extrema: de hoc statu agitur in sequentibus hujus Capitis, de illo in his Versibus, ubi de Mosche dicitur quod solus judicaverit, videantur quae supra n: 8685.

8691. Et dixit Moscheh socero suo, quod significet reciprocum quod responso, constat ex significatione dicere, quod hic sit responsum, nam Moscheh respondet socero suo; quod sit reciprocum, est quia per Moschen repraesentatur Divinum Verum conjunctum et unitum Divino Bono, n: 8664. 8666; et cum conjunctio et unitio est, tunc est reciprocum, nam bonum agit et verum reagit, reactio est reciprocum quod responso: ita quoque in genere se habet cum bono et vero apud hominem in quo conjuncta sunt.

8692. Quia venit ad me populus ad inquirendum Deum, quod significet quod non aliunde velint [18] et agant quam ex eo quod Verbum ita dixit, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum Divinum, ita Verbum de qua n: 5922. 6723. 6752; et ex significatione venire ad illum populus ad inquirendum Deum, quod sit consulere quod Divinum dictat, ita quod volent et agent.

8693. Cum est illis verbum, quod significet in omni quod obvenit, constat ex significatione Verbi, quod sit res quae obvenit; quod sit in omni, est quia ad illum solum veniebat populus, et per id significatur, quod Verum Divinum in omni re consuleretur.

8694. Venit ad me, et judico inter virum et inter socium

ejus, quod significet quod ex Vero revelato tunc disponantur, constat ex significatione venire ad me, cum de Vero Divino, quod repraesentatur per Moschen, quod sit consulere quid volendum et faciendum, ut supra n: 8692; ex significatione judicare inter virum et inter socium, quod sit dispositio inter vera; quod judicare sit disponere, videatur supra n: 8685; quod sit ex Vero revelato, sequitur, nam dicitur mox supra, quod populus veniret ad illum ad inquirendum Deum, et nunc infra, quod nota faciat illis judicia et leges Dei. Per revelationem intelligitur illustratio cum legitur Verbum, et tunc perceptio; nam qui in bono sunt, et desiderant verum, illi ex Verbo ita docentur; qui autem non in bono sunt, ex Verbo non doceri possunt, sed modo confirmari in talibus in quibus ab infantia instructi sunt, ea sive vera sint sive falsa; causa quod illis qui in bono sunt sit revelatio, et illis qui in malo non revelatio, est quia omnia et singula in Verbo in sensu interno agunt de Domino et de Regno Ipsius, et Angeli, qui apud hominem, percipiunt Verbum secundum sensum internum; hoc communicatur homini qui in bono est, et legit Verbum, ac desiderat Verum ex affectione, inde illustratio ei et perceptio; nam apud illos qui in bono sunt et inde in affectione veri, intellectuale mentis est apertum in coelum, et anima illorum, hoc est, internus illorum homo in consortio est cum Angelis; aliter vero apud illos qui non in bono sunt, ita non ex affectione inde desiderant verum, illis est coelum clausum. Qualis autem illis qui in bono, et inde in affectione Veri sunt, est revelatio, non describi potest; non est manifesta, nec est prorsus occulta; sed est quaedam consensio et faventia ex interiori quod id verum sit, et non faventia si non verum; cum faventia est, requiescit mens et serenatur, et in eo statu est agnitio quae fidei: causa quod ita sit, est ex influxu coeli a Domino; nam per coelum a Domino est Lux, quae intellectum, qui est oculus visus interni, circumfundit et illustrat; quae tunc in illa Luce apparent, sunt vera; nam ipsa illa Lux est Divinum Verum, quod procedit a Domino; quod hoc sit lux in coelo, saepius ostensum est.

8695. Et nota facio judicia Dei et leges Ipsius, quod significet quod inde doceantur quid verum et quid bonum, constat ex significatione nota facere, quod sit docere; ex significatione

judiciorum, quod sint vera, de qua n: 2235. 6397; et ex significatione legum, quod sint vera boni; quod leges sint vera boni, est quia Lex in lato sensu significat totum Verbum, in minus lato Verbum historicum, in stricto Verbum quod per Moschen scriptum est, et in strictissimo Decem praecepta decalogi, videatur n: 6752; inde, quia Verbum est Divinum Verum quod procedit ex Divino Bono Domini, inde leges sunt vera boni: vera boni sunt vera quae ex bono, et in se sunt bona, quia suum existere ex bono trahunt.

8696. Vers: 17 ad 23. *Et dixit socer Moschis ad illum, non bonum verbum quod tu facis. Marcescendo marcesces etiam tu etiam populus hic qui tecum, quia grave prae te verbum; non potes facere illud solus tu. Nunc audi vocem meam, consulam tibi, et erit Deus tecum, esto tu populo apud Deum, et adducas tu verba ad Deum. Et doceas illos statuta et leges, notam facias illis viam ibunt in qua, et opus quod facient. Et tu videas ex omni populo viros strenuitatis timentes Deum, viros veritatis odientes lucrum, et ponas illos principes millenorum, principes centenorum, principes quinquagenorum, et principes decadum. Et judicent populum in omni tempore, et erit, omne verbum magnum adducant ad te, et omne verbum parvum judicent illi; et devolve desuper te, et portent tecum. Si verbum hoc facias, et praeceperit tibi Deus, et potes consistere; et etiam omnis populus hic super locum suum veniet in pace.* Et dixit socer Moschis ad illum, significat praevidentiam: non bonum verbum quod tu facis, significat quod mutatio fiet: marcescendo marcesces etiam tu etiam populus hic qui tecum, significat sic periturum verum quod inseminatum est: quia grave prae te verbum, significat quod non possibile quia non ex ordine: non potes facere illud solus tu, significat quod absque influxu veri a Divino aliunde: nunc audi vocem meam, significat ex unione consensum: consulam tibi, et erit Deus tecum, significat quod ex Divino: esto tu populo apud Deum, significat verum immediate a Domino procedens: et adducas tu verba ad Deum, significat mediationem et intercessionem: et doceas illos statuta et leges, significat quod a Vero immediato a Domino bona et vera externa et interna Ecclesiae: et notam facias illis viam ibunt in qua, significat intelligentiae lucem et inde vitam:

et opus quod facient, significat fidem actu: et tu videas ex omni populo, significat electionem verorum inservientium: viros strenuitatis timentes Deum, significat quibus bonum a Divino conjungi potest: viros veritatis odientes lucrum, significat quibus vera sunt pura absque fine [24] mundano: et ponas illos principes millenorum, significat primaria quae in primo gradu sub Vero immediato a Divino: principes centenorum, significat primaria in secundo gradu: principes quinquagenorum, significat primaria intermedia: et principes decadum, significat primaria in tertio loco: et judicent populum in omni tempore, significat dispositionem sic in perpetuum: et erit, omne verbum magnum adducant ad te, significat quod omne [a Vero] immediate a Divino: et omne verbum parvum judicent illi, significat apparentiam quorundam singularium et particularium aliunde: et devolve desuper te, et portent tecum, significat sic functiones et officia pro illis: si verbum hoc facias, et praeceperit tibi Deus, significat [quod sic ex Divino: et potes consistere, significat] sic mansionem apud illos: et etiam omnis populus hic super locum suum veniet in pace, significat quod illi qui ab Ecclesia spirituali sic in bono erunt, et ex bono ducentur.

8697. Et dixit socer Moschis ad illum, quod significet praevidentiam, constat ex significatione dicere, cum praedicatur de Divino Bono quod repraesentatur per Jethronem socerum Moschis, quod sit praevidentia, ut quoque n: 5361. 6946.

8698. Non bonum verbum quod tu facis, quod significet quod mutatio fiet, constat ex illis quae sequuntur.

8699. Marcescendo marcesces etiam tu etiam populus hic qui tecum, quod significet quod sic periturum Verum quod inseminatum est, constat ex significatione marcescere, quod sit paulatim consumi, ita perire; quod sit Verum quod inseminatum, est quia per Moschen intelligitur Verum a Divino, et per populum illi qui recipiunt: quomodo cum his se habet, in sequentibus dicetur.

8700. Quia grave prae te verbum, quod significet quod non possibile, quod non ex ordine, constat ex significatione grave verbum, quod sit non possibile; quod grave verbum hic sit non possibile, constat ex illis quae praecedunt, quod marcescendo marcesceret ille et populus qui cum illo, per quae si-

gnificatur quod periturum verum quod inseminatum est; et quoque ex sequentibus „non potes facere illud solus tu" et dein „si verbum hoc facis, potes consistere" per quae intelligitur impossibilitas, si non fiat mutatio. Quod non possibile quia non ex ordine, est quia in altera vita omne id possibile est quod ex ordine; Divinum verum, quod procedit a Domino, est quod facit ordinem, et est ipse ordo, inde omne quod secundum Divinum Verum est, quia est secundum ordinem, est possibile, et omne quod contra Divinum Verum, quia est contra ordinem, est impossibile; quod ita sit, evidentius patere potis ab exemplis: secundum ordinem est, quod salventur qui bene vixerunt, et condemnentur qui male; inde impossibile est, quod qui bene vixerunt mittantur in infernum, et qui male vixerunt eleventur in coelum; consequenter, quod impossibile sit ut qui in inferno sunt, ex pura misericordia Domini possint inde in coelum educi et salvari; est enim receptio Misericordiae Domini, cum vixerunt in mundo, per quam unusquisque salvatur; qui tunc recipiunt illam, in altera vita in Misericordia Domini sunt, nam ibi tunc in facultate recipiendi illam sunt; illam dare aliis, et in genere unicuivis ex beneplacito, modo fidem habeant, et sic a peccatis mundatos esse credant, est impossibile, quia est contra ordinem, hoc est, contra Divinum quod est ordo. Secundum ordinem est, quod fides et charitas implantentur in libero et non in coacto, et quod fides et charitas, quae in libero implantatae sunt, permaneant, non autem quae in coacto; causa est, quia quae in libero, ea in affectionem ac ita in voluntatem hominis insinuantur, et sic appropriantur, non autem quae in coacto; consequenter impossibile est ut salvetur homo, nisi liceat ei, quia in malo natus est, malum facere, et a malo desistere; cum a malo ex se in libero illo desistit, tunc insinuatur affectio veri et boni a Domino, inde ei est liberum recipiendi illa, quae fidei et quae charitatis sunt, nam liberum est affectionis; inde patet, quod impossibile sit cogere hominem ad salutem; quod si fieri posset, omnes qui in mundo sunt homines salvarentur. Secundum ordinem est, ut in altera vita consocientur omnes secundum vitam, quam in mundo sibi acquisiverunt, mali cum malis et boni cum bonis, inde non possibile est ut simul sint mali et boni; nec possibile est ut in bono sint qui

mali, nam bonum et malum opposita sunt, et unum destruit alterum: inde etiam patet, quod non possibile sit, ut salventur qui in inferno; ita non dabile quod salvatio, utcunque vixerat homo, sit ex sola misericordia. Qui in inferno sunt, et ibi cruciantur, imputant Divino cruciatus ibi, dicendo, quod Divinum id auferre possit, si velit, quia omnipotens, sed quod non velit, et quod inde sit in causa, nam qui potest et non vult, dicunt in causa esse; sed auferre talia, impossibile est, quia est contra ordinem; si enim auferrentur, insurgerent mali contra bonos, et subjugarent ipsos angelos, et destruerent coelum; sed Divinum non vult nisi bonum, nempe felicitatem bonorum, et ea propter refraenationem ac simul emendationem improborum, cum hic finis est, qui est finis Divini Amoris ac ipsius Misericordiae, non possibile est ut cruciatus illi qui in inferno auferantur. Ex his exemplis constare potest, quod omne id impossibile [25] sit quod contra ordinem, utcunque apparet ut possibile illis qui arcana coeli non sciunt.

8701. Non potes facere illud solus tu, quod significet quod absque influxu veri ex bono aliunde, constat ex significatione facere illud solus, cum dicitur de Vero Divino, quod per Moschen repraesentatur, quod sit influxus veri ex illo solo, et non simul aliunde. Quomodo cum hoc se habet, constare potest ex illis quae de influxu Veri Divini immediato, et de influxu illius immediato et simul mediato, supra n: 8685, dicta sunt, quod nempe influxus Veri Divini immediatus sit in primo statu hominis cum regeneratur, at quod influxus immediatus et mediatus sit in altero statu, nempe cum regeneratus est; cum influxus immediatus est, Dominus quidem influit cum bono et vero, at tunc non percipitur bonum sed verum, ideo tunc ducitur homo per verum, non ita per bonum, at cum influxus simul mediatus est, tunc percipitur bonum, nam influxus mediatus est in sensuale externum hominis, inde est quod homo tunc per bonum ducatur a Domino. In genere sciendum est, quod homo non prius regeneratus sit, quam cum is ex affectione boni agit, nam tunc vult bonum, et ei jucundum et beatum est facere illud; cum in hoc statu est, tunc vita ejus est vita boni, et in coelo est, nam universale regnans in coelo est bonum; verum autem quod fidei ducit hominem ad bonum, ita ad coelum, non au-

tem sistit illum in coelo: quod ita sit, est causa, quia in altera vita omnes consociantur secundum vitam voluntatis, non secundum vitam intellectus, nam ubi est voluntas ibi est intellectus, non autem vicissim; ita in coelo, et ita in inferno; qui mali sunt, non prius in infernum mittuntur quam cum in malo suae vitae sunt, nam cum in hoc sunt, etiam in falso sui mali sunt; similiter illi qui in bono sunt, etiam ibi in vero sui boni sunt; rediguntur omnes in altera vita ad eum statum, ut illis una mens sit, nempe quod volunt ut etiam cogitent, non autem quod volunt ut aliter cogitent; in mundo autem aliter se habet, ibi potest homo aliter cogitare, imo etiam aliter intelligere, quam vult, sed hoc ob causam ut reformari possit, nempe intelligere bonum tametsi vult malum, et sic per intellectum duci ad velle bonum; at in altera vita quisque secundum velle suum, quod in mundo comparatum est, ducitur.

8702. Nunc audi vocem meam, quod significet ex unione consensum, constat ex significatione audire vocem, quod sit obedientia, hic autem consensus, quia dicitur a Jethrone, per quem repraesentatur Divinum Bonum unitum Divino Vero, quod repraesentatur per Moschen; quod unita sint, videatur supra n: 8666; inde per audi vocem meam, significatur ex unione consensus. Sciendum [quod] cum bonum et verum conjuncta sunt, consensus sit in omnibus et singulis, nempe boni cum vero et veri cum bono; causa est, quia bonum est veri, et verum boni, ac ita duo illa sunt unum; nam quod bonum vult, hoc confirmat verum, et quod verum ut verum percipit hoc bonum vult, ac utrumque simul facit; cum his se similiter habet ut cum voluntate et intellectu; quod voluntas vult et amat, hoc intellectus cogitat et confirmat, ac vice versa, quod haec cum illis similia sint, est quia bonum est voluntatis, et verum est intellectus: in tali statu sunt, qui per bonum a Domino ducuntur, de quo mox supra n: 8701.

8703. Consulam tibi, et erit Deus tecum, quod significet quod ex Divino, constat ex significatione consulere, cum a Divino Bono, quod repraesentatur per Jethronem, quod sit decisum a Divino, ita ex Divino; et a significatione erit Deus tecum, quod etiam sit ex Divino; sed *ex Divino* quod per consulere significatur, spectat Divinum Bonum, quod repraesentatur

per Jethronem; *ex Divino* autem quod per erit Deus tecum significatur, spectat Divinum Verum quod repraesentatur per Moschen.

8704. Esto tu populo apud Deum, quod significet verum immediate a Domino procedens, constat ex significatione esse populo apud Deum, cum dicitur de Divino Vero, quod per Moschen repraesentatur, quod sit proxime apud Dominum, quia immediate ab Ipso procedens: quid haec involvunt, patebit ex illis quae nunc sequuntur.

8705. Et adducas tu verba ad Deum, quod significet mediationem et intercessionem, constat ex significatione adducere verba ad Deum, cum de Divino Vero dicitur, quod sit mediare apud Ipsum Divinum et intercedere, nam qui mediat et intercedit, is adducit res ad Ipsum qui opem fert: mediatio et intercessio est Divini Veri, quia hoc proxime est apud Divinum Bonum, quod est Ipse Dominus; quod Divinum Verum sit proxime apud Divinum Bonum, quod Dominus, est quia illud immediate procedit ab Ipso. Quomodo cum Mediatione et cum Intercessione Domini se habet, hic, quia occasio datur, dicetur: qui credunt quod tres personae sint, qui constituunt Divinum, et simul vocantur Unus Deus, illi ex sensu literae Verbi non aliam de Mediatione et Intercessione ideam habent, quam quod Dominus sedeat ad dextram Patris sui, et loquatur cum Ipso sicut homo cum homine, et adducat supplicationes hominum ad Patrem, et roget ut propter se, quia passus est crucem pro Genere humano, condonet et misereatur; talis idea de Intercessione et Mediatione est cuivis simplici ex sensu literae Verbi: sed sciendum, quod sensus literae sit secundum captum hominum simplicium, ut introducantur in ipsa vera interiora; simplices enim non aliam ideam possunt habere de Regno Coelesti, quam sicut de Regno terrestri, nec aliam de Patre quam sicut de Rege in terra, et de Domino quam sicut de filio Regis, qui haeres regni; quod talis idea simplicibus sit, patet manifeste ex idea ipsorum Apostolorum Domini de Regno Ipsius; primum enim crediderunt illi, sicut reliqui Judaei, quod Dominus, quia Messias, futurus esset Rex Maximus in terra, et evecturus illos ad fastigium gloriae super omnes gentes et populos in universo terrarum orbe: at cum audiverunt ab Ipso Domino, quod Regnum

Ipsius non esset in terra sed in coelo, tunc illi nec aliter potuerunt cogitare, quam quod Regnum Ipsius in coelo futurum esset prorsus sicut regnum in terra; quapropter etiam Jacobus et Johannes petierunt ut in Regno Ipsius unus sederet a dextris et alter a sinistris; et reliqui apostoli, qui etiam magni in illo Regno voluerunt fieri, indignati sunt, et inter se litigaverunt, quis eorum ibi major fieret; et quia talis idea inhaerebat, nec poterat exstirpari, etiam Dominus dixit illis, quod sederent super duodecim thronis judicaturi duodecim Tribus Israëlis, videatur Marc: X: 37. 41. Luc: XXII: 24. 30. Matth: XIX: 28; et tunc non sciebant, quid per duodecim thronos, perque duodecim tribus et per Judicium, a Domino intellectum est. Ex his nunc constare potest, qualis idea est, et unde illa, de Mediatione et Intercessione Domini apud Patrem: at qui interiora Verbi scit, is prorsus aliam notionem de Mediatione Domini et de Ipsius Intercessione habet, quod nempe non intercedat sicut Filius apud Patrem regem in terra, sed sicut Dominus universi apud Se, et sicut Deus a Se, nam non sunt duo Pater et Ipse, sed sunt unum, ut Ipse docet Johan: XIV: 8 ad 11: quod dicatur Mediator et Intercessor, est quia per Filium intelligitur Divinum Verum, et per Patrem Divinum Bonum, n: 2803. 2813. 3704, et Mediatio fit per Divinum Verum, nam per id datur aditus ad Divinum Bonum; Divinum enim Bonum non adiri potest, quia est sicut ignis Solis, sed Divinum Verum, quia hoc est sicut Lux inde, quae dat hominis visui, qui est ex fide, transitum et aditum, [26] n: 8644; inde constare potest, quid Mediatio et Intercessio. Porro dicendum est, undenam est, quod Ipse Dominus, Qui est Ipsum Divinum Bonum ac Ipse Sol coeli, dicatur Mediator et Intercessor apud Patrem; Dominus, cum in Mundo fuit, antequam plene glorificatus est, fuit Divinum Verum, quare tunc Mediatio fuit, et intercessit apud Patrem, hoc est, apud Ipsum Divinum Bonum, Joh: XIV: 16. 17. Cap: XVII: 9. 15. 17; at postquam glorificatus est quoad Humanum, tunc dicitur Mediator et Intercessor ex eo, quod de Ipso Divino nullus cogitare possit, nisi sistat sibi ideam Divini Hominis, minus aliquis potest per amorem conjungi Ipsi Divino nisi per talem ideam; si quis absque idea Divini Hominis cogitat de Ipso Divino, cogitat interminate, et idea interminata est nulla; vel

capit ideam de Divino ex universo aspectabili absque fine vel cum fine in obscuro, quae idea conjungit se cum idea cultorum naturae, cadit etiam in naturam, et sic fit nulla; inde patet quod non foret aliqua conjunctio cum Divino per fidem, nec per amorem; omnis conjunctio requirit objectum, et secundum objecti quale fit conjunctio; inde est quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur Mediator et Intercessor, sed mediat et intercedit apud Se; quod Ipsum Divinum non per aliquam ideam capi possit, constat ex Domini verbis apud Johannem „Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit" I: 18; et apud Eundem „Non vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis" V: 37. Attamen, quod memorabile, omnes qui ex se seu ex carne cogitant de Deo, cogitant de Ipso interminate, hoc est, absque ulla idea terminata; at qui non ex se, nec ex carne, sed ex spiritu cogitant de Deo, cogitant de Ipso determinate, hoc est, sistunt sibi ideam Divini sub specie humana; ita Angeli in coelo cogitant de Divino, ac ita Antiqui sapientes cogitarunt, quibus etiam, cum ipsum Divinum apparuit, sicut Divinus Homo apparuit, nam Divinum transiens per Coelum est Divinus Homo, causa est, quia Coelum est Maximus Homo, ut ad finem plurium Capitum ostensum est: ex his patet, quales intelligentes mundi sunt, et quales intelligentes coeli, quod nempe intelligentes mundi removeant a se ideam humani, inde est quod inter mentem illorum et inter Divinum non sit mediatio, unde illis caligo; at intelligentes coeli habent ideam Divini in Humano, sic Dominus est illis mediatio, ac inde mentibus illorum est lux.

8706. Et doceas illos statuta et leges, quod significet quod a vero immediato a Domino bona et vera externa et interna Ecclesiae, constat ex repraesentatione Moschis, de quo dicitur quod doceret, quod sit Verum immediate a Domino procedens, de qua n: 7010. 7382; ex significatione statutorum, quod sint bona et vera externa Ecclesiae, de qua n: 3382. 8362; et ex significatione legum, quod sint bona et vera interna Ecclesiae, de qua n: 8695.

8707. Et notam facias illis viam, ibunt in qua, quod significet intelligentiae lucem et inde vitam, constat ex significatione viae, quod praedicetur de intellectu veri, de qua n: 627.

2333, hic in interiori gradu, quia praedicatur de intellectu qui est homini Ecclesiae spiritualis ex influxu immediato veri a Domino, ex quo non est apperceptio veri, sed est lux quae dat facultatem intelligendi; cum hac luce se habet sicut cum luce visus oculi; ut videat oculus res objectas, erit lux, ex qua illuminatio communis; in hac luce videt oculus et discernit objecta, et afficitur pulchritudine et jucunditate ex convenientia illorum cum ordine; similiter se habet cum visu oculi interni, qui est intellectus, ut hic videat, etiam erit lux, ex qua illuminatio communis, in qua apparent objecta, quae sunt res intelligentiae et sapientiae; haec lux est a Divino Vero, quod immediate a Domino procedit, videatur n: 8644 fin: res objectae in illa Luce apparent pulchrae et jucundae secundum convenientiam cum bono, quod cuivis; et ex significatione ibunt in qua, nempe in luce, quod sit inde vita; quod ire in sensu interno sit vita, videatur n: 3335. 4882. 5493. 5605. 8417. 8420. [27]

8708. Et opus quod facient, quod significet fidem actu, constat ex significatione operis quod facient, quod sit actio, hic actio ex luce intelligentiae, ita ex fide, nam fides a Domino est in luce intelligentiae, de qua supra n: 8707; quantum homo ex veris quae fidei recipit, tantum intrat in lucem illam, et elevatur in coelum; at receptio verorum fidei non fit per solam agnitionem, sed per agnitionem conjunctam vitae, hoc est, ut agnoscantur actu; haec receptio est, quae intelligitur per opus quod facient.

8709. Et tu videas ex omni populo, quod significet electionem verorum inservientium, constat ex significatione videre, quod hic sit eligere; et ex significatione populi, quod praedicetur de veris, de qua n: 1259. 1260. 3581. 4619; hic de veris inservientibus Vero immediate a Divino, quod per Moschen repraesentatur, n: 7010; principes enim, quos eligeret, ei inservituri erant; quod principes sint vera inservientia, videbitur infra.

8710. Viros strenuitatis, timentes Deum, quod significet quibus bonum a Divino conjungi posset, constat ex significatione virorum strenuitatis quod sint quibus vires ex veris, quae ex bono; per virum enim significatur Verum, n: 3134. 5502, et per strenuitatem vires quae inde, in Lingua originali etiam si-

gnificantur vires per eandem vocem per quam hic strenuitas; quod sint vires ex veris *quae ex bono*, est quia hi dicuntur etiam timentes Deum, et per timentes Deum significantur qui in bono sunt ex Divino, nam timor Dei est cultus ex bono fidei et ex bono amoris, n: 2826. 5459.

8711. Viros veritatis odientes lucrum, quod significet quia vera sunt pura absque fine mundano, [28] constat ex significatione virorum veritatis, quod sint vera pura; quod viri veritatis sint vera pura, est quia per viros significantur vera, n: 3134. 5502, et per veritatem fides, n: 3121, ita per viros veritatis vera fidei, hoc est, vera pura; et ex significatione odientes lucrum, quod sit aversatio persuasionum ex falso et malo, per odi enim significatur aversatio et per lucrum falsum et malum quae persuadent, et a vero et bono abstrahunt; per lucrum in genere significatur omne falsum ex malo, quod judicia mentis pervertit, hoc quia fit apud illos qui pro fine habent mundum, inde per odientes lucrum etiam significantur qui absque fine mundano. Quod lucrum sit omne falsum ex malo quod judicia mentis pervertit, et a vero ac bono abstrahit, constare potest cuivis qui reflectit; in quo sensu etiam lucrum memoratur pluries in Verbo, ut apud Esaiam Cap: XXXIII: 15. Cap: LVI: 11. Cap: LVII: 17. Apud Jeremiam, Cap: VI: 13. Cap: VIII: 10. Cap: XXII: 17. Apud Ezechielem, Cap: XXII: 27. Cap: XXXIII: 31. Apud Davidem, Psalm: CXIX: 36.

8712. Et ponas illos principes millenorum, quod significet primaria quae in primo gradu sub Vero immediate a Divino, constat ex significatione principum, quod sint primaria, de qua n: 1482. 2089. 5044, hic vera ex bono, quia principes illi essent sub Moscheh, per quem repraesentatur Verum Divinum procedens a Divino Bono, hoc est, a Domino; et ex significatione millenorum, quod sint qui in primo gradu; per mille enim significantur multi seu in sensu abstracto multa, et ubi multa, seu qui multis praesunt, et inde in digniori gradu sunt, quam qui paucis, hic itaque qui in primo gradu, nam qui in inferiori gradu, erant principes centenorum, quinquagenorum, et decadum; quod mille in sensu interno non sint mille, sed multi aut *multa*, videatur n: 2575.

8713. Principes centenorum, quod significet primaria in

secundo gradu, constat ex significatione principum, quod sint primaria, ut mox supra n: 8712; et ex significatione centenorum, quod sint multi aut multa, sed in secundo gradu, quia milleni sunt in primo, quod centum sint multum, videatur n: 4400.

8714. Principes quinquagenorum, quod significet primaria intermedia, constat ex significatione principum, quod sint primaria, ut supra n: 8712. 8713; [29] et ex significatione quinquagenorum, quod sint intermedia, nempe inter illa vera ex bono quae in secundo gradu et illa quae in tertio, [per] quae significantur principes centenorum et principes decadum; quod quinquageni sint intermedia, est quia per quinquaginta significatur tam multum quam aliquid, simile ac per quinque, quod multum, videatur n: 5708. 5956, quod aliquid n: 4638. 5291, inde cum quinquaginta inter centum et decem nominantur, sunt intermedia: intermedia sunt, quae accedunt ad unam partem et procedunt ab altera, ita inter illa quae in priori gradu et illa quae in posteriori, conjunctionis causa.

8715. Et principes decadum, quod significet primaria in tertio loco, constat ex significatione principum, quod sint primaria, ut supra; et ex significatione decadum, quod etiam sint multa, sed in minori gradu, quia sub centenis; quod decades seu decem etiam sint multa, videatur n: 3107. 4638. Quod ordinati principes fuerint super mille, super centum, et super decem, repraesentabat abstracte ab omni numero multa, in gradu primo, secundo, et tertio, similiter ut in Verbo alibi; prout ubi Dominus de Servo dixit, *quod* „*debuerit decem mille* talenta; et quod conservus ei debuerit *centum denarios*“ Matth: XVIII: 24. 28: similiter ubi de Rege commissuro cum altero Rege bellum, consultante „num potens esset cum *decem millibus* occurrere alteri, qui cum *viginti millibus* veniret“ Luc: XIV: 31. Pariter apud Johannem „Angelus descendens de coelo comprehendit draconem, et vinxit illum *mille annos*, et conjecit illum in abyssum, ut non seduceret gentes amplius, usquedum consummarentur *Mille anni;* reliqui mortuorum non revixerunt, antequam consummati sunt *mille anni;* haec resuscitatio prima“ Apoc: XX: 2. 3. 5. 7; hic per mille non significantur mille, sed absque ullo numero multum. Pariter apud Moschen „Jehovah

faciens misericordiam *mille generationibus* amantibus Ipsum" Exod: XX: 6. Deut: V: 9. 10. Cap: VII: 9. Jerem: XXXII: 18. [30] Apud Davidem „Verbum praecepit *in mille generationes*" Psalm: CV: 8. Apud Eundem „*Cadent a latere tuo mille*, et *myrias* a dextra, ad te non appropinquabit" Psalm: XCI: 7. Apud Eundem „Currus Dei *binae myriades*, *milleni* pacificorum" Psalm: LXVIII: 18. Apud Eundem „Greges nostri *milleni*, et *decies milleni* in plateis nostris" Psalm: CXLIV: 13. Apud Eundem „*Mille anni* in oculis tuis sicut dies" Psalm: XC: 4: similiter se habet cum centum et cum decem; nam numeri minores simile cum majoribus per similem numerum multiplicatis significant, n: 5291. 5335. 5708. 7973: quod centum et decem etiam sint multum, videatur n: 3107. 4400. 4638.

8716. Et judicent populum in omni tempore, quod significet dispositionem sic in perpetuum, constat ex significatione judicare, quod sit dispositio verorum, de qua supra n: 8685; et ex significatione in omni tempore, quod sit in perpetuum.

8717. Et erit, omne verbum magnum adducent ad te, quod significet quod omne a Vero immediate a Divino, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum immediate a Divino, de qua n: 7010. 7382; quod omne ab illo, significatur per omne verbum magnum adducent ad illum; apparet ex sensu literae, sicut omne adduceretur ad Divinum Verum, sed quia omne a Domino per Verum ab Ipso procedens venit, nam omne vitae est ab Ipso, idcirco in sensu interno non significatur ad illum, sed ab illo; se habet hoc sicut de Influxu n: 3721. 5119. 5259. 5779. 6322, ostensum est, quod ille, nempe influxus, non fiat ab exterioribus ad interiora, sed ab interioribus ad exteriora; causa est, quia exteriora omnia sunt formata ad inserviendum interioribus, sicut causae instrumentales suis causis principalibus, et illae sunt causae mortuae absque his; sciendum, quod in sensu interno res exponantur quales illae in se sunt, non quales apparent in sensu literae; res in se est, quod Dominus per Verum ab Ipso procedens [31] regat omnia usque ad singularissima, non sicut rex in mundo, sed sicut Deus in coelo et universo; rex in mundo solum universalem curam habet, et ejus principes et officiarii particularem; aliter Deus, nam Deus videt omnia, et novit omnia ab aeterno, et providet omnia in

aeternum, et tenet ex se omnia in suo ordine; inde constat, quod Dominus non modo universalem curam habeat, sed etiam particularem et singularem omnium, aliter ac rex in mundo: dispositio Ipsius est immediata per Verum Divinum a Se, et quoque est mediata per Coelum; sed dispositio mediata per coelum, est quoque sicut immediata ab Ipso, nam quod e coelo venit, hoc per Coelum ab Ipso venit; quod ita sit, angeli in Coelo non modo sciunt, sed etiam in se percipiunt: quod Divina Domini dispositio seu providentia sit in omnibus et singulis, imo in omnium singularissimis, quantumvis aliter coram homine apparet, videatur n: 4329. 5122 fin: 5904 fin: 6058. 6481 ad 6486. [32] 6487. 6490. 6491. Sed haec res aegre cadit in ideam alicujus hominis, et minime in illorum qui propriae prudentiae fidunt, nam illi omnia, quae prospere sibi eveniunt, sibi tribuunt, et reliqua adscribunt fortunae vel casui, et pauci providentiae Divinae, ita tribuunt res contingentes causis mortuis, et non causae vivae; dicunt quidem, cum res feliciter succedunt, quod hoc a Deo, etiam quod nihil non inde sit, sed pauci et vix ulli id corde credunt: similiter faciunt illi, qui omne faustum ponunt in mundanis et corporeis, nempe in honoribus et divitiis, creduntque quod illae solae sint benedictiones Divinae, quare cum vident plures ex malis abundare talibus, et non ita bonos, rejiciunt e corde suo et negant Providentiam Divinam in singularibus; non considerantes, quod Benedictio Divina sit felix esse in aeternum, et quod Dominus talia quae momentanea sunt, qualia sunt respective quae in mundo, non spectet aliter quam ut media ad aeterna; quapropter etiam Dominus providet bonis, qui recipiunt Ipsius Misericordiam in tempore, talia quae ad vitae illorum aeternae felicitatem conducunt, divitias et honores quibus non nocent, et non divitias et honores quibus nocent; his usque dat in tempore loco honorum et divitiarum laetari paucis, et prae divitibus et honoratis contentos esse.

8718. Et omne verbum parvum judicent illi, quod significet apparentiam quorundam particularium et singularium aliunde, constat ex illis quae nunc supra n: 8717, explicata sunt, quod nempe per quod omne verbum magnum adducent ad Moschen, significetur quod omnia et singula usque ad singularissi-

ma sint a Domino; inde etiam sequitur, quod quoque verbum parvum, hoc est, res particulares et singulares sint ab Ipso: quod sint apparentia, quod aliunde, videbitur infra.

8719. Et devolve desuper te et portent tecum, quod significet sic functiones et officia pro illis, constat ex significatione devolvere desuper te, quod sit derivare etiam ad alios; et ex significatione portare cum illo, quod sit adjumento esse: quod per ea verba significetur, quod sic functiones et officia pro illis, est quia Dominus omnia et singula agit, ex se immediate, et mediate per coelum: quod mediate per coelum agat, non est quod illorum opis indigeat, sed ut angelis ibi sint functiones et officia, ac inde vita et secundum officia et usus felicitas; inde est, quod sit apparentia illis quod ex se agant, sed perceptio quod ex Domino; haec significantur per quod Moscheh devolveret desuper se, et principes, qui judicarent res parvas, portarent cum illo. Quod Dominus influat non solum immediate, sed etiam mediate, nec modo in prima sed etiam in media et in ultima ordinis, videatur n: 6982. 6985. 6996. 7004. 7007.

8720. Si verbum hoc facias, et praeceperit tibi Deus, quod significet quod sic ex Divino, constat ex significatione si praeceperit Deus ut Verbum hoc facias, quod sit cum sic a Divino.

8721. Potes consistere, quod significet sic mansionem apud illos, constat ex significatione potes consistere, quod sit mansionem habere apud illos qui ab Ecclesia spirituali; quod id significetur, est quia si verum immediate a Divino modo influeret, et non per coelum mediate, non posset homo Ecclesiae illius duci nisi per verum, non autem per bonum, ut constare potest ab illis quae supra n: 8685. 8701, ostensa sunt; et nisi duceretur per bonum, non posset in coelo esse, ita non posset Dominus apud illos mansionem habere, nam mansio Domini apud hominem est in bono apud illum, non autem in vero nisi per bonum.

8722. Et etiam omnis populus hic super locum suum veniet in pace, quod significet quod illi qui ab Ecclesia spirituali in bono erunt, et sic ex bono ducentur, constat ex significatione populi, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, quia per populum intelliguntur filii Israëlis, per quos repraesentatur Ecclesia spiritualis; ex significatione ad locum venire, quod sit ad sta-

tum, ad quem ducentur, qui status est status boni, nam illi qui sunt ab Ecclesia spirituali, per verum ad bonum ducuntur, et cum ad bonum, tunc ad locum suum veniunt, quod locus sit status, videatur n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5605. [33] 7381; et ex significatione pacis, quod sit Divinum in bono, nam pax in supremo sensu est Dominus, et inde est quod intime afficit bonum, et est esse felicitatis illorum qui in bono sunt; quamdiu homo in vero est, et nondum in bono, est in intranquillo; sed cum in bono est, tunc in tranquillo est, ita in pace; causa est quia spiritus mali non aggredi possunt bonum, sed aufugiunt ad primam apperceptionem ejus, at verum possunt aggredi, inde est, quod cum in bono sunt in pace sint: haec sunt quae significantur per quod omnis populus super locum suum veniet in pace. Quid sit a Domino per Verum duci et quid per bonum, videatur n: 8516. 8539. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701.

8723. Vers: 24. 25. 26. 27. *Et auscultavit Moscheh voci soceri sui, et fecit omne quod dixit. Et elegit Moscheh viros strenuitatis ab omni Israële, et dedit illos capita super populum, principes millenorum, principes centenorum, principes quinquagenorum, et principes decadum. Et judicabunt populum in omni tempore, verbum difficile adducent ad Moschen, et omne verbum parvum judicabunt illi. Et dimisit Moscheh socerum suum, et ivit sibi ad terram suam.* Et auscultavit Moscheh voci soceri sui, et fecit omne quod dixit, significat effectum secundum ordinationem Divini Boni: et elegit Moscheh viros strenuitatis ab omni Israële, significat electionem verorum quibus bonum conjungi potuit apud illos qui ab Ecclesia spirituali: et dedit illos capita super populum, significat influxum in illa vera: principes millenorum, principes centenorum, principes quinquagenorum, et principes decadum, significat primaria vera quae subordinata in ordine successivo Vero immediate a Divino procedenti: et judicabunt populum in omni tempore, significat dependentiam inde perpetuam: verbum difficile adducent ad Moschen, significat mediationem et intercessionem: et omne verbum parvum judicabunt illi, significat apparentiam quorundam particularium et singularium aliunde: et dimisit Moscheh socerum suum, significat statum Veri Divini accommoda-

tum: et ivit sibi ad terram suam, significat ad Ipsum Divinum.

8724. Et auscultavit Moscheh voci soceri sui, et fecit omne quod dixit, quod significet effectum secundum ordinationem Divini [Boni], constat absque explicatione, nam per Jethronem socerum Moschis repraesentatur Divinum Bonum, n: 8643, et per Moschen Divinum Verum, quod ex Divino Bono procedit, n: 8644; Divinum Verum quod procedit a Domino, ex se nihil agit, sed ex Divino Bono, quod est ipsum Divinum, nam Divinum Bonum est Esse, Divinum Verum autem est Existere inde, quare erit Esse in Existere, ut hoc aliquid sit, et inde aliquid fiat: Dominus cum fuit in mundo, Divinum Verum fuit, et tunc Divinum Bonum in Ipso fuit Pater; at cum glorificatus est, tunc Ipse factus est Divinum Bonum etiam quoad Humanum; Divinum Verum quod ab Ipso tunc procedit, vocatur Paracletus seu Spiritus Veritatis: qui haec duo arcana novit, is, si in illustratione est a Domino, cum legit Verbum, potest esse in intellectu plurium, quae Ipse Dominus loquutus est de Patre et de Se, ut et de Paracleto Spiritu Veritatis, quae alioquin mysteria incomprehensibilia forent, prout quae apud Johannem „*Jesus dixit, non potest Filius facere a Se Ipso quicquam, nisi viderit Patrem facientem; nam quae Ille facit, haec etiam Filius similiter facit: quemadmodum Pater habet vitam in Se Ipso, ita dedit etiam Filio vitam habere in Se Ipso*" V: 19. 26: tum apud Eundem „*Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum glorificatus est*" VII: 39. Et alibi „*Si non abirem, Paracletus non veniet ad vos, si vero abivero, mittam illum ad vos, spiritus ille veritatis non loquetur a Se ipso, sed quaecunque audiverit, loquetur: Ille Me glorificabit, quia ex Meo accipiet*" XVI: 7. 13; et plura similia alibi.

8725. Et elegit Moscheh viros strenuitatis ab omni Israële, quod significet electionem verorum quibus bonum conjungi potuit apud illos qui ab Ecclesia spirituali, constat ex significatione virorum strenuitatis, quod sint vera quibus bonum conjungi potest, de qua supra n: 8710; [34] et ex repraesentatione Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua supra n: 8645. Dicitur electio verorum quibus bonum conjungi potest,

quia dantur vera quibus bonum nondum conjungi potest, et vera quibus potest; vera quibus potest, sunt vera confirmata, et quoque consociata pluribus, etiam talibus quae intellectualem visum delectant, sic vera illa intrant in affectionem, quae facit ut homo velit illa; cum hoc fit, tunc bonum se illis conjungit, nam velle vera, et inde agere illa, facit ut sint bonum; sciendum porro, quod bonum veris non prius conjungatur, quam cum vera illa purificata sunt a falsis quae ex malo, et antequam nexum habent cum omnibus veris quae erunt fidei apud regenerandum: nexum et purificationem verorum vident et percipiunt angeli a Domino clare et evidenter, utcunque homo nihil tale apud se sentit aut appercipit.

8726. Et dedit illos capita super populum, quod significet influxum in illa vera, constat ex significatione virorum strenuitatis, qui hic sunt illi quos dedit capita super populum, quod sint vera quibus bonum conjungi potest, de qua nunc supra n: 8725; ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum immediate a Divino, de qua saepius; et ex significatione dare illos capita, quod sit influere, et sic qualificare, ut Verum immediate a Divino per illa possit hominem Ecclesiae ducere per bonum. Quomodo cum his se habet, constare potest ex illis quae prius exposita sunt, quod nempe homo qui regeneratur primum ducatur per Verum quod fidei, at cum regeneratus est ducatur per bonum quod Charitatis, n: 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701; quodque in primo statu, nempe cum ducitur per verum, influat Dominus per Verum Divinum quod immediate ab Ipso procedit, at in altero statu, nempe cum ducitur per bonum, influat Dominus per Verum quod tam immediate quam quod mediate ab Ipso procedit, n: 8685. 8701; et quod influxus mediatus aeque sit a Domino quam influxus immediatus, n: 8717; haec sunt quae in hoc Versu in sensu interno describuntur; ipse influxus Veri mediatus [35] a Divino, significatur per ea verba, quod Moscheh dedit illos capita super populum.

8727. Principes millenorum, principes centenorum, principes quinquagenorum, et principes decadum, quod significet primaria vera quae subordinata in ordine successivo vero immediate a Divino procedenti, constat ex illis quae supra n: 8712. 8713. 8714. 8715. 8717. 8718. 8722, allata sunt.

8728. Et judicabunt populum in omni tempore, quod significet dependentiam inde perpetuam, constat ex significatione judicare, quod sit dispositio verorum, de qua supra n: 8685, hic dispositio subordinata, quae est dependentia; nam principes qui judicaturi populum erant loco Moschis in rebus parvis; in sensu interno quod vera in successivo ordine ab interioribus ad exteriora sint subordinata Vero immediate a Divino, per quae sic Dominus mediate agit; at in sensu ad personas determinato, sunt Angeli et Angelicae societates in tali subordinatione et dependentia, per illos enim Dominus mediate agit [36] et regit homines; verum usque non sunt Angeli qui regunt, sed est Dominus per illos, videatur n: 8718. 8719. Quod hanc rem ulterius attinet, sciendum, quod etiam quaedam ab ipsis angelis, qui apud hominem sunt, veniant; sed omne bonum et verum quae fiunt fidei et charitatis, hoc est, novae vitae apud hominem, veniunt à Domino solo, etiam per angelos ab Ipso; pariter omnis dispositio, quae continua est, ad eum usum: quae ab ipsis angelis veniunt, sunt talia, quae se affectioni hominis accommodant, ac in se non sunt bona, sed usque inserviunt pro introducendis bonis et veris quae a Domino; quod in omni tempore sit in perpetuum, constat absque explicatione.

8729. Verbum difficile adducent ad Moschen, quod significet mediationem et intercessionem, constat ex illis quae supra n: 8705, explicata sunt: hic dicitur quod adducent verbum ad Moschen, ibi autem quod Moscheh adducet [37] ad Deum, sed utrumque simile involvit.

8730. Et omne verbum parvum judicabunt illi, significat apparentiam quorundam particularium et singularium aliunde, ut supra n: 8718, ubi eadem verba.

8731. Et dimisit Moscheh socerum suum, quod significet statum veri Divini accommodatum, constat ex eo, quod postquam omnia in ordinem redacta sunt, hoc est, accommodata, nempe cum vera mediata subordinata sunt Vero immediate a Divino, sit finis illius status; hic describitur per quod Moscheh dimisit socerum suum, nam initium illius status describitur per quod Jethro ad Moschen venerit, et sic consociati sint ob illum finem. Quod non prius a Jehovah mandatum sit, ut principes ordinarentur, qui etiam judicarent populum, sed quod ex con-

silio et suasu Jethronis id factum sit, erat causa, ut haec res, de qua in hoc capite agitur, plene in suo ordine repraesentaretur: nam in praecedentibus actum est de priori statu, in quo sunt illi qui ab Ecclesia spirituali cum regenerantur, nempe cum ducuntur a Domino per verum, huic statui succedit alter, qui est ut ducantur a Domino per bonum; versura haec seu mutatio unius status in alterum est quae in hoc Capite per Jethronem describitur.

8732. Et ivit sibi ad terram suam, quod significet ad Ipsum Divinum, constat ex significatione ire ad terram suam, quod sit ad statum priorem, ita ad Divinum; praeterea per terram significatur in sensu interno Ecclesia, et quoque coelum, inde in sensu supremo significatur Divinum; quod per terram in sensu interno significetur Ecclesia, ita quoque Regnum Domini in coelo, videatur n: 566. 662. 1066. 1067. 1733. 1850. 2117. 2118. 2928. 3355. 4447. 4535. 5577. 8011: quod per terram in sensu supremo significetur Divinum, est quia Jethro repraesentabat Divinum Bonum, ita Ipsum Divinum, ad quod redire, in sensu literae historico, non aliter quam per ire ad terram suam, exprimi potest; nam significativa in Verbo ad rem repraesentatam accommodate se habent, remanente tamen usque significatione quae proprie voci competit; sicut significatio terrae, quae proprie significat Ecclesiam, ex causa quia illi qui in coelo sunt, non cogitant de terra, cum illa in Verbo legitur, sed de statu spirituali gentis quae in terra, ita de religioso ibi, quare cum legitur terra ubi est Ecclesia, tunc ideam Ecclesiae ibi habent, et cum ideam Ecclesiae, etiam ideam Regni Domini, proinde coeli, et cum coeli, etiam Divini ibi; at cum res repraesentata agit de reliqua re sancta in Ecclesia, aut in coelo, tunc illa res per terram potest intelligi, sicut amor, charitas, bonum, fides; inde patet, quod usque significatio, quae proprie voci competit, remaneat, sicut cum significatur bonum, vel amor vel charitas, usque universaliter maneat significatio Ecclesiae, nam illa sunt essentialia Ecclesiae, et faciunt ut sit Ecclesia.

Continuatio de Spiritibus et Incolis Telluris Jovis.

8733. *Spiritus Telluris Jovis, quia in Maximo Homine referunt* Imaginativum Cogitationis, *parum loquuntur, et multum cogitant; et cum loquuntur est loquela illorum Cogitativa, quae ab aliorum loquelis differt in eo, quod non terminetur ita in sonorum, sed in molle quasi murmur, quod intus volubile est; ipsa cogitatio sic se evolvit apud illos in loquelam: causa est, quia ex genio inter spirituales et coelestes medio sunt; spirituales enim loquuntur sonore, ac omne cogitationis suae injiciunt loquelae, unde cogitatio illorum, ut sciatur, colligenda est ex vocibus; at coelestes non ita, sed quod voluntatis illorum est, volvit se per aliquid cogitationis in simile undae, quod alterius voluntatem secundum rei statum afficit et movet.*

8734. *Loquela spirituum in genere formata est ex ideis quae sunt cogitationis, quae secundum plenitudinem et affectionem cadunt in voces; et quia integra idea rei sic sistitur et communicatur, spiritus plura possunt intra minutum exponere, quam potest homo in mundo intra horam; nam omnis idea rei, qualis est in cogitatione, in alterius cogitationem plene immittitur. Inde patuit mihi, quid conjunctio animorum seu conjunctio spiritualis sit, quae est charitas seu amor mutuus, quod nempe unius mens se sistat in alterius mente cum omni bono cogitationis et voluntatis suae erga illum, et sic afficiat; et vice versa quid disjunctio spiritualis, quae est inimicitia et odium, quod nempe unius mens se sistat in mente alterius cum cogitatione et voluntate destruendi illum, unde rejectio.*

8735. *Porro instructus sum a spiritibus Telluris Jovis, qui admodum diu apud me fuerunt, quod in illa tellure etiam sint qui se Sanctos vocant, et imperant sub poena famulis suis, quos multiplicant, ut se dominos appellent; prohibent etiam illis, ut adorent Dominum universi, dicentes quod illi Domini mediatores sint, et quod supplicationes illorum ad Dominum universi allaturi sint: Dominum Universi, qui est Dominus noster, non vocant unicum Dominum, sicut reliqui, sed Supremum Dominum; ex causa quia etiam illi se dicunt dominos.*

8736. *Sancti illi, qui a famulis suis domini salutantur, Solem vocant faciem Supremi Domini, et ibi credunt domicilium Ipsius esse, quapropter etiam Solem adorant: illos reliqui incolae aversantur, et cum illis conversari non volunt, tam quia Solem adorant, quam quia dominos se vocant, et a famulis suis coluntur sicut dii mediatores.*

8737. *Spiritus instructores et castigatores, de quibus supra n:* 7802 *ad* 7812, *illos non adeunt, sicut alios in illa tellure, quia non se instrui patiuntur, nec emendantur per disciplinam, sunt inflexibiles, quia ex amore sui id faciunt; spiritus dicunt, quod ex frigore cognoscant quod illi sint, et quod cum appercipiunt frigus, ab illis discedant.*

8738. *Ostensum mihi erat* [38] *a spiritibus tegumentum Capitis illorum, qui se sanctos vocant, quod fuit pileus turritus coloris obscuri.*

8739. *In altera vita tales apparent ad dextram retrorsum ad aliquam altitudinem, ac ibi sedent sicut idola, et quoque initio a famulis, qui apud tales fuerunt, coluntur, sed postea ab iis quoque risui habentur: et quod miratus sum, ibi lucent facie quasi ab igne, quod trahunt ex eo, quod crediderint se sanctos fuisse, et quique instar Domini qui in sole: sed tametsi apparent facie sicut ignei, usque sunt frigidi, et impense cupiunt calefieri; inde patet, quod ignis, ex quo lucent, sit sicut ignis fatuus.*

8740. *Iidem, ut calefiant, ligna secare sibi videntur, et cum secant, sub lignis apparet quid hominis, quem tunc simul conantur percutere; hoc fit inde, quia sibi tribuunt meritum, et quia sanctitatem, etiam sibi imputant justitiam; qui hoc faciunt in mundo, in altera vita videntur sibi ligna secare; ut quoque aliqui ex nostra tellure, de quibus ab experientia prius, quam experientiam, rem illustrandi causa, licet haec ex n:* 4943 *transferre,*

„ *In inferiore terra sub plantis, etiam sunt illi qui meri-*
„ *tum posuerunt in bene actis et operibus, plures eorum appa-*
„ *rent sibi ligna secare; locus ubi sunt est frigidior, et videntur*
„ *sibi calorem acquirere per laborem suum; cum illis etiam lo-*
„ *quutus sum, et illis dicere datum, numne vellent ex loco illo*
„ *exire, dicebant quod adhuc per laborem non meruerint; at*

„ *cum status ille peractus est, inde eximuntur, sunt etiam illi* „ *naturales, quia velle mereri salutem non est spirituale, venit* „ *enim a proprio non a Domino: et praeterea praeferunt se aliis,* „ *et quidam eorum contemnunt alios: illi si non gaudium prae* „ *reliquis in altera vita recipiunt, indignantur contra Domi-* „ *num, quapropter cum secant ligna, apparet quasi quid Do-* „ *mini sub lignis; hoc ex indignatione. Sed quia vitam piam* „ *egerunt, et ex ignorantia ita fecerunt in qua aliquid innocen-* „ *tiae fuit, ideo aliquoties Angeli ad illos mittuntur, et illos* „ *consolantur: et praeterea apparet illis desuper a sinistro* „ *quandoque sicut ovis, ex qua visa consolationem accipiunt,"* *videatur etiam n:* **1110**.

8741. *Continuatio de spiritibus et Incolis telluris Jovis ad finem Capitis sequentis.*



EXODI

CAPUT DECIMUM NONUM.

Doctrina Charitatis.

8742. Unicuique est homo internus et homo externus; Internus est qui homo spiritualis vocatur, et Externus qui homo naturalis: uterque regenerandus est, ut homo regeneratus sit.

8743. Apud hominem qui non regeneratus est, externus seu naturalis homo imperat, ac internus seu Spiritualis servit; at apud hominem qui regeneratus est, internus seu spiritualis homo imperat, et externus seu naturalis servit: haec inversio nequaquam existere potest quam per regenerationem a Domino.

8744. Cum externus homo non regeneratus est, ponit ille omne bonum in volupi, in lucro, in fastu, et exardescit in odium et vindictam contra illos qui se opponunt; et tunc internus homo non modo consentit, sed etiam subministrat rationes quae confirmant et promovent; ita internus homo servit et externus imperat.

8745. Cum autem externus homo regeneratus est, ponit internus omne bonum in cogitare bene de proximo et velle ei bene, et externus ponit in loqui bene de illo et agere bene erga illum; et tandem uterque pro fine habet amare proximum et amare Dominum, et non ut prius amare se et amare mundum: tunc homo externus seu naturalis servit, et internus seu spiritualis imperat.

8746. Internus homo primum regeneratur a Domino, et

postea externus, et hic per illum; internus homo regeneratur per cogitare illa quae fidei sunt, ac velle illa, externus autem per vitam secundum illa: Vita fidei est Charitas.

8747. Homo qui regeneratus est, quoad internum suum hominem in coelo est, ac ibi Angelus cum Angelis, inter quos etiam post mortem venit; is tunc potest vivere vitam coeli, amare Dominum, amare proximum, intelligere verum, sapere bonum, et percipere beatum inde: haec sunt felicitas vitae aeternae.

EXODI

CAPUT XIX.

1. In mense tertio ad exire filios Israëlis e terra Aegypti, *in die* hoc venerunt desertum Sinai.

2. Et profecti sunt e Rephidim, et venerunt desertum Sinai, et castrametati in deserto, et castrametatus est ibi Israël juxta montem.

3. Et Moscheh ascendit ad DEUM; et vocavit ad illum JEHOVAH e monte, dicendo, ita dices domui Jacobi, et nuntiabis filiis Israëlis.

4. Vos vidistis quod feci Aegyptiis, et tuli vos super alis aquilarum, et adduxi vos ad Me.

5. Et nunc si audiendo audiveritis vocem meam, et custodiveritis foedus meum, et eritis Mihi peculium prae omnibus populis; quia Mihi omnis terra.

6. Et vos eritis Mihi regnum sacerdotum, et gens sancta: haec verba quae loqueris ad filios Israëlis.

7. Et venit Moscheh, et vocavit seniores populi, et posuit coram illis omnia verba illa, quae praecepit illis JEHOVAH.

8. Et responderunt omnis populus simul, et dixerunt, omne quod loquutus JEHOVAH faciemus: et retulit Moscheh verba populi ad JEHOVAM.

9. Et dixit JEHOVAH ad Moschen, ecce Ego veniens ad te

in densitate nubis, propterea ut audiat populus in loquendo Me tecum, et etiam in te credent ad aeternum; et nuntiavit Moscheh verba populi ad JEHOVAM.

10. Et dixit JEHOVAH ad Moschen, abi ad populum, et sanctifica illos hodie et cras, et lavent vestes suas.

11. Et erunt parati ad diem tertium, quia in die tertio descendet JEHOVAH ad oculos omnis populi supra montem Sinai.

12. Et terminos ponas populo circumcirca, dicendo, cavete vobis ascendere in montem, et tangere extremitatem ejus, omnis tangens montem moriendo morietur.

13. Non tanget illum manus, quia lapidando lapidabitur, aut jaculando jaculis conficietur, si bestia si vir, non vivet, in trahendo jobel illi ascendent in montem.

14. Et descendit Moscheh de monte ad populum, et sanctificavit populum, et laverunt vestes suas.

15. Et dixit ad populum, estote parati ad tres dies, ne accedatis ad mulierem.

16. Et fuit, in die tertio in fieri mane, et fuit voces et fulgura, et nubes gravis super monte, et vox buccinae vehemens valde, et trepidabat omnis populus qui in castris.

17. Et exire fecit Moscheh populum obviam DEO e castris, et constiterunt in inferioribus montis.

18. Et mons Sinai fumabat totus ille, propter quod descendit super illum JEHOVAH in igne, et ascendit fumus ejus sicut fumus fornacis, et tremiscebat totus mons valde.

19. Et fuit vox buccinae vadens et fortificans se valde; Moscheh loquebatur et DEUS respondebat illi in voce.

20. Et descendit JEHOVAH super montem Sinai ad caput montis, et vocavit JEHOVAH Moschen ad Caput montis, et ascendit Moscheh.

21. Et dixit JEHOVAH ad Moschen, descende, obtestare populum ne forte perrumpant ad JEHOVAM ad videndum, et cadat de eo multus.

22. Et etiam sacerdotes accedentes ad JEHOVAM sanctificabunt se, ne forte rupturam faciat in illis JEHOVAH.

23. Et dixit Moscheh ad JEHOVAM, non potest populus ascendere ad montem Sinai, quia tu contestatus es in nos, dicendo, terminos pone monti, et sanctifica eum.

24. Et dixit ad illum JEHOVAH, abi, descende, et ascendas tu et Aharon tecum, et sacerdotes et populus ne perrumpant ad ascendendum ad JEHOVAM, ne forte rupturam faciat in illis.

25. Et descendit Moscheh ad populum, et dixit ad illos.

CONTENTA.

8748. Agitur in nunc sequentibus in sensu interno de revelatione Veri Divini a Domino e Coelo; et in hoc Capite de praeparatione ad recipiendum illud.

SENSUS INTERNUS.

8749. Vers: 1. 2. *In mense tertio ad exire filios Israëlis e terra Aegypti, in die hoc venerunt desertum Sinai. Et profecti sunt e Rephidim, et venerunt desertum Sinai, et castrametati* [1] *in deserto, et castrametatus Israël juxta montem.* In mense tertio, significat status plenitudinem: ad exire filios Israëlis e terra Aegypti, significat postquam liberati sunt ab infestationibus illi qui ab Ecclesia spirituali: in die hoc, significat quod tunc: venerunt desertum Sinai, significat statum boni in quo vera fidei implantanda: et profecti sunt e Rephidim, significat continuum vitae a priori statu: et venerunt desertum Sinai, significat ad statum boni cui implantanda vera: et castrametati [1] in deserto, significat dispositionem in illo: et castrametatus Israël juxta montem, significat dispositionem apud illos qui ab Ecclesia spirituali a Bono Divino Coelesti.

8750. In mense tertio, quod significet status plenitudinem, constat ex significatione mensis, quod sit status, nam omnia tempora, [2] sicut dies, septimanae, menses et anni, significant status, n: 2788; et ex significatione trium et tertii, quod sit completum, de qua n: 1825. 2788. 4495. 5159, inde in mense tertio, est in status plenitudine. Quid plenitudo status, paucis dicetur; omnis status habet suum initium, suam progressionem, et suum finem; cum status ad finem suum pervenit, tunc est plenus, et vocatur plenitudo: in altera vita mensuran-

tur omnia per status progressiones et earum mutationes successivas a principio ad finem, sicut in mundo per tempora, quod ita fiat, est quia in coelo non sunt tempora, sed loco illorum status; causa est, quia Sol in altera [vita], qui est Dominus, permanet constanter in suo loco, nec sicut in mundo, per progressiones apparentes diurnas distinguit diem in mane, meridiem, vesperam et noctem, nec per progressiones apparentes annuas distinguit annum in ver, aestatem, autumnum, et hyemem; inde est quod in coelo non sint tempora, sed loco illorum status; at quia in intima sphaera coeli est quaedam progressio secundum formam Divinam coelestem, quae ad nullius perceptionem venit, et secundum illam status omnium in coelo mutationes subeunt, inde est quod Angeli ibi sint alternis in bono amoris, in vero fidei, inque obscuro quoad utrumque, ex eo est quod correspondentia sit statuum ibi cum temporibus in mundo, nempe status boni amoris cum mane, status veri fidei cum meridie, et status obscuri cum vespera et nocte; praeterea etiam calor qui ex sole ibi est bonum amoris, et lux quae ex sole ibi est verum fidei; inde quoque est, quod correspondentia sit caloris in mundo cum amore, qui inde vocatur calor spiritualis, ut et lucis in mundo cum fide, quae inde vocatur lux spiritualis. Sunt in genere bini status vitae, nempe status cogitationis, qui est intellectus, ac status affectionis qui est voluntatis, status cogitationis qui intellectus se refert ad verum quod fidei, hic status est qui illustratur per lucem e sole coeli qui est Dominus, etiam lux intellectus in homine est ex illa luce; status autem affectionis qui voluntatis se refert ad bonum quod charitatis, etiam calor voluntatis, qui est amor, in homine est ex calore e Sole illo, in coelo, qui est Dominus; ex his nunc constare potest quomodo se habet cum statibus et eorum mutationibus in altera vita, et quid intelligitur per status plenitudinem, quae significatur per mensem tertium; per statum hic, de quo praedicatur plenitudo, intelligitur status prior, quem subiverunt illi qui ab Ecclesia spirituali; quod hi binos status subeant, primum cum per verum a Domino ducuntur, alterum cum per bonum ab Ipso, videatur n: 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701; hic intelligitur plenitudo status prioris, qui in praecedentibus est descriptus; nunc alter status describitur.

8751. Ad exire filios Israëlis e terra Aegypti, quod significet postquam liberati sunt qui ab Ecclesia spirituali ab infestationibus, constat ex significatione exire, quod sit liberari; ex repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua n: 6426. 6637. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; et ex significatione terrae Aegypti, quod sint infestationes, de qua n: 7278: quid infestationes, videatur n: 7474; et quod illi qui ab Ecclesia spirituali usque ad adventum Domini in mundum in terra inferiori detenti fuerint, et liberati a Domino, n: 6854. 6914. 7035. 7091. 7474. 7878. 7932. 8018. 8054. 8099.

8752. In die hoc, quod significet quod tunc, constat ex significatione in die hoc, quod sit tunc; per diem enim significatur status, n: 23. 487. 488. 493. 2788. 7680, quare in die hoc est tunc cum status plenitudo.

8753. Venerunt desertum Sinai, quod significet statum boni in quo vera fidei implantanda, constat ex significatione deserti Sinai, quod sit status boni in quo implantanda sunt vera fidei; desertum hic est bonum cui nondum vera implantata sunt, et Sinai sunt ipsa vera; desertum enim plura significat, n: 3900; [3] in genere inhabitatum et inexcultum, ita in spirituali sensu bonum in quo nondum vera, nam bonum absque veris est spiritualiter inexcultum; inde desertum significat novum voluntarium quod nondum per vera fidei formatum, n: 8457. Quod montem Sinai attinet, significat ille in supremo sensu Divinum Verum ex Divino Bono, Mons Divinum Bonum, et Sinai Divinum Verum; in sensu interno verum fidei ex bono, hic verum fidei implantandum bono, quia nondum Lex ex eo promulgata est; quod Mons Sinai illa significet, est quia Lex inde a Domino promulgata est, et Lex est Divinum Verum ex Divino Bono, et quoque est verum fidei a bono, n: 6752. 7463. [4] 8695; inde erat, quod filii Israëlis castrametarentur in deserto juxta montem illum, nam ex illo non solum promulgabantur decem praecepta, quae sunt Lex in stricto sensu, sed etiam omnia statuta Ecclesiae, quae in se continebant, quia repraesentabant, vera et bona spiritualia et coelestia Regni Domini; quod Lex inde promulgata sit, constat ex Capite XX sequenti, quod etiam statuta Ecclesiae, Exod: XXI seqq; Levit: Cap: VII: 37. 38.

Cap: XXVII: 34; idem per Sinai significatur apud Davidem „Deus cum Tu exires coram populo tuo, cum incederes Tu *in deserto*, terra contremuit, etiam Coeli stillarunt coram Deo; *hic Sinai coram Deo*, *Deo Israëlis;* pluviam benevolentiarum stillare facis, Deus" Psalm: LXVIII: 8. 9. 10; hic Sinai pro vero quod ex bono, nam haec significantur per quod coeli stillarunt coram Deo, et quod Deus stillaverit pluviam benevolentiarum. In Libro Judicum „Jehovah quando exivisti e Seir, quando egressus es ex agro Edomi, terra contremuit, etiam coeli stillarunt, etiam nubes stillarunt aquas, montes defluxerunt coram Jehovah, *Ipse Sinai coram Jehovah Deo Israëlis:* in diebus Schamgaris filii Anathi, in diebus Jaëlis, cessarunt viae, et euntes semitas iverunt vias tortuosas, cessarunt vici in Israël; cessarunt donec surrexi Debora, donec surrexi mater in Israël" V: 4. 5. 6. 7, hic quoque Sinai pro Lege seu Divino Vero ex Divino Bono, ex quibus vera fidei implantata bono ejus, quae quoque significantur per Coeli stillarunt, et nubes stillarunt aquas; quod vera fidei defecerint, et perversa sint, significatur per cessarunt viae, et euntes semitas iverunt vias tortuosas; quod viae, semitae, vici, sint vera, videatur n: 627. 2333. 3123. 3477; nam in Cantico illo prophetico, quod est Deborae et Baraki, agitur de perversione veri Ecclesiae, et de restitutione ejus. Apud Moschen „*Jehovah de Sinai venit*, exortus est de Seir illis, exsplenduit de monte Paran, et venit ex myriadibus sanctitatis, a dextra Ipsius *ignis legis* illis" Deut: XXXIII: 2, benedicuntur ibi filii Jacobi a Mosche ante mortem ejus, qui propheticum benedictionis suae exorditur *per Jehovah e Sinai venit*, et per Sinai ibi significantur vera fidei in complexu; quod ita exordiatur, est quia per filios Jacobi omnia vera et bona fidei significantur, n: 3858. [5] 3862. 3926. 3939. 6335, similiter per filios Israëlis, n: 5414. 5951. 5879.

8754. Paucis hic dicetur de bono in quo vera implantanda sunt, quod hic significatur per desertum Sinai; quod homo, qui regeneratur, primum ducatur per verum a Domino, et postea per bonum, videatur n: 7923. [6] 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701; per verum ducitur homo, qui regeneratur, ob causam, ut possit venire ad bonum, hoc est, scire illud, ac dein velle illud, et demum agere illud; sed cum per verum ducitur ad bo-

num, primum venit ad bonum, cui nondum vera fidei implantata sunt; nam vera non prius implantari possunt, quam cum in bono est; prius quidem sciuntur quia in memoria sunt, sed tunc non in bono sunt sed extra bonum; postea cum homo novam vitam accipit, quam tunc primum accipit cum in bono est, tunc implantantur vera fidei, ac in interno homine ineunt cum bono quasi conjugium; hoc bonum cui nondum implantata sunt vera fidei, sed usque dispositum ut recipi possint, intelligitur hic per desertum Sinai. Non aliud bonum intelligitur, quam bonum Christianum, de quo videatur n: 8635. 8636. 8637. 8638.

8755. Et profecti sunt e Rephidim, quod significet continuum vitae a priori statu, constat ex significatione proficisci, quod sit continuum vitae, de qua n: 4375. 4554. 4585. 5996. 8181. 8345. 8397. 8557; et ex significatione Rephidim, quod sit quale status tentationis quoad verum, de qua n: 8561, ita est quale status prioris, de qua mox supra n: 8754; nam in statu priori, homo Ecclesiae spiritualis tentationes subit; quare ab hoc statu est continuum vitae quod significatur per proficisci e Rephidim.

8756. Et venerunt desertum Sinai, quod significet ad statum boni cui implantanda vera, constat ex illis supra n: 8753, ubi similia verba, et de quali boni illius, n: 8754.

8757. Et castrametati [1] in deserto, quod significet dispositionem in illo, constat ex significatione castrametari, quod sit ordinatio veri et boni quae sunt vitae, de qua n: 8103 fin: ita quoque dispositio; et ex significatione deserti, quod sit status boni in quo nondum vera fidei, de qua supra n: 8753.

8758. Et castrametatus Israël juxta montem, quod significet dispositionem apud illos qui ab Ecclesia spirituali a Bono Divino coelesti, constat ex significatione castrametari, quod sit dispositio, ut supra n: 8757; ex repraesentatione Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua etiam supra n: 8751; et ex significatione montis, quod sit bonum amoris coelestis, de qua n: 4210. 6435. 8327. Per Bonum Divinum Coeleste intelligitur Bonum Divinum in Coelo, nam Bonum Divinum in Se, est longe supra coelum.

8759. Vers: 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Et Moscheh ascendit ad Deum, et vocavit ad illum Jehovah e monte, dicendo, ita dices domui Jacobi, et nuntiabis filiis Israëlis. Vos vidistis quod feci Aegyptiis, et tuli vos super alis aquilarum, et adduxi vos ad Me. Et nunc si audiendo audiveritis vocem meam, et custodiveritis foedus meum, et eritis Mihi peculium prae omnibus populis; quia Mihi omnis terra. Et vos eritis Mihi regnum sacerdotum, et gens sancta; haec verba quae loqueris ad filios Israëlis. Et venit Moscheh, et vocavit seniores populi, et posuit coram illis omnia verba illa, quae praecepit illi Jehovah. Et responderunt omnis populus simul, et dixerunt, omne quod loquutus Jehovah faciemus; et retulit Moscheh verba populi ad Jehovam.* Et Moscheh ascendit ad Deum, significat Verum a Divino quod infra coelum cum Divino Vero quod in Coelo se conjungens: et vocavit ad illum Jehovah e monte, significat unionem Divini Boni in coelo cum Divino Vero ibi: ita dices domui Jacobi et nuntiabis filiis Israëlis, significat salvationem illorum qui ab Ecclesia spirituali externa et interna: vos vidistis quid feci Aegyptiis, significat recordationem omnium quae contigerunt malis qui infestaverunt: et tuli vos super alis aquilarum, significat et quod per vera elevati sint ad lucem coelestem: et adduxi vos ad Me, significat sic ad bonum amoris quod in coelo: et nunc si audiendo audiveritis vocem meam, significat receptionem veri: et custodiveritis foedus meum, significat sic vitam in bono et inde conjunctionem: et eritis Mihi peculium ab omnibus populis, significat quod tunc Divinum Verum apud illos prae aliis: quia Mihi omnis terra, significat quod omnis potestas Domino in coelo et in terra: et vos eritis Mihi regnum sacerdotum, significat quod tunc bonum veri apud illos: et gens sancta, significat sic Regnum spirituale: haec verba quae loqueris ad filios Israëlis, significat influxum ad recipiendum vera in bono: et venit Moscheh, et vocavit seniores populi, significat electionem illorum qui primario in intelligentia veri: et posuit coram illis omnia verba illa, significat propositionem cum influxu: quae praecepit Jehovah, significat ex Divino: et responderunt omnis populus, significat receptionem: et dixerunt, omne quod loquutus Jehovah faciemus, significat secundum influxum a Divino: et

retulit Moscheh verba populi ad Jehovam, significat correspondentiam et conjunctionem.

8760. [7] Et Moscheh ascendit ad Deum, quod significet Verum a Divino quod infra Coelum se cum Divino Vero quod in Coelo conjungens, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum a Divino, de qua n: 6771. 6827. 7014, hic Verum a Divino quod infra coelum, ex causa quia nunc filios Israëlis ut caput repraesentat, ita illos qui ab Ecclesia spirituali, qui adhuc non in coelo quia nondum in bono formato a veris, n: 8753. 8754; ex significatione ascendere, quod sit se conjungere, nam qui ascendit ad Divinum is se Ipsi conjungit, sicut cum dicitur ascendere in coelum, intelligitur conjungi cum Domino, ac vice versa descendere e coelo; Divinum Verum in coelo, cum quo conjunctio, intelligitur per Deum, nam Dominus in Verbo dicitur Deus a Divino Vero, et Jehovah a Divino Bono, n: 2586. 2769. 2807. 2822. 3921 fin: 4402. 7010. 7268. 7873. 8301; et quia agitur hic de conjunctione Divini Veri cum Divino Bono, ideo in hoc Versu primum dicitur Deus, et mox Jehovah, his verbis „*Moscheh ascendit ad Deum, et vocavit ad illum* [*Jehovah*] *e monte.*" Divinum Verum *in coelo* dicitur, ac postea Divinum Bonum *in coelo*, ex causa quia ipsum Divinum est longe supra coelos, non modo ipsum Divinum Bonum, sed etiam ipsum Divinum Verum quod immediate a Divino Bono procedit; quod illa longe supra coelum sint, [8] est quia Divinum in Se est Infinitum, et Infinitum non conjungi potest cum finitis, ita non cum angelis in coelis, nisi per induitionem alicujus finiti, et sic per accommodationem ad receptionem; est etiam ipsum Divinum Bonum in se flamma infinita ardoris, hoc est, amoris, quam flammam nullus Angelus in Coelo potest sustinere, consumeretur enim sicut homo si illum flamma solis absque temperatione intermedia perstringeret; lux etiam ex flamma amoris Divini, quae est Divinum Verum, si absque remissione a suo igneo splendore influeret, occaecaret omnes qui in coelo: ex his constare potest, quae differentia est inter Divinum Bonum et Divinum Verum supra coelos, et inter Divinum Bonum et Divinum Verum in coelis, de quibus hic agitur.

8761. Et vocavit ad illum Jehovah e monte, quod significet unionem Divini Boni in coelo cum Divino Vero ibi, constat

ex significatione vocare ad illum seu vocare ad se aliquem, cum dicitur de Divino, quod sit conjunctio, hic unio, quia dicitur de Divino Bono cum Divino Vero, quae per conjunctionem unum fiunt; quod vocare aliquem ad se sit conjunctio, et quoque praesentia, videatur n: 6047. 6177. 7390. 7451. 7721; quod sit Divinum Bonum cum quo conjunctio, est quia dicitur Jehovah, de qua re nunc supra n: 8760, et ex significatione Montis, quod sit Bonum Divinum in Coelo, de qua mox supra n: 8758; hic Coelum, nam sive dicas Divinum Bonum in Coelo sive Coelum, idem est, quia Coelum existit ex illo; se habet hoc sicut abstracta quaecunque a suis subjectis, quae cum dicuntur, usque percipiuntur subjecta in quibus sunt; sicut cum dicitur verum fidei aut bonum charitatis, intelligitur homo Ecclesiae in quo; magis in coelo, nam ibi Divinum Bonum unitum Divino Vero est omne in omnibus, ita vita seu anima coeli.

8762. Ita dices domui Jacobi et nuntiabis filiis Israëlis, quod significet salvationem illorum qui ab Ecclesia spirituali externa et interna, constat ex significatione dicere et nuntiare, quod hic sint salvatio, nam quae nunc dicuntur et nuntiantur a Jehovah per Moschen, salvationem involvunt; ex significatione domus Jacobi et filiorum Israëlis, quod sint Ecclesia externa et interna, de qua n: 3305. 4286. Quid Ecclesia externa et Ecclesia interna, prius aliquibus in locis dictum est, quod nempe externum Ecclesiae Antiquae fuerit omne id, quod repraesentabat internum, et quod internum Ecclesiae fuerit quod per externa repraesentatum est; sicut pro exemplo, qui cultum Divinum posuerunt in sacrificiis, inque ritibus et statutis quae repraesentabant spiritualia et coelestia Regni Domini, illi in externis erant; at qui cultum Divinum simul posuerunt in coelestibus et spiritualibus quae repraesentata sunt, illi in internis erant: similiter hodie, qui cultum Divinum ponunt in frequentare templa, auscultare praedicationes, obire sanctam coenam; et illa cum devotione, nec ulterius de illis cogitare, quam quod frequentanda sint quia instituta et mandata, illi ab Ecclesia externa sunt; at qui simul credunt quod talia obeunda sint, sed quod usque essentiale cultus sit [9] vita fidei, hoc est, charitas erga proximum et amor in Dominum, illi ab Ecclesia interna sunt: proinde etiam ab Ecclesia externa sunt, qui faciunt

bonum proximo et colunt Dominum solum ex obedientia fidei, at ab Ecclesia interna sunt qui faciunt bonum proximo et colunt Dominum ex amore; ita in reliquis. Ast apud unumquemvis qui ab Ecclesia est, utrumque erit, nempe externum et internum, si non utrumque, non est vita spiritualis apud illum, nam internum est sicut anima, et externum sicut animae corpus; sed qui ab externa Ecclesia sunt, illi sunt clare in externis ejus at obscure in internis; at qui ab Ecclesia interna sunt, illi sunt clare in internis et obscure in externis. At qui in externis sunt et non simul in internis, illi non ab Ecclesia sunt; in ambobus sunt omnes illi, qui in bono vitae sunt secundum Ecclesiae suae doctrinalia; at in externis absque internis sunt, qui in Cultu et non simul in bono vitae secundum doctrinalia Ecclesiae sunt. Pauci sunt qui hoc sciunt, quod pauci id sciant, est quia ponunt omne cultus et inde omne salutis in fide, et nihil in charitate; inde etiam est, quod qui cogitant de salute aeterna, ponant illam in vita pietatis, et nihil in vita charitatis, de quibus videatur n: 8252 ad 8257.

8763. Vos vidistis quid feci Aegyptiis, quod significet recordationem omnium quae contigerunt malis qui infestaverunt, constat ex significatione vos vidistis, quod sit recordatio; et ex repraesentatione Aegyptiorum, quod sint mali qui infestaverunt, de qua n: 7097. 7107. 7110. 7126. 7142. 7317; inde patet, quod per vos vidistis quid feci Aegyptiis, significetur recordatio omnium quae contigerunt illis qui infestaverunt.

8764. Et tuli vos super alis aquilarum, quod significet et quod ita per vera elevati sint ad lucem coelestem, constat ex significatione ferre aliquem super alis aquilarum, quod sit elevari in altum usque in lucem coelestem, nam per ferre significatur elevari, per alas vera spiritualia, et per aquilam rationale quoad Verum, quod aquila id sit, videatur n: 3901, nam aquilae in alto volant; antiqui enim per coelum aspectabile intellexerunt coelum angelicum, etiam simplices crediderunt quod esset ibi domicilium angelorum; et quoque quod in alto, quia propius soli et stellis, esset ipsa lux coelestis, inde est quod per ferri super alis aquilarum, sit in altum in lucem illam; quod elevatio illuc sit per vera fidei, est quia verum fidei est quod elevat hominem usque ad coelum, ubi est bonum ejus; quod rationale

quoad verum sit aquila, est quia rationale hominis est coelum ejus, ac naturale est sicut terra respective, nam rationale constituit internum hominem, et naturale externum. Quod alae sint vera spiritualia, est quia aves in genere significant intellectualia et cogitationes, n: 40. 745. 776. 3219. 5149. 7441, inde alae sunt vera spiritualia, quia omne intellectuale est ex illis; intellectuale ex falsis, utcunque perspicax et acutum apparet, non est intellectuale, nam intellectuale videt ex luce coeli, et lux coeli est verum spirituale, hoc est, verum fidei; quapropter ubi non est verum quod fidei, non est lux, sed est caligo, ac intellectuale in caligine est nullum intellectuale: alae etiam sunt potentiae, quae sunt veri spiritualis ex bono ejus; nam alae apud aves sunt sicut manus aut brachia apud hominem, et per brachia et manus significantur potentiae, n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544. 6292. 6947. 7518. 7673. 8050. 8153. 8281. 8305; [10] quod potentia sit Veri spiritualis ex bono, videatur n: 3563. 4931. 5623. 6344. 6423. [11] Quod alae sint vera spiritualia seu vera fidei, quibus potentia ex bono, ex locis in Verbo alibi patet; quapropter cum alae tribuuntur Divino, per illas significatur Divinum Verum cui omnipotentia, ut ubi Cherubis, per quos significatur Providentia Domini; ut apud Ezechielem „Quatuor facies erant unicuique Cherubo, et *quatuor alae unicuique; alae eorum erectae unius ad alterum; cuique alae tegentes corpora illorum:* audivi *sonum alarum* tanquam sonum aquarum magnarum, sicut vocem Schaddai, cum ibant, vocem tumultus sicut vocem castrorum; *cum stabant remittebant alas suas:* audivi *vocem alarum illorum*, osculantium se unius ad alterum; et vocem rotarum juxta illos. *Vox alarum Cheruborum audita est* usque ad atrium exterius, sicut Vox Dei Schaddai. *Similitudo manuum hominis erat sub alis illorum*" I: 4. 6. 23. 24. Cap: III: 13. Cap: X: 5. 21; quod alae hic sint Verum Divinum, constat ex singulis descriptionis, tam ex eo quod alae essent erectae unius ad alterum, quam quod tegerent corpora, ut et quod sonus illarum audiretur sicut sonus aquarum magnarum, sicut vox rotarum, et sicut vox Schaddai, et quoque quod similitudo manuum hominis esset sub alis illorum; quod alae essent erectae unius ad alterum, repraesentabat consociationem omnium in Divino; quod tegerent corpora,

significabat quod Divinum Verum contegeret Divinum Bonum a quo illud procedit; Divinum enim Bonum est flamma, et Divinum Verum est Lux inde, haec circumambit et sic circumtegit illam; ipsa flamma non apparet in coelo, sed modo lux in qua est flamma, quae sic percipitur ut calor, qui est amor; quod sonus auditus sit sicut sonus aquarum magnarum, significat quale Divini Veri in coelo; similiter vox ejus sicut vox rotarum, et sicut vox Schaddai, nam sonus et vox tribuuntur Divino Vero; dicitur ideo vox aquarum magnarum, quia aquae sunt vera, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8137. 8138. 8568; tum vox rotarum, quia rotae sunt vera doctrinalium ex eo quod currus sint doctrinae veri, n: 5321. 5945. 8146. 8148. 8215; ut et vox Dei Schaddai, quia Deus Schaddai est verum increpans in tentationibus et postea consolans, n: 1992. 4572. 5628; similitudo manuum hominis sub alis, significabat Omnipotentiam quae est Divino Vero, quia manus sunt potentia, et in supremo sensu omnipotentia, cum tribuuntur Domino. Ex his constare potest, quid repraesentabatur per *alas Cheruborum*, qui super Propitiatorio quod super Arca foederis, et quod *expanderentur sursum*, et obtegerent propitiatorium, Exod: XXV: 20; tum quid repraesentarent Cherubi super aulaeis Tabernaculi, et super velo; et quoque in Templo Salomonis; similiter quid circum novam domum, de qua apud Ezechielem Cap: XLI: 18. 19. 20; pariter quid significatur per quatuor animalia circum thronum, quorum unumquodvis „*habebat pro se sex alas circumcirca*" Apoc: IV: 8; et quid per Seraphim stantes desuper throno, „*quorum unicuique senae alae*" Esai: VI: 1. 2. Quod alae in sensu interno sint vera spiritualia seu vera fidei, constat apud Ezechielem „Sic dixit Dominus Jehovih, *Aquila magna, magna alis, longa pennis, plena plumis*, cui acupictura, venit super Libanum, et accepit ramusculum cedri, deduxit in terram negotiationis; deinde sumsit de semine terrae, et posuit in agro sementis, accepit ad aquas magnas, germinavit, [12] et factum est in vitem luxuriantem. Et fuit *Aquila altera, magna alis*, et *plena plumis*, ad quam ecce vitis adplicuit radices suas, et palmites suos emisit ad illam, in agro bono, apud aquas multas; illa plantata ad faciendum ramum, et ad portandum fructum, ut esset in vitem magnificentiae" XVII: 1 ad 8; pro-

pheticum hoc describit instaurationem Ecclesiae spiritualis a Domino, aquila ibi est fides, magna alis et longa pennis sunt fidei vera; acupictura est scientificum; increscentia inde describitur per ramusculum cedri ex Libano, per terram negotiationis, semen terrae in agro sementis, ad aquas magnas, ipsa Ecclesia inde est vitis; quod vitis sit Ecclesia spiritualis, videatur n: 1069. 5113; et quod sit Ecclesia externa, n: 6375; at Vitis magnificentiae, quae ab altera aquila, quod sit Ecclesia interna, n: 6376, nam Ecclesiae externum per unam aquilam, et ejus internum per alteram describitur; postea apud Prophetam ibi describitur, quomodo Ecclesia illa apud Antiquos instaurata apud Judaeos perversa est. Similiter per alas significatur fidei Verum apud Davidem „Si cubueritis inter ordines, *alae columbae obductae argento*, et pennae ejus flavedine auri" Psalm: LXVIII: 14, alae columbae sunt vera fidei, quod columba sit fides, videatur n: 870, quae dicuntur obductae argento, quia argentum est verum ex bono, n: 1551. 2954. 5658. 6914. 6917. 7999. Quod alae sint Verum Divinum, etiam constat a sequentibus locis, apud Esaiam „Exspectantes Jehovam innovantur robore, *ascendunt ala sicut aquilae*" XL: 31. Apud Davidem „Deus equitavit super Cherubo, et *volavit, vectus est super alis venti*" Psalm: XVIII: 11. Psalm: CIV: 3, agitur ibi de Divino Vero ac Ipsius potentia. Apud Eundem „Jehovah *sub ala sua* obteget te, et *sub alis Ipsius* confides; clypeus et parma *veritas*" Psalm: XCI: 4, ala Jehovae obtegi, et sub alis Ipsius confidere, pro tutela et confidentia quae fidei; pariter *occultari sub umbra alarum Dei,* Psalm: XVII: 8; „*in umbra alarum Ipsius confidere*" Psalm: XXXVI: 8. Psalm: LVII: 2. Psalm: LXI: 5. „*In umbra alarum Ipsius* cantare" Psalm: LXIII: 8. Sicut pleraque etiam sensum oppositum habent, ita quoque alae, in quo sensu alae significant falsa, ut apud Johannem „E fumo putei abyssi exiverunt locustae, et *vox alarum illarum* sicut vox equorum multorum currentium ad bellum" Apoc: IX: 2. 9, ibi alae sunt falsa pugnantia contra verum, nam locusta est falsum in extremis, n: 7643.

8765. Et adduxi vos ad Me, quod significet sic ad bonum amoris, quod in coelo, constat ex eo, quod Jehovah, qui dicit quod ad Ipsum adducti sint, sit Divinum Bonum Divini Amo-

ris, n: 2586. 2769. 2807. 2822. 3921. 4402. 7010. 7268. 7873. 8301. 8760, hic Divinum Bonum Divini Amoris in Coelo, n: 8761. Quomodo haec cum mox praecedentibus cohaerent, patet, nam in mox praecedentibus per *tuli vos super alis aquilarum* significatur quod per vera elevati sint ad lucem coelestem, et per haec verba *adduxi vos ad Me*, significatur ad Divinum Bonum amoris in Coelo, quoniam per vera quae fidei adducitur homo ad bonum, ita in Coelum, et ad Dominum ibi; nam homo non prius in coelo est, ita non prius apud Dominum, quam cum in bono est, hoc est, in affectione charitatis. Qui in sola fide ponunt salutem, et non simul in vita fidei, hoc est, in vita charitatis, illi credunt quod quilibet venire possit in coelum, et ad Dominum, utcunque vixerit; non enim sciunt, quid vita hominis, et quia hoc non sciunt, putant quod vita nihil sit; quare si interrogantur, num malus possit esse inter bonos, dicunt quod possit ex Misericordia Dei, quia id est opus omnipotentiae; imo si interrogantur num diabolus possit fieri angelus coeli, affirmant, si modo recipere velit fidem, de eo num possit recipere non dubitant; si autem illis dicitur quod malum non verti possit in bonum, ita non infernum in coelum apud hominem; et quod id impossibile sit, quia contra ordinem, proinde contra verum Divinum, ita contra Ipsum Deum, qui est ordo, ad haec respondent quod talia sint ratiocinia de salvatione, quae non curant; ex his et ex innumeris aliis constare potest, in quam caecitatem de salute et vita aeterna inducat doctrina de sola fide.

8766. [13] Et nunc si audiendo audiveritis vocem meam, quod significet receptionem veri, constat ex significatione audire, quod sit obedientia, de qua n: 2542. 3869. 4652 ad 4660, et quia audire est obedientia, etiam est receptio, n: 5471. 5475. 7216; et ex significatione Vocis Jehovae, quod sit Verbum, ita Verum Divinum, de qua n: 219. 220. 6971. 7573.

8767. Et custodiveritis foedus meum, quod significet vitam in bono, et inde conjunctionem, constat ex significatione custodire foedus, quod sit vivere secundum praecepta, ita in bono, et sic conjungi Domino: quod custodire foedus, sit vivere secundum praecepta, ita in bono, et sic conjungi Domino, [14] est quia pacta foederis erant omnia quae mandata sunt,

quae testimonia, judicia, leges, et statuta dicta sunt, in specie decem praecepta, haec et illa etiam vocabantur foedus, quia per illa pangebatur; quod ea custodire, sit secundum ea vivere, patet ex significatione custodire in Verbo, pluries enim dicitur audire praecepta et custodire illa, ac ibi per audire significatur recipere illa fide, et per custodire recipere illa vita, hoc est, vivere secundum illa: quod etiam custodire foedus sit conjungi, est quia per foedus in universali sensu significatur Conjunctio, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804; hoc inde est, quia qui vivit secundum praecepta, conjungitur Domino; ea enim docent vitam, et quoque dant vitam, et sic aperiunt viam ad coelum, et visum ad Dominum.

8768. Et eritis Mihi peculium ab omnibus populis, quod significet quod tunc Divinum Verum apud illos prae aliis, constat ex significatione esse peculium Jehovae seu Domini, quod sit esse Domini, nam peculium est proprietas et sic possessio; quod sit apud quos Verbum, est quia proprii Domini prae aliis dicuntur qui habent Verbum, hoc est, ubi est Ecclesia; quod illi proprii dicuntur, constat a Domini verbis apud Johannem Cap: I: 11. Cap: X: 2. 3. 4. Quod dicantur peculium qui ab Ecclesia, ita apud quos Verbum, constat apud Davidem „*Elegit sibi Jacobum Jah*, et *Israëlem in peculium suum*" Psalm: CXXXV: 4; [15] quod Jacobus et Israël sint qui ab Ecclesia, apud quos Verbum, patet: pariter apud Moschen „Populus sanctus tu Jehovae Deo tuo, te elegit Jehovah Deus tuus, ut sis Ipsi *in populum peculii* ex omnibus populis qui super faciebus terrae" Deut: VII: 6. Cap: XIV: 2. Quod illi sint peculium et proprietas prae aliis, qui habent Verbum, est quia illi sciunt vera et bona fidei; et quia ita, possunt illi prae aliis vivere vitam coeli, et sic conjungi Domino; nam bonum, quod facit coelum apud hominem, suum quale habet a veris fidei, ita bonum fit plus coeleste seu plus Divinum apud illos qui habent genuina vera, quae sunt vera ex Verbo, sed si custodiuntur, hoc est, si vivitur secundum illa; quod ita sit, constat apud Moschen „Jehovam contestatus es [16] hodie, ut sit tibi in Deum, in *cujus viis iturus sis*, et *custoditurus statuta Ipsius*, et *praecepta Ipsius*, et *judicia Ipsius*, et *obediturus voci Ipsius:* et Jehovah contestatur tibi hodie, ut *sis Ipsi in populum peculii*, sicut

loquutus est tibi, et *ut custodias omnia praecepta Ipsius*" Deut: XXVI: 17. 18.

8769. Quia Mihi omnis terra, quod significet quod omnis potestas Domino in coelo et in terra, constat ex significatione terrae, quod in sensu interno sit Regnum Domini in terra et quoque Regnum Domini in coelo, n: 1413. 1607. 4447: quod sit Dominus cui illa potestas, est quia Dominus per Jehovam in Verbo intelligitur, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3035. 5663. 6281. 6303; quod Domino sit omnis potestas in coelo et in terra, Ipse docet apud Matthaeum Cap: XXVIII: 16. 18, videatur etiam n: 8331.

8770. Et vos eritis Mihi regnum sacerdotum, quod significet quod tunc bonum veri, constat ex significatione regni sacerdotum, quod hic sit bonum spirituale, quod est bonum veri, hoc est, bonum in quod homo Ecclesiae spiritualis introducitur per verum; quod per regnum sacerdotum id bonum significetur, est quia hoc dicitur ad Domum Jacobi et filios Israëlis, per quos repraesentatur Ecclesia spiritualis externa et interna, per domum Jacobi externa, et per filios Israëlis interna, n: 8762; per regnum etiam significatur verum, n: 1672. 2547. 4691, et per sacerdotes bonum, nam Sacerdotale Domini, quod repraesentatum est per sacerdotes, significat Divinum Bonum, et Regium Domini, quod repraesentatum est per reges, significat Divinum Verum, n: 1728. 2015 fin: 3670. 6148. In Ecclesia repraesentativa apud Jacobi posteros fuit primum regnum Judicum, postea regnum Sacerdotum, et demum regnum Regum, et per regnum Judicum repraesentatum est Divinum Verum ex Divino Bono; per regnum autem Sacerdotum, qui etiam Judices fuerunt, repraesentatum est Divinum Bonum ex quo Divinum Verum; et per regnum Regum repraesentatum est Divinum Verum absque Divino Bono; at quum Regio etiam adjunctum fuit aliquid Sacerdotii, tunc quoque repraesentatum est per Reges Divinum Verum, in quo tantum Boni quantum Sacerdotii fuit Regio adjunctum. Haec omnia in Ecclesia Judaica, instituta fuerunt, ut per illa repraesentarentur status coeli, nam ibi sunt bina Regna, unum quod vocatur Regnum coeleste, et alterum quod vocatur Regnum spirituale, Regnum Coeleste est quod vocatur Sacerdotium, et Regnum spirituale quod vocatur

Regium Domini, in hoc regnat Divinum Verum, in illo Divinum Bonum; et quia repraesentativum Regni coelestis perire coepit, quando petierunt Regem, idcirco tunc, ut repraesentativum regni Domini in coelis usque continuaretur, separati sunt Judaei ab Israëlitis, et per Regnum Judaicum repraesentatum est Regnum coeleste Domini, et per Regnum Israëliticum Regnum spirituale Ipsius. Qui haec sciunt, possunt scire causas, cur formae regiminis apud posteros Jacobi successive mutatae sunt; tum etiam, quando Regem petierunt, illis a Jehovah per Samuelem dictum est, quod per id Jehovam repudiaverint, ut non regnet super illos, I Sam: VIII: 7, et quod tunc dictum sit illis jus Regis, vers: 11 seq: ibi, per quod describitur Divinum Verum absque Bono; qui illa quae supra memorata sunt sciunt, etiam scire possunt cur Davidi aliquid sacerdotii concessum est; ut et cur post Salomonis tempus Regnum divisum est in bina, nempe in Regnum Judaicum, et Regnum Israëliticum; de duobus Regnis in coelo, videatur n: 3635. 3883 ad 3896. 4112. 4113. 4138. [17]

8771. Et gens sancta, quod significet sic regnum spirituale, constat ex significatione Gentis, quod sint qui in bono, de qua n: 1259. 1260. 1416. 1849. 6005; et ex significatione sancti, quod praedicetur de vero quod boni, de qua n: 6788. 7499. 8127 fin: 8302. 8330, inde gens sancta est bonum ex quo verum. Dicitur regnum sacerdotum et gens sancta, et utrumque significat regnum spirituale, sed cum differentia; regnum sacerdotum significat illos, qui in bono sunt ex vero, at gens sancta significat illos qui in bono sunt et inde in vero; qui in bono sunt ex vero, illi spectant per vera sursum ad Dominum; at qui in bono sunt et inde in vero, illi in Domino sunt, et ab Ipso spectant vera, succedunt etiam apud illos qui regenerantur, quibus regnum spirituale, hoc est, vita coeli a Domino implantatur; per verum enim introducuntur in bonum, ita in coelum, nam coelum est bonum, et cum in coelo sunt, tunc ibi et inde spectant vera.

8772. Haec verba quae loqueris ad filios Israëlis, quod significet influxum ad recipiendum vera in bono, constat ex significatione loqui, cum a Divino, quod sit influxus, ut n: 2951. 5481. 5743. 5797. 6152. 6291. 8128. 8660: [18] quod sit ad

recipiendum vera in bono, est quia dicitur de filiis Israëlis, per quos significatur Ecclesia spiritualis; et Ecclesia spiritualis est apud illos qui in bono sunt, in quo vera. Quomodo se habet cum bono in quo vera, paucis dicetur; qui scit formationem boni ex veris, is scit ipsissima arcana coeli, scit enim arcana formationis hominis e novo, hoc est, formationis coeli seu regni Domini apud illum: omne bonum Christianum seu bonum spirituale in se habet vera fidei, nam quale illius boni est a veris quae fidei, bonum quod non a veris fidei suum quale habet, non est bonum Christianum, sed est bonum naturale, quod non dat vitam aeternam; causa est, quia bonum naturale in se modo habet vitam naturalem; quae vita non absimilis est vitae bestiarum, quae quoque in bono sunt cum mites; sed bestiae non possunt recipere vitam spiritualem; inde patet, quod vita spiritualis solum acquiratur per vera fidei: [19] vita haec, nempe vita spiritualis, acquiritur primum per scire vera quae fidei, postea per agnoscere illa, et tandem per credere illa; cum modo sciuntur, tunc sunt quasi in ostio, cum agnoscuntur tunc sunt in atrio, cum autem creduntur tunc sunt in cubiculo, ita vadunt ab exterioribus versus interiora successive; in interiori homine est bonum, quod continue a Domino influit, et ibi se conjungit cum veris, et facit ut sint fides, et dein ut sint charitas, bonum illud ad se attrahit vera, nam est desiderium ad illa, ut per illa sibi quale comparet, et sic existat: cum itaque vera illa bono conjuncta sunt, tunc homo regeneratus est, nam tunc non amplius ex veris spectat quid credendum et quid agendum, sed ex bono, quia imbutus est veris, et habet illa in se, nec curat vera aliunde quam quae ipse ex bono suo videre potest, et videt continue plura, nam producuntur inde sicut foetus a suis parentibus, foetus hi sunt ex conjugio boni et veri tali, quod conjugium coeleste vocatur; vera quae inde producuntur, in se habent bonum, quia nata sunt ex eo; haec intrant bonum successive, et ampliant illud, et perficiunt illud, et hoc in aeternum. Ex his quoque constat, quomodo se habet cum binis statibus apud hominem qui regeneratur, de quibus prius n: 7992. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701: tum n: 8516. 8539. 8722.

8773. Et venit Moscheh et vocavit seniores populi, quod significet electionem illorum qui primario in intelligentia veri,

constat ex significatione vocare ad se, quod sit electio; et ex significatione seniorum populi, quod sint qui primario in intelligentia veri sunt, et in sensu a persona abstracto, primaria vera, de qua n: 6524. [20] 6525. 6890. 8578. [21] 8585. Cum his ita se habet, qui in bono sunt nondum formato per vera, de quo bono in hoc Capite agitur, illi a Domino primum formantur per primaria vera, hoc est, per vera communia, in quibus et a quibus reliqua; primaria vera sunt, quod Deus unus sit, quod Dominus natus sit homo ut salvaret genus humanum, quod coelum sit et quod infernum; quod in coelum veniant qui bene vixerunt, et in infernum qui male, tum quod amor in Deum et amor erga proximum sint praecepta, a quibus pendent reliqua, et quod amor ille dari nequeat nisi per fidem; haec et similia sunt primaria vera, quae a Domino primum insinuantur bono apud hominem qui regeneratur; haec vera cum insinuata sunt, et facta boni, tunc reliqua insinuantur, et in communibus illis seu primariis, ac sub illis ordinantur secundum formam coelestem, et sic per gradus faciunt, ut in homine illo sit vita coeli, et is quasi coelum in parva imagine; hoc est, ut omnia quae sunt intellectus et quae sunt voluntatis apud illum in consociatione sint cum bonis et veris apud angelos, ita cum angelis.

8774. Et posuit coram illis omnia verba illa, quod significet propositionem cum influxu, constat ex significatione ponere coram illis verba, quod sit propositio; quod sit cum influxu, est quia per loqui, cum a Divino, significatur influxus, ut supra n: 8772.

8775. Quae praecepit illi Jehovah, quod significet ex Divino, constat absque explicatione.

8776. Et responderunt omnis populus, quod significet receptionem, constat ex significatione respondere, quod sit receptio, cum loqui verba est influxus, n: 8772; quod respondere etiam alibi sit receptio, videatur n: 2941. 2957, nam est reciprocum influxus, n: 2919. 4096. 8340.

8777. Et dixerunt omne quod loquutus Jehovah faciemus, quod significet secundum influxum a Divino, constat ex significatione facere sicut loquutus Jehovah, quod sit secundum influxum a Divino, nam per loqui significatur influxus, n: 8772, et per Jehovam Divinum.

8778. Et retulit Moscheh verba populi ad Jehovam, quod significet correspondentiam et conjunctionem, constat ex significatione referre verba ad Jehovam, quod sit correspondentia et inde conjunctio; agitur enim de foedere quod pangendum est cum populo, et quia foedera panguntur per consensum utrinque, ideo ad instar ejus fit hic, quod nempe Jehovah proponat, et populus respondeat, hic per Moschen, per quem repraesentatur Verum a Divino conjunctum Vero Divino in coelo, n: 8760, quod medians est; sed non pangitur foedus cum homine aliter quam per receptionem influxus veri a Divino, et tunc per correspondentiam, superiora enim cum influunt in inferiora non aliter recipiuntur: quid correspondentia et receptio per illam, constare potest ex illis quae ad finem plurium Capitum de Correspondentia omnium quae apud hominem cum illis quae in coelo ostensa sunt; et quoque ibi quod omnis conjunctio naturalium cum spiritualibus, et in genere inferiorum cum superioribus per illam fiat; correspondentia enim non datur nisi inferiora per subordinationem subjecta sunt superioribus, et cum subjecta sunt, agunt superiora in inferioribus prorsus sicut causa in suo effectu: ex his constare potest, quomodo se habet cum reciproco hominis cum influit Divinum, et de conjunctione, quae hic in sensu literae describitur per modum, per quem panguntur foedera, quod nempe Jehovah loquatur per internuntium ad populum, et internuntius referat responsum ad Jehovam; nam ita conjunctio cum Divino capi potest ab homine.

8779. Vers: 9. *Et dixit Jehovah ad Moschen, ecce Ego veniens ad te in densitate nubis, propterea ut audiat populus in loquendo Me tecum, et etiam in te credent ad aeternum; et nuntiavit Moscheh verba populi ad Jehovam.* Et dixit Jehovah ad Moschen, significat influxum Divini per Verum a Divino de revelatione: ecce Ego veniens ad te in densitate nubis, significat quod ea fiet in specie maxime naturali: propterea ut audiat populus in loquendo Me tecum, significat ut capiant Divina illi qui ab Ecclesia spirituali: et etiam in te credent in aeternum, significat ut fides veri sit quae permansura: et nuntiavit Moscheh verba populi ad Jehovam, significat correspondentiam et conjunctionem.

8780. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet influxum Divini per Verum a Divino de revelatione, constat ex significatione dicere, cum agitur de revelatione a Divino, quod sit influxus; quod dicere etiam alibi sit influxus, videatur n: 5743. 7291. 7381. 8221. 8262. 8660; quod Jehovah sit Divinum a quo revelatio, patet; et quod Moscheh sit Verum a Divino, per quod illa, n: 6771. 6827. 7014; quod sit influxus de revelatione, constat ex illis quae sequuntur, *quod* nempe *Jehovah venturus ad illos in densitate nubis, propterea ut audiat populus in loquendo Me tecum, et etiam in te credent in aeternum*, per quae verba significatur revelatio, et quale ejus. Per revelationem hic in sensu interno, non intelligitur revelatio qualis facta populo Israëlitico e monte Sinai, quod nempe Dominus loquutus sonora voce, et populus circumstans audiverit; sed intelligitur revelatio quae non fit sonora voce, verum intus in homine; haec revelatio fit per illustrationem visus interni, qui est intellectus, cum homo, qui in affectione veri ex bono est, legit Verbum, illustratio illa tunc fit a luce coeli, quae a Domino ut sole ibi; a luce illa illustratur intellectus non aliter ac visus externus, qui est oculi, a luce quae a sole mundi; cum intellectus a luce illa Divina illustratur, tunc percipit ille id verum esse quod verum est, agnoscit id intus in se, et quasi videt id; talis est revelatio illorum qui in affectione veri ex bono sunt, cum legunt Verbum; at qui in affectione veri ex malo sunt, hoc est, solum propter honores, lucrum, famam, et similia, cupiunt scire vera, illi non vident illa, sed modo vident confirmantia doctrinalium Ecclesiae suae, sive vera sint sive falsa; lux illa quae tunc illustrat, non est Lux Divina e coelo, sed est lux sensualis, qualis etiam est infernalium, quae lux ad praesentiam lucis coelestis fit mera caligo; hi enim cum legunt Verbum caecutiunt prorsus ad verum quod non cum doctrinali unum facit: sicut pro exemplo; qui in fide sola ponunt salvationem, cum legunt Verbum, prorsus nihil attendunt ad illa quae de amore et charitate ibi dicuntur, imo nec vident illa, nam cadunt in visus umbram, sicut quae plane a latere vel sicut quae a tergo, sunt: similiter ac gens Judaica, quae se reliquis in universo terrarum orbe praefert, nec videt quod Dominus sit qui intelligitur apud Prophetas, utcunque hoc manifeste dicitur; causa est, quia

non vident nisi confirmantia sui doctrinalis de Messia, quod venturus ut magnus Heros, facturus prae Mosche miracula, ac introducturus illos in terram Canaanem, et quod tunc cum magnifica pompa omnes ituri, audientes supplicationes gentium, quae alas vestium illorum prehensurae sint, de comitatu: haec quia sunt doctrinalis illorum, non vident quicquam de Domino, hoc illis est sicut caligo: ita se habet cum caeteris erroribus. Ex his constare potest quomodo se habet cum Revelatione Veri ex Verbo.

8781. Ecce Ego veniens ad te in densitate nubis, quod significet quod ea fiet in specie maxime naturali, constat ex significatione venire ad te, cum dicitur a Jehovah ad Moschen, per quem repraesentatur Verum a Divino quod est Ecclesiae spiritualis, n: 8760, quod sit revelatio; et ex significatione densitatis nubis, quod sit in specie maxime naturali, in quali est Verbum Veteris Testamenti in litera; quod nubes sit Verbum in litera, videatur Praefat: ad XVIII Cap: Genes: et n: 4060. 4391. 5922. 6343 fin: 6752. 8106. 8443; densitas est obscurum, quale est cogitationis hominis ex solo lumine sensuali, hoc est, maxime naturali; in quali fuerunt illo tempore posteri Jacobi, et quoque hodie Judaei, de Divino, nam Divinum non aliter potest apparere alicui, quam secundum statum ejus vitae et inde apperceptionis, ita lux coelestis illis qui in amore sui et mundi, in quo gens illa prae aliis fuit, quam sicut densitas nubis; Verbum in litera, imprimis propheticum, nec aliud est respective ad sensum ejus internum; in sensu ejus interno est lux qualis comparative est lux solis supra nubes, quae lux in Verbo vocatur gloria; quare etiam dicitur in Verbo, quod Jehovah vehatur super nubes, equitet super illis, volet super illis, suum triclinium habeat super illis, quod Dominus venturus in nubibus coeli, et similia plura, quae nusquam de Jehovah, hoc est, de Domino, dicta fuissent, nisi significavissent lucem veri in qua Ipse in coelo, et nubes umbram veri, in qua illi qui infra.

8782. Propterea ut audiat populus in loquendo Me tecum, quod significet ut capiant Divina illi qui ab Ecclesia spirituali, constat ex significatione audire, quod sit appercipere, de qua n: 5017, ita capere; ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui hic sunt populus, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua

saepius; et ex significatione in loquendo Me, quod sint Divina Vera, vox enim Jehovae est Divinum Verum, n: 219. 220. 3563. 6971, ita quoque loquela.

8783. Et etiam in te credent in aeternum, quod significet ut fides veri sit quae permansura, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit verum a Divino, de qua n: 6771. 6827. 7014; ex significatione credere, quod sit fides; et ex significatione in aeternum, quod sit permansurum. Cum hoc ita se habet; Verum Divinum non ab aliquo recipitur, nisi accommodatum sit ad captum, proinde nisi in forma et specie naturali appareat; mentes enim humanae primum non capiunt nisi terrestria et mundana, et ne hilum spiritualia et coelestia; quare si spiritualia et coelestia nude exponerentur, rejicerentur sicut nihil forent; secundum Domini verba apud Johannem „Si terrena dixi vobis nec creditis, quomodo si dicerem vobis supracoelestia » III: 12; adhuc minus illi qui ante Domini adventum vixerunt, qui tandem in tali caecitate fuerunt, ut nihil scirent, quia nihil scire volebant, de vita post mortem, de interno homine, de charitate et fide, et de aliqua re coelesti, rejiciebant illa, quia aversabantur illa; nam qui terrestria et mundana pro fine habent, hoc est, supra omnia amant, aversantur spiritualia, et paene abhorrent ipsum nomen; similiter paene hodie: Eruditi mundi quidem credunt, quod illi potius recepturi essent Verbum, si coelestia nude exposita fuissent, et si non tam simpliciter scriptum fuisset; sed maxime falluntur, tunc rejecissent illud plus quam simplices, et inibi nullam lucem, sed meram caliginem vidissent; hanc enim inducit Eruditio humana apud illos qui suae intelligentiae fidunt, et ideo se extollunt super alios: quod talia abscondita sint sapientibus, et revelata infantibus, hoc est, simplicibus, docet Dominus apud Matthaeum Cap: XI: 25. 26: et Lucam Cap: X: 21; constat etiam evidenter ex eo, quod qui sunt athei et naturalistae, ut vocantur, sint qui Eruditi, hoc scit mundus, et hoc sciunt ipsi.

8784. Et nuntiavit Moscheh verba populi ad Jehovam, quod significet correspondentiam et conjunctionem, constat ex illis, quae supra n: 8778, explicata sunt, ubi similia.

8785. Vers: 10. 11. 12. 13. *Et dixit Jehovah ad Moschen, abi ad populum, et sanctifica illos hodie et cras, et la-*

vent vestes suas. Et erunt parati ad diem tertium, quia in die tertio descendet Jehovah ad oculos omnis populi super montem Sinai. Et terminos ponas populo circumcirca, dicendo, cavete vobis ascendere in montem, et tangere extremitatem ejus, omnis tangens montem, moriendo morietur. Non tangat illum manus, quia lapidando lapidabitur, aut jaculando jaculis conficietur, si bestia, si vir, non vivet, in trahendo jobel, illi ascendent in montem. Et dixit Jehovah ad Moschen, significat revelationem de praeparatione: abi ad populum, significat conjunctionem: sanctifica illos hodie et cras, significat obvelationem interiorum ut in fidei sancto appareant nunc et postea: et lavent vestes suas, significat purificationem verorum: et erunt parati ad diem tertium, significat praeparationem sic plenariam: quia in die tertio, significat quoniam in fine cum praeparati ad recipiendum: descendet Jehovah ad oculos omnis populi, significat adventum Domini et tunc illustrationem: super montem Sinai, significat in bonum cui verum implantandum: et terminos ponas populo circumcirca, significat extensionem in coelum non ultra quam ad sphaeras spirituales boni: dicendo, cavete vobis ascendere in montem, significat quod omnino non ad societates coelestes quae in amore boni: et tangere extremitatem ejus, significat quod ne quidem ad intermedia: omnis tangens montem moriendo morietur, significat quod qui ab Ecclesia spirituali usque ad societates coelestes se infundit, pereat: non tanget illum manus, significat quod qui per aliquam confidentiam sui infundunt: quia lapidando lapidabitur, significat quod sic vera fidei quae eis, pereant: aut [22] jaculando jaculis conficietur, significat quod etiam spirituale bonum: si bestia si vir non vivet, significat quod bonum et verum vitam spiritualem amittat: in trahendo jobel, significat quibus perceptio communis [boni] coelestis: illi ascendent in montem, significat extensionem usque ad coelestes.

8786. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet revelationem de praeparatione, constat ex significatione dicere, cum dicitur a Jehovah, quod sit revelatio a Divino: quod sit revelatio de praeparatione, constat ex illis quae sequuntur, nam agitur in illis, quomodo praeparandi sunt ad recipiendum Verum a Divino.

8787. Abi ad populum, quod significet conjunctionem, constat ex repraesentatione Moschis nunc, quod sit Verum a Divino quod infra coelum, de qua supra n: 8760; et [23] ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui hic populus ad quem abiret, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua saepius; quod abire ad populum, cum dicitur a Jehovah, sit conjunctio, est quia Verum a Divino, quod repraesentatur per Moschen, est medians Divini cum illis qui ab Ecclesia, nam ut conjunctio fiat, quae hic repraesentatur per foedus inter Jehovam et populum, erit mediatio; ideo quoque per Moschen repraesentatur Verum a Divino infra coelum conjunctum cum Vero Divino in Coelo, n: 8760, hoc propter mediationem.

8788. Et sanctifica illos hodie et cras, quod significet obvelationem interiorum ut in fidei sancto appareant nunc et postea, constat ex significatione sanctificare, quod sit disponere ut in sancto quoad [24] externum appareant; et quia hoc fit per obvelationem interiorum, idcirco id per sanctificare etiam intelligitur; quod hodie et cras, sit nunc et postea, patet. Quomodo cum his se habet, paucis dicitur; Ecclesia apud Judaeos instituta, non fuit quoad illos Ecclesia, sed modo repraesentativum Ecclesiae; ut enim Ecclesia sit, erit apud hominem Ecclesiae fides in Dominum, et quoque amor in Ipsum, ut et amor erga proximum; haec faciunt Ecclesiam; sed haec non fuerunt apud populum, qui Jacobus dictus est, nam ille nec agnovit Dominum, ita nec de fide in Ipsum minus de amore erga Ipsum, et ne quidem erga proximum, audire voluit; erat enim in amore sui et in amore mundi, qui amores sunt prorsus oppositi amori in Dominum et amori erga proximum; tale est irradicatum isti populo a primis eorum parentibus; inde est, quod apud illum populum non instaurari potuerit aliqua Ecclesia, sed modo repraesentari illa quae Ecclesiae; Ecclesia repraesentatur, cum homo cultum ponit in externis, sed talibus quae correspondent coelestibus; tunc per externa repraesentantur interna, ac interna patent in coelo, cum quo sic conjunctio; ut itaque populus Israëliticus posset repraesentare, cum interiora eorum essent absque fide et amore coeli, etiam plena amore sui et mundi, idcirco illa obvelabantur, [25] sic potuerunt externa cum spiritibus et per illos cum angelis communicari absque internis; quare

nisi interna fuissent obvelata, patuissent quoque interna, et tunc periisset repraesentativum, quia foeda erupissent et contaminassent: populus iste prae caeteris populis ita obvelare potuit, quia externa plus quam alii, adoravit, et in iis sanctum, imo Divinum, posuit. Ex his constare potest, quid intelligitur per sanctificare, quod nempe sit obvelatio interiorum, ut in fidei sancto appareant, sed non ipsis, verum angelis apud illos; videantur quae de hoc populo et de institutione Ecclesiae apud illum ostensa sunt prius, n: 4208. 4281. 4288. 4289. 4293. 4307. 4314. 4316. 4317. 4429. 4433. 4444. 4459. 4844. 4847. 4865. 4899. 4911. 4912. 4500. 7048. 7051. 8588. Quod sanctificationes apud illos non aliud fuerint, quam apparentiae sancti in externis, et tamen absque aliquo sancto apud illos, constare potest a ritibus per quos sanctificabantur, nempe per sacrificia, per lavationes, per aspersiones sanguinis, per unctiones, quae prorsus nihil tangunt interna.

8789. Et lavent vestes suas, quod significet purificationem verorum, constat ex significatione lavare, quod sit repraesentativum purificationis a sordibus spiritualibus, de qua n: 3147. 5954 fin: et ex significatione vestium, quod sint vera, de qua n: 4545. 4763. 5248. 5319. 5954. 6914. 6918. [26]

8790. Et erunt parati ad diem tertium, quod significet praeparationem plenariam, constat ex significatione esse parati, quod sit praeparatio per sanctificationem, de qua mox supra; et ex significatione diei tertii, quod sit status plenus, de qua n: 7715, ita praeparatio plenaria.

8791. Quia in die tertio, quod significet quoniam in fine cum praeparati ad recipiendum, constat ex illis nunc supra.

8792. Descendet Jehovah ad oculos omnis populi, quod significet adventum Domini, et tunc illustrationem, constat ex significatione descendere, cum dicitur de Jehovah, hoc est, Domino, quod sit praesentia Ipsius per Influxum, ita adventus; hic adventus Domini intelligitur per descensum Jehovae ad oculos omnis populi; apparitio Jehovae in specie externa fuit coram illo populo, qui Ipsius praesentiam non aliter percipere potuit, internum enim ejus erat absque bono et vero, in quibus Dominus apud alios praesens est, n: 8787; illustratio quae tunc, si-

gnificatur per ad oculos omnis populi, nam oculus in sensu interno est intellectus, et inde visus oculi est perceptio quae fidei, quae est ex luce coeli; inde ad oculos est illustratio; quod oculus sit intellectus, et ejus visus perceptio quae fidei, videatur n: 4403 ad 4421. 4523 ad 4534.

8793. Super montem [27] Sinai, quod significet in bonum cui verum implantandum, constat ex significatione montis Sinai, quod sit bonum in quo vera fidei implantanda, de qua supra n: 8753; de vero quod implantandum bono, agitur in Capite sequente; decem praecepta monte Sinai tunc promulgata sunt vera interna, et leges ac statuta, quae in Capitibus sequentibus mandantur, sunt vera externa; per haec et illa significantur vera quae bono implantanda sunt.

8794. Et terminos ponas populo circumcirca, quod significet extensionem in coelum non ultra quam ad sphaeras spirituales boni, constat ex significatione terminos ponere circumcirca, quod sit extensio sphaerae in coelum ad certos limites, qui sunt determinati bono cujusvis; et ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui hic sunt populus, quod sint qui in bono spirituali, cui implantandum est verum; hic enim status boni illorum, qui ab Ecclesia spirituali sunt, in hoc Capite et in sequentibus describitur, n: 8753; inde est, quod per terminos ponas populo circumcirca, significetur extensio in coelum non ultra quam ad sphaeras spirituales boni. Quid per extensionem in coelum ad sphaeras spirituales boni intelligitur, non sciri ab aliquo quam per revelationem potest; hoc ita se habet, omne bonum quod datur homini per regenerationem a Domino, habet extensionem ad societates in coelo; extensio illa differt quoad quantum et quale apud unumquemvis, quoad quantum cum ad terminos remotiores, quoad quale cum magis ad interiora vel magis ad exteriora coeli; ipsum bonum apud hominem influit a Domino per societates coeli quae circumcirca, bonum absque influxu per societates non datur, sunt societates coeli in continua cohaerentia circum circa, nec alicubi apparet discontinuum; similiter se habet cum omnibus et singulis quae sunt boni, et constituunt quale ejus, quapropter cum regeneratur homo, locupletatio boni non aliud est, quam insinuatio in societates angelicas, et sic cum illis conjunctio, videatur etiam n: 4067.

4073. 4077. 6598 ad 6613: hoc quoque per vivam experientiam pluries ostensum est; quandoque enim communicatio cum societatibus quibusdam ablatae sunt, et tunc tantum vitae et tale vitae remansit, quantum et quale extensionis fuit in residuas societates; et cum plures societates ademptae sunt, tunc vita laboravit, et quasi exstingui coepit: unicuique angelo, spiritui, et homini, est sphaera spiritualis, et haec secundum extensionem ejus in societates; extensio illa non est in ipsas societates, sed in sphaeras boni illorum; haec sunt arcana, quae ignota sunt homini, sed in altera vita notissima; causa quod ignota sint homini, est quia homo hodie credit, quod vita ei sit in ipso, et inde quod vivat absque consociatione cum spiritibus et angelis, ita absque conjunctione cum coelo, sed in hoc prorsus fallitur; omnis enim vita hominis est a Domino per societates. Porro sciendum, quod extensio vitae illorum qui ab Ecclesia spirituali sit ad sphaeras angelicas in coelo secundo, quod coelum spirituale vocatur, non autem ad coelum tertium ubi coelestes; causa est, quia homo Ecclesiae spiritualis non recipere potest Divinum quale est in coelo intimo seu tertio ubi coelestes, solum ita communiter ut ad nullam illorum perceptionem veniat; causa est, quia spirituales ne quidem ad primum limen boni, in quo sunt coelestes, venire possunt, n: 2718. 3833. 6500. 8521: ex his patet, quid intelligitur per extensionem in coelum non ultra quam ad sphaeras spirituales boni, quae significantur per quod terminos ponas populo circumcirca; tum quid intelligitur per sequentia. Sciendum quoque est, quod sicut illi qui in bono sunt, extensionem habeant in societates angelicas secundum boni illorum quale et quantum; ita illi qui in malo extensionem habent in societates infernales secundum mali illorum quale et quantum: et porro, quod unusquisque in altera vita inter illos veniat, cum quibus communicaverat in vita corporis; amor ejus dominans id determinat, nam ille est qui [28] constituit sphaeram vitae cujusvis, et se extendit secundum quale suum et secundum quantum suum.

8795. Dicendo, cavete vobis ascendere in montem, quod significet quod omnino non ad societates coelestes qui in amore boni, constat ex significatione ascendere, quod sit ad Divinum quod in coelo superiori; et ex significatione montis, quod sit

bonum amoris ibi, de qua n: 4210. 6435. 8327. 8758: quomodo cum his se habet, constat ex illis quae nunc supra n: 8794, explicata sunt.

8796. Et tangere extremitatem ejus, quod significet quod ne quidem ad intermedia, constat ex significatione extremitatis, quod sint intermedia, nam Regnum coeleste Domini, quod est intimum seu tertium coelum, distinctum est a Regno spirituali, quod est secundum seu medium coelum, per intermedia, per haec influit Regnum coeleste in Regnum spirituale, non autem vicissim, nam omnis influxus fit per intermedia ab interioribus ad exteriora, non autem ab exterioribus ad interiora, n: 5259. 5779, ex quibus patet, quod intermedia sint extremitates; et quod illi qui e spirituali regno sunt, ne quidem ad primos terminos boni Regni coelestis pertingere possint, n: 2718. 3833. 6500. 8521, inde est, quod per cavete tangere extremitatem montis, significetur, quod non extensio erit ad societates coelestes quae in amore boni, et ne quidem ad intermedia.

8797. Omnis tangens montem moriendo morietur, quod significet quod qui ab Ecclesia spirituali usque ad coelestes se infundit, pereat, constat ex significatione montis, quod sit bonum amoris, de qua mox supra n: 8795, hic Divinum bonum Divini amoris in coelo intimo, quia populus qui infra repraesentat regnum spirituale Domini, quod est coelum medium; ex significatione tangere, quod sit penetrare eousque, hic infundere se, de qua sequitur; et ex significatione moriendo mori, quod sit perire. Cum hoc ita se habet; illi qui e Regno spirituali Domini sunt, non possunt influere in Regnum coeleste, quia hoc est superius seu interius, et illud inferius seu exterius, quod enim exterius seu inferius est non potest influere in superius seu interius, n: 5259. 5779; fit tamen quandoque quod qui in inferiori coelo sunt, ambiant ascendere in coelum superius, et hoc ex prava cupidine, quae originem ducit ex fastu, ex dominatione, vel ex invidia; qui id inde tentant, subinde etiam intromittuntur; sed tunc patiuntur dura, corripiuntur anxietate, et tandem dolore, et quoque caecitate, et intelligentia illis ac felicitas perit; quapropter inde se dejiciunt sicut moribundi, nec animam recipiunt quam cum e coelo dejecti sunt: talis sors est illis qui [29] e coelo inferiori ex cupiditate fastus, dominationis

aut invidiae se infundunt in coelum superius; causa est, quia bonum amoris in illo coelo est sicut ignis consumens respective, et verum fidei ibi est sicut lux ignea occaecans visum illorum qui emergunt: haec sunt quae in sensu interno intelliguntur per quod populus Israëliticus non tangeret montem Sinai, ubi Jehovah. Similiter se haberet cum illis qui in coelesti regno sunt, si ascendere supra ad Divinum forte conarentur: similiter cum illis qui infra coelum sunt, si ascendere in coelum cupiunt; quod hi dira patiantur, videatur n: 4225. 4226. 4299. 5057. 5058.

8798. Non tanget illum manus, quod significet quod qui per aliquam confidentiam sui se infundunt, constat ex significatione tangere nempe montem, quod sit se infundere in bonum Divinum coeleste, de qua mox supra n: 8797; et ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 4931 ad 4937. 5327. 5328. 6292. 6947. 7188. 7189. 7518. 7673. 8050. 8153. 8281; inde quoque confidentia sui, n: 878. 5544.

8799. Quia lapidando lapidabitur, quod significet quod vera fidei quae ei pereant, constat ex significatione lapidari, quod sit poena falsi et violati veri, de qua n: 5156. 7456. 8575; quod ea poena sit illis, qui ex confidentia sui ascendunt ad Divinum in coelo quod supra est, est quia tunc omnis intelligentia, quae prius illis, pereat; quod tunc caecitate corripiantur, videatur mox supra n: 8797.

8800. Aut [30] jaculando jaculis conficietur, quod significet quod etiam spirituale bonum pereat, constat ex significatione jaculis confici, quod sit perire quoad bonum spirituale, nam per jaculatorem arcus significatur spiritualis homo, n: 2686. 2709. 6422. [31]

8801. Si bestia si vir, non vivet, quod significet quod bonum et verum vitam spiritualem amittant, constat ex significatione bestiae, quod sit affectio boni, de qua n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 776. 2179. 2180. 3218. 3519. 5198. 7523; ex significatione viri, quod sit verum, de qua n: 3134. 3459. 7716; et ex significatione vivere, quod sit vita spiritualis, de qua n: 5890, inde non vivere, est illam amittere. Bonum et verum vitam amittunt cum non percipitur amplius influxus a Domino, nam inde illis est vita; ipsum bonum et verum tunc quoad externam speciem quidem apparent sicut bonum et

verum; sed non aliter quam sicut pictum, quod in se non est vivum.

8802. In trahendo jobel, quod significet quibus perceptio communis boni coelestis, constat ex significatione in trahendo jobel, seu quod idem, in audiendo sonum buccinae, quod sit perceptio communis boni coelestis, per audiri enim significatur perceptio, n: 5017. 8361, et per jobel seu sonum buccinae significatur bonum coeleste; causa quod per sonum buccinae seu jobel significetur bonum coeleste, est quia instrumenta Musica ex sonis suis correspondeant affectionibus veri et boni, instrumenta chordacea affectionibus veri, et inflatoria affectionibus boni, n: 418. 419. 420. 4138. 8337; buccina quia erat instrumentum inflatorium et grandisonum correspondebat affectioni boni coelestis, quare etiam Jubilaeum inde nominatum est, per quod repraesentatum est conjugium boni et veri quod in intimo coelo; inde nunc est, quod per in trahendo jobel significetur quibus perceptio communis boni coelestis. Per illos qui in perceptione communi boni coelestis intelliguntur qui intermedii sunt inter Regnum coeleste et Regnum spirituale Domini, per quos ideo influxus, communicatio et conjunctio fit, videatur mox supra n: 8787. 8796; his est extensio usque in societates coelestes, quae significatur per quod illi ascendent in montem; intermedii illi repraesentantur per Moschen, n: 8787. et quoque per Aharonem, quibus datum est in montem ascendere, Vers: 24 seq: Quid extensio in sphaeras societatum angelicarum, et quod talis sit extensio, quale bonum cuivis, videatur supra n: 8794. Communis perceptio est apud illos qui in spirituali bono sunt, et influxum communem boni coeli superioris, hic coeli intimi, recipere possunt: tales intelliguntur per illos qui ascendent montem in audiendo jobel.

8803. Illi ascendent in montem, quod significet extensionem usque ad coelestes, constat ex illis quae n: 8794. 8795, et quoque nunc supra n: 8802, dicta et ostensa sunt.

8804. Vers: 14. 15. *Et descendit* [32] *Moscheh de monte ad populum, et sanctificavit populum, et laverunt vestes suas. Et dixit ad populum, estote parati ad tres dies, ne accedatis ad mulierem.* Et descendit Moscheh de monte ad popu-

lum, significat applicationem et praeparationem per Verum a Divino ad recipiendum vera in bono: et sanctificavit populum, significat obvelationem interiorum ut in fidei sancto appareant: et laverunt vestes, significat purificationem verorum fidei: et dixit ad populum, estote parati ad tres dies, significat praeparationem plenam: ne accedatis ad mulierem, significat purificationem boni fidei.

8805. Et descendit Moscheh de monte ad populum, quod significet applicationem et praeparationem per Verum a Divino ad recipiendum vera in bono, constat ex significatione descendere, cum dicitur de Mosche, per quem repraesentatur Verum a Divino, quod sit applicatio, et quoque praeparatio, per illud; ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum a Divino, de qua n: 8760. 8787, et quoque quod sit medians, n: 8787, ita quoque praeparans et applicans; ex significatione montis, quod sit Divinum in coelo, ita coelum; et ex repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, ita qui in vero per quod bonum, et in bono ex quo Verum, hic in bono, in quo recipienda vera. Interest scire, quid in specie significatur per montem Sinai; tum quid repraesentatur per populum Israëlem; ut et quid per Moschen in hoc Capite et in sequentibus Libri Exodi. Per MONTEM SINAI in specie significatur coelum, e quo a Domino vera influunt; inde per quod Jehovah descendit super montem illum, significatur praesentia Ipsius in Coelo; et quia Coelum, in quo Jehovah, hoc est, Dominus, per montem Sinai significatur, etiam per illum significatur Divinum Bonum unitum Divino Vero ibi; nam inde Coelum est coelum. Per POPULUM autem ISRAELEM juxta hunc montem repraesentatur Ecclesia spiritualis quoad bonum, in quo vera fidei implantanda sunt; nam prius ostensum est, quod illis, qui ab Ecclesia spirituali, bini status sint, prior cum per vera ducuntur ad bonum, posterior cum in bono sunt et ex illo in veris; hic cum in bono cui vera implantanda sunt, qui status est status medius inter priorem et posteriorem; vera quae implantantur bono, continentur in illis quae e monte Sinai a Domino promulgata sunt, et per Moschen communicata populo. Per MOSCHEN repraesentatur in hoc Capite et in sequentibus Verum a Divino infra Coelum conjunctum Vero Divino in Coelo, ac inde Medians in-

ter Divinum in coelo ac inter bonum cui implantanda vera, quod est Ecclesiae spiritualis, ita Medians inter Dominum et populum. Haec scire interest propter intellectum sequentium in Libro Exodi. Ex his etiam constare potest, quod per descendit Moscheh de monte ad populum, significetur applicatio et praeparatio per Verum a Divino ad recipiendum vera in bono.

8806. Et sanctificavit populum, quod significet obvelationem interiorum ut in fidei sancto appareant, constat ex illis quae supra n: 8788, explicata sunt, sed ibi expositum est, quid sanctificatio apud populum Israëliticum, quod nempe fuerit obvelatio interiorum, ut quoad externa apparerent in sancto, cum in cultu repraesentativo erant; et quod nisi illorum interiora tunc obvelata fuerint, per foedas cogitationes et malas affectiones non modo contaminavissent sanctum cultus, sed etiam prorsus delevissent, adeo ut nihil coeleste et spirituale, quod repraesentatum est in externis, in coelo inde perceptum fuisset. Sed quia per filios Israëlis hic intelliguntur illi qui ab Ecclesia spirituali, paucis dicetur quid per sanctificationem apud hos intelligitur; illi qui ab Ecclesia spirituali sunt, qui vitam veri et inde vitam boni vivunt, detinentur a malis, et tenentur in bono a Domino, bonum quod a Domino est sanctum apud illos, inde quantum boni recipiunt a Domino, tantum sunt sancti; ac tantum boni recipiunt a Domino, hoc est, tantum sunt sancti, quantum vivunt vitam boni secundum genuina vera fidei, et tunc quantum credunt quod omne bonum quod tunc cogitant et faciunt sit a Domino: tunc etiam mala apud illos separantur, ut prorsus non appareant, imprimis quae haereditario traxerunt a parentibus, quae foeda sunt, quia a pluribus aevis retro apud parentes successive cumulata sunt, et sic in prolem congesta, haec interiora sunt quae apud illos qui ab Ecclesia spirituali reconduntur et quasi obvelantur, n: 966. 1667. 2307. 2308. 3701. 4317. 8550; inde est quod omne voluntarium, quod illis ex haereditario, sit deperditum; propterea apud illos novum voluntarium in parte intellectuali per vera fidei a Domino formatur; haec causa est, quod illi cum regenerantur per vera ducantur ad bonum, et postea cum regenerati sunt a bono in vera boni; inde patet, quomodo novum voluntarium apud illos a Domino creatur: quod hoc formatum sit in parte intellectuali apud

illos qui ab Ecclesia spirituali, videatur n: 868. 875. 895. 927. 1023. 1043. 1044. 1555. 2256. 4328. 4493. 5113. 6125.

8807. Et laverunt vestes, quod significet purificationem verorum fidei, constat ex illis supra n: 8789, ubi similia verba.

8808. Et dixit ad populum, estote parati ad tres dies, quod significet praeparationem plenariam, constat ex illis supra n: 8790, ubi similia.

8809. Et ne accedatis ad mulierem, quod significet purificationem boni fidei, constat ex eo, quod conjugia apud gentem Israëliticam essent impura, quia interiora eorum erant foeda; amor enim conjugialis descendit ex conjugio boni et veri; quare illi qui quoad interiora non in bono et vero sunt, nec in conjugio puro esse possunt, et qui quoad interiora in malo et falso sunt, ut illa gens, in conjugio impuro sunt; inde est, quod non accedere ad mulierem, sit abstinere ab impuro: quod amor conjugialis descendat ex conjugio coelesti, quod est boni et veri, videatur n: 2727 ad 2759. 2803. 3132. 4434. 4835; [33] et quod apud populum ex Jacobo non aliquod conjugiale fuerit, ac ideo illis permissum plures uxores ducere, n: 3246. Quod autem concernit illos qui ab Ecclesia spirituali sunt, et per filios Israëlis hic repraesentantur, nec illi sunt in aliquo conjugiali, priusquam apud illos verum implantatum est bono; antequam hoc fit, quidem conjugium est, sed non purum, nam in interioribus non prius est conjugium boni et veri: inde est, quod per non accedere ad mulierem in sensu interno, significetur purificari quoad bonum fidei; nam agitur in hoc Capite de bono cui nondum verum implantatum est, et in sequentibus de implantatione.

8810. Vers: 16. 17. 18. 19. *Et fuit in die tertio in fieri mane, et fuit Voces et fulgura, et nubes gravis super monte, et vox buccinae vehemens valde, et trepidabat omnis populus qui in castris. Et exire fecit Moscheh populum obviam Deo e* [34] *castris, et constiterunt in inferioribus montis. Et mons Sinai fumabat totus ille, propter quod descendit super illum Jehovah in igne, et ascendit fumus ejus sicut fumus fornacis, et tremiscebat totus mons valde. Et fuit vox buccinae vadens, et fortificans se valde, Moscheh loquebatur et Deus respondebat illi in voce.* Et fuit in die tertio, significat in fine purifica-

tionis: in fieri mane, significat statum cum in bono: et fuit, voces et fulgura, significat statum Divinum in quo revelatio: et nubes gravis super monte, significat statum Divinum respective ad illos qui recepturi: et vox buccinae gravis, significat statum coelestem qui circum: et trepidabat omnis populus qui in castris, significat sanctum tremorem illis qui recepturi: et expire fecit Moscheh populum obviam Deo e castris, significat potentiam Veri a Divino ad parandum illos ut recipiant Divinum in bono quod illis: et constiterunt in inferioribus montis, significat longe a bono amoris coelestis: et mons Sinai fumabat totus ille, significat apparitionem boni coelestis in maximo obscuro: propter quod descendit super illum Jehovah in igne, significat quia Divinum ibi in amore coelesti: et ascendit fumus ejus sicut fumus fornacis, significat obscurum sicut obscurum ex cupiditatibus: et tremiscebat totus mons valde, significat coeli commotionem: et fuit vox buccinae vadens et fortificans se valde, significat commune revelationis per coelum angelicum: Moscheh loquebatur et Deus respondebat illi in voce, significat per influxum Veri a Divino, in quo ipsum Divinum.

8811. Et fuit in die tertio, quod significet in fine purificationis, constat ex significatione diei tertii, quod sit finis status praeparationis ad recipiendum, ut supra n: 8791, ita finis purificationis.

8812. In fieri mane, quod significet statum cum in bono, constat ex significatione mane, quod sit status boni amoris, de qua n: 8426. Ex his, quod Jehovah, hoc est, Dominus descenderit super monte Sinai die tertio, et quoque in illius diei mane, manifeste patet, quod hoc repraesentativum fuerit alicujus rei Divinae in coelo, quae non alicui potest innotescere, quam ex correspondentia talium quae existunt in naturali mundo cum illis quae in spirituali, ac inde significatione; ut hic quid mane, et quid dies tertius: quod dies tertius sit finis status prioris, est quia per tres significatur plenum a principio ad finem, n: 8790; et quod mane sit status boni amoris, est quia Sol, qui in altera vita dat lucem angelis et universo coelo, est Dominus, et ignis ibi est Divinus Ipsius amor, qui dat calorem vitae omni vivo, et lux ibi est Divinum Verum quod illuminat omnes qui id recipiunt; prorsus aliter quam Sol mundi, cujus ignis est

ignis et non amor, et inde lux est lux et non verum; ex his constare potest, quales effectus sunt ignis ut et lucis e sole mundi, et quales effectus sunt ignis et lucis e sole coeli, quod nempe ab illo calor [et] lux absque vita, ab hoc autem calor et lux, cum vita; haec, nempe quae a sole coeli proveniunt, ideo vocantur spiritualia, quia in se vitam habent, et illa quae ex sole mundi sunt, vocantur naturalia, ac in se non vitam habent; vita quae in vivis in calore et ex calore appercipitur, non est ex calore solis mundi, sed est ex calore solis coeli, hic calor cum influit in calorem mundi, edit eum effectum, et sentitur in corpore ut calor elementaris, sed est calor vitalis in illo, qui originem ducit ex amore qui est calor e sole coeli; quod origo caloris vitae sit aliunde, et quod sit in amore et secundum quantum et quale ejus, unusquisque potest scire, si modo velit rite reflectere, praeter illos qui non agnoscunt aliquid internum in homine, et qui naturae adscribunt omnia. Cum itaque Calor ex sole coeli, qui est Dominus, est bonum amoris, et lux inde est verum fidei, constare potest quid significatur per mane, et quid per meridiem, per vesperam, et per noctem in altera vita, quod nempe sint status boni et veri seu amoris et fidei, mane status boni amoris, meridies status veri fidei, et vespera et nox illorum privatio, quae sunt ignorantia et caecitas in illis quae fidei sunt, tum torpor et frigus in illis quae amoris coelestis sunt. Praeterea se habet similiter cum sole coeli sicut cum sole mundi, quod immotus sit, et non per aliquam circumgyrationem faciat status illos, sed quod illa quae circum sunt illos faciant, sicut tellus circum solem et simul circum axem suum, inde apparentiae sicut mutationes illae ex sole existerent, cum tamen non ex sole sed ex orbe circum illum; ita quoque in coelo, mutationes status ibi, quibus correspondent mane, meridies, vespera, nox, non existunt a sole ibi, nam sol semper emittit calorem et lucem, hoc est, bonum quod amoris et verum quod fidei, sed mutationes illae existunt apud eos qui recipiunt; nempe apud angelos et spiritus, qui per statas vices secundum vitam nunc in mane sunt, hoc est, in bono amoris, nunc in meridie, hoc est, in vero fidei, nunc in vespera et nocte, hoc est, in umbra et torpore [35] quoad illa. Quod res similiter se habeat in mundo sicut in coelo, cum differentia, quod in mundo sint status temporum

qui ita succedunt, et in coelo status vitae, est causa quia omnia quae in mundo sunt, ad imaginem illorum quae in coelo creata sunt, nam naturalia ex spiritualibus existunt sicut effectus a suis causis; inde est correspondentia omnium in mundo cum illis quae in coelo, et inde universa natura est theatrum repraesentativum Regni Domini, n: 3483. 4939. 8211.

8813. Et fuit, voces et fulgura, quod significet statum Divinum in quo revelatio, constat ex significatione vocum, quae sunt sonitus tonitruum, quod sint Vera Divina; et ex significatione fulgurum, quod sit rutilatio ac splendor qui veris illis, nam vera Divina ex flammeo lucis, quod ex sole coeli, splendent ac rutilant; inde est, quod per voces et fulgura significetur status Divinus in quo revelatio, status Divinus per quod talia e coelo descendant, et revelatio per quod voces et fulgura sint vera Divina; quod per voces quae fulminum e coelo significentur vera Divina, videatur n: 7573, et quod fulgura sint splendores inde qui perstringunt visum internum hominis, ac illuminant illos qui in vero ex bono sunt, ac percellunt illos qui in falso ex malo, constat ex locis in Verbo, ubi fulgura nominantur, ut apud Davidem „Stillarunt aquas nubes, *vocem ediderunt aetheres*, et tela tua iverunt, *vox tonitrui tui in orbem*, *illustrarunt fulgura orbem*, commota est et contremuit terra" Psalm: LXXVII: 18. 19; ibi vox tonitrui pro Vero Divino, n: 7573, fulgura pro splendore ejus, et orbis pro Ecclesia; inde illustrarunt fulgura orbem, pro illustratione Ecclesiae a Vero Divino: similiter apud Eundem „*Illustrabant fulgura Ipsius orbem*, videbit et timebit terra, montes sicut cera liquefient coram Jehovah" Psalm: XCVII: 4. 5. Apud Eundem „Quod vult Jehovah, facit in coelis et in terra, in maribus [36] et in omnibus abyssis, qui ascendere facit vapores ab extremitate terrae, *fulgura pluviae facit*" Psalm: CXXXV: 7. Jerem: X: 13. Cap: LI: 16, fulgur pluviae pro splendore veri descendentis e coelo. Apud Johannem „Facta sunt *fulgura*, voces et *tonitrua*" Apoc: XI: 19. [37] Cap: XVI: 18, voces, fulgura et tonitrua, pro Veris Divinis quae illustrant bonos, et terrificant malos. Apud Ezechielem „Aspectus Animalium (quae erant Cherubi) sicut prunae ignis ardentes juxta aspectum lampadum, et incedens inter animalia, ita *ut splendor igni*, et *ex igne exiens fulgur*; et animalia per-

currendo et revertendo *secundum aspectum fulguris* » I: 13. 14, ibi ignis pro bono amoris, et ex igne exiens fulgur pro vero Divino inde; describitur ibi Providentia Divina Domini per Cherubos, quae est Verum Divinum procedens ex Divino Bono Domini. Apud Danielem « Ecce unus indutus linteis, cujus lumbi cincti auro Uphasi, et corpus ejus sicut tharschisch, *facies ejus sicut aspectus fulguris*, et oculi ejus sicut faces ignis » X: 5. 6; facies sicut aspectus fulguris pro amore veri, nam Verum quod ex amore, secum fert flammeum ex igne, quod est fulgur. Apud Sachariam « Jehovah super illis apparebit, et *exibit sicut fulgur telum Ipsius*, et Dominus Jehovih buccina clanget, et procedet in procellis meridiei » IX: 14; telum quod exibit sicut fulgur pro Vero Divino quod perstringit et penetrat, quod telum sit verum doctrinae, videatur n: 2686. 2709, ita telum a Jehovah est Verum Divinum. Apud Nahum « *Splendor gladii, fulgur hastae*, et multitudo confossorum » III: 3: apud Moschen « Acuturus sum *fulgur gladii mei* » Deut: XXXII: 41, pro penetratione Veri Divini apud malos, gladius pro Vero pugnante, n: 2799. 8294, et fulgur pro splendore ejus qui perstringit intellectuale, et orbat illud facultate videndi verum; similiter apud Ezechielem Cap: XXI: 20. 33. Ex his etiam patet, quod per fulgur intelligitur Verum Divinum, apud Matthaeum Cap: XXVIII: 3. et Luc: XVII: 24.

8814. Et nubes gravis super monte, quod significet statum Divinum respective ad illos qui recepturi, constat ex significatione nubis, quod sit verum accommodatum illis qui recepturi, ita Verbum in litera, de qua n: 8443. 8781, hic Verum Divinum accommodatum populo ex Jacobo, qui quia in magnis tenebris erat quoad Vera Divina, ideo dicitur nubes gravis, ac supra densitas nubis, Vers: 9, ac infra fumus ignis sicut fumus fornacis, Vers: 18; in quantis tenebris fuerint, constare potest ex illis quae supra de illa gente n: 8788 memorata sunt; et quoque ex eo, quod illis non revelata sint quae interni hominis sunt, sed solum quae externi, nam interna non capiebant, nec capere volebant, quia contraria erant illorum amoribus, qui erant ut omnium supremi in mundo essent, et quoque omnium opulentissimi, et quod omnes gentes alibi sicut nihili respective ad illos essent; ubi hi amores sunt, ibi amores coelestes non re-

cipi possunt, nam hi exstinguuntur et suffocantur ab illis; haec causa est, quod Jehovah, hoc est, Dominus apparuerit illis in densa et gravi nube, similiter sicut se habet in altera vita, qui in falsis ex malo sunt, illi circumfusi sunt nube densa et nigra secundum falsitatum quale et quantum, hoc apparet cuivis ibi ad oculos; et usque tamen sol ibi continue lucet; de his videantur quae prius n: 6832. 8137. 8138: in genere, Divinum in altera vita apparet cuivis secundum quale fidei et amoris ejus.

8815. Et vox buccinae gravis, quod significet statum coelestem qui circum, constat ex significatione vocis seu soni buccinae, quod sit Verum boni coelestis, vox est Verum, et buccina est bonum coeleste, ut supra n: 8802; quod sit status coelestis qui circum, est quia Divinum in coelo est in medio seu intimo, hoc est, in supremo ibi; at coelum respective ad Angelos, est circum seu extra, hoc est, infra, nam quod circum est, etiam est extra, et quod extra est etiam est infra: ipsum Verum Divinum in Coelo significatur per voces et fulgura, Verum autem coeleste seu Angelicum Divino adjunctum, quod infra seu circum est, significatur per vocem buccinae; similiter ac apud Sachariam „Jehovah super illis apparebit, et exibit sicut fulgur telum Ipsius, et Dominus Jehovih *buccina clanget*, et procedet in procellis meridiei" IX: 14: et apud Davidem „Ascendit Deus cum clangore, Jehovah *cum voce buccinae*" Psalm: XLVII: 6; [38] clangor pro vero boni spiritualis, vox buccinae pro vero boni coelestis. Divinum Verum quod per coelum transit, etiam intelligitur *per „tubas quibus Angeli clanxerunt*" Apoc: VIII: 2. 6. 7. 8. 12. 13. Cap: IX: 14: repraesentatum etiam est Verum Divinum e coelo *per „septem buccinas quibus septem sacerdotes clanxerunt* ante arcam seu coram Jehovah, cum muri urbis Jericho caderent" Josch: VI: tum *per „buccinas quibus insonuerunt trecenti viri*, qui cum Guideone, circum castra Midianis, Amaleki, et filiorum orientis" Judic: VII: causa, quod buccinae illum effectum ederent, fuit, quia [39] repraesentabant Verum Divinum per Coelos, quod tale est ut perficiat bonos, at destruat malos; quod perficiat bonos, est quia hi recipiunt Divinum bonum, quod est in Vero, at quod destruat malos, est quia hi non recipiunt Divinum bonum quod inibi; muri Jericho significabant falsa quae defendebant mala;

ac Midian, Amaleck et filii orientis, circum quorum castra trecenti viri Guideonis clanxerunt buccinis, significabant illos qui in malis et inde falsis.

8816. Et trepidabat omnis populus qui in castris, quod significet sanctum tremorem illis qui recepturi, constat ex significatione trepidare, quod sit sanctus tremor; et ex significatione populi qui in castris, quod sint qui Divinum Verum recepturi. In Verbo passim dicitur, quod cum descendit Jehovah, contremiscat terra, et diffluant montes, ut Psalm: LXXVII: 18. 19. Psalm: XCVII: 4. 5. Psalm: CIV: 32, et alibi, et per id significatur commotio omnium ad praesentiam Divini, nam Divinum tale est, ut nemo sustineat nisi in quadam nube sit, et sic accommodatus receptioni, est enim sicut ignis qui in sole, qui si nudus incideret, momento consumeret; sed receptio se habet secundum bonum apud unumquemvis; qui in bono sunt, ad praesentiam Divini quidem contremiscunt, sed est tremor sanctus qui praecedit receptionem; at qui in malo sunt, ad praesentiam Divini in terrore sunt, ac ideo aufugiunt, et tunc involvuntur falsis suis, sicut furva nube, et absconduntur; haec significantur per cavernas petrarum, in quas tunc se recipiunt; ex his constare potest, quid per trepidabat omnis populus qui in castris, significatur.

8817. Et exire fecit Moscheh populum obviam Deo, e castris, quod significet potentiam Veri a Divino ad parandum illos ut recipiant Divinum, constat ex significatione exire facere populum obviam Deo, quod sit potentia ad parandum illos ut recipiant Divinum, nam agitur in sequentibus de Lege promulgata super monte Sinaï, quae est Divinum quod recepturi, nam Lex est Divinum Verum ex Divino Bono, inde est, quod exire facere obviam, sit potentia parandi ad receptionem, per Verum a Divino, quod per Moschen repraesentatur, n: 8760. 8787. 8805.

8818. Et constiterunt in inferioribus montis, quod significet longe a bono amoris coelestis, constat ex significatione montis Sinai, quod sit coelum, et sic Bonum Divinum unitum Divino Vero ibi, de qua n: 8805; et ex significatione consistere in inferioribus ejus, quod sit longe seu remote ab illo: intelligitur hic in sensu interno historico gens Israëlitica, quae quod

absque bono amoris coelestis fuerit, videatur supra n: 8788. 8806, et inde quod longe ab illo, quapropter etiam infra dicitur, quod Moscheh obtestaretur populum ut et sacerdotes, ne perrumperent terminos, ac tangerent montem, et sic morerentur, Vers: 21. 22. 24. 25. In sensu autem interno, in quo agitur de illis qui ab Ecclesia spirituali, significatur per id quod consisterent in inferioribus montis, quod non liceret ad superius coelum ex confidentia ascendere, et si ascenderent quod morituri, de qua re videatur n: 8794. 8797.

8819. Et mons Sinai fumabat totus ille, quod significet apparitionem boni coelestis in maximo obscuro, constat ex significatione montis Sinai, quod sit bonum coeleste, ut mox supra n: 8818; et ex significatione fumare, quod sit apparitio in obscuro; per obscurum intelligitur obscurum fidei, quale est illorum qui ab Ecclesia spirituali respective ad illos qui ab Ecclesia coelesti, n: 2708 pr. 2715. 2718. 2831. 2935. 2937. 3241. 3833. 6289. Per maximum obscurum, quod significatur per quod mons Sinai fumabat totus, et per id quod mox infra dicitur, quod ascenderet fumus ejus sicut fumus fornacis, intelligitur id obscurum in quo fuit gens Israëlitica, coram qua apparitio fiebat; nam Jehovah seu Dominus apparet unicuique secundum quale ejus, n: 8788. 8814; ita sicut amor et sicut lux veri illis qui in bono sunt, at sicut hostis et vindex illis qui in malo sunt: quod talis apparuerit populo Israëlitico, constat etiam alibi apud Moschen „Aspectus gloriae Jehovae fuit *ignis comedens* in Capite montis, *ante oculos filiorum Israëlis*" Exod: XXIV: 16. 17. Apud Eundem „Accessistis et stetistis sub monte, cum *mons flagrans igne usque ad cor coeli*, *tenebrae* et *nubes* et *caligo*, et loquutus est Jehovah ad vos e medio ignis" Deut: IV: 11. 12. [40] Cap: V: 19: et apud Eundem „Factum cum audivistis vocem e medio tenebrarum, et *mons flagrans igne*, et accessistis ad me [, et] dixistis, *quare moriemur*, quia *comedet nos ignis magnus hic;* si addentes nos [41] audire vocem Jehovae Dei nostri amplius, *moriemur*" Deut: V: 20. 21. 22; quod res ita se habeat, est quia quisque non aliter videre potest Deum, quam ex talibus quae in se sunt, ut qui in odio est, videt Ipsum ex odio, qui in immisericordia videt Ipsum in immisericordia, et vicissim, qui in charitate et misericordia, vident

Ipsum ex illis, ac ita in illis: se habet hoc sicut lucis radii, qui cum in formas tetras incidunt, vertuntur illi in colores tetros; at cum incidunt in formas pulchras, tunc vertuntur in colores pulchros. Quod fumus sit obscurum veri, et quoque caliginosum quod est falsi, constat apud Esaiam Cap: IX: 17. 18. Cap: XXXIV: 9. 10. [42] apud Joëlem Cap: III: 3. 4. Apud Hoscheam Cap: XIII: 1. 3. in Apocalypsi Cap: IX: 17. 18. Cap: XVIII: 2. 18. Cap: XIX: 3. [43]

8820. Propter quod descendit super illum Jehovah in igne, quod significet quia Divinum ibi in amore coelesti, constat ex significatione ignis, in quo Jehovah, quod sit amor divinus coelestis; quod ignis sit amor, videatur n: 934. 4906. 5071 fin: 5215. 6314. 6832. 6834. 6849, hic amor Divinus Coelestis, hoc est, Amor Divinus qualis est in Coelo ubi coelestes angeli.

8821. Et ascendit fumus ejus sicut fumus fornacis, quod significet obscurum sicut obscurum ex cupiditatibus, constat ex significatione fumi, quod sit obscurum, de qua supra n: 8819; et ex significatione fornacis, quod sit cupiditas, de qua n: 7519: cur Dominus, cum in Coelesti amore, ita apparuerit filiis Israëlis, videatur n: 8819, tum 1861 fin: 6832.

8822. Et tremiscebat totus mons valde, quod significet [coeli] commotionem, constat ex significatione tremiscere, quod sit commotio; et ex significatione montis Sinai, quod sit Coelum, de qua n: 8805; quod ad praesentiam Divini sit commotio, videatur supra n: 8816.

8823. Et fuit vox buccinae vadens et fortificans se valde, quod significet commune revelationis per coelum angelicum, constat ex significatione vocis buccinae, quod sit verum coeleste seu angelicum Divino conjunctum, de qua n: 8815, ita commune revelationis, nam Verum Divinum est revelatio, ac id quod medio coelo manifestatur, est commune respective ad ipsum Verum Divinum in Coelo, est enim extra seu circum, n: 8815, et quod circum et extra est, id commune est respective ad id quod in medio seu quod intra est; et ex significatione vadere et fortificare se, quod sit increscentia ejus; nam se habet hoc sicut sonus qui in alto, ubi purior atmosphaera est, qui tacitus, at cum descendit ad inferiora ubi atmosphaera est [44] crassior, quod sit grandior et sonantior; ita Divinum Verum,

et Divinum Bonum, haec in supremis sunt pacifica et prorsus nullius turbae, at cum delabuntur versus inferiora, per gradus impacifica et tandem tumultuosa; haec describuntur ita a Domino ad Eliam, cum erat in Chorebo, in Libro Primo Regum „Exi et consiste in monte ante Jehovam; ecce Jehovah praeteriens; ita ut ventus magnus et fortis disrumpens montes, et diffringens petras ante Jehovam; non in Vento Jehovah; dein post ventum terrae motus, non tamen in terrae motu Jehovah: post terrae motum ignis, non in igne Jehovah; denique post ignem *vox silentii* [45] *tenuis*" XIX: 11. 12.

8824. Moscheh loquebatur et Deus respondebat illi in voce, quod significet per influxum Veri a Divino, in quo ipsum Divinum, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum a Divino, de qua n: 8760. 8787. 8805; ex significatione loqui, quod sit influxus, de qua n: 5797. 7270. 8128; et ex significatione respondere in voce, quod sit Divinum Verum a quo: causa quod illa significentur, est quia responsa Divina, sunt vera in quibus Divinum.

8825. Vers: 20. 21. 22. 23. 24. 25. *Et descendit Jehovah super montem Sinai ad caput montis, et vocavit Jehovah Moschen ad caput montis, et ascendit Moscheh. Et dixit Jehovah ad Moschen, descende, obtestare populum, ne forte perrumpant ad Jehovam ad videndum, et cadat de eo multus. Et etiam sacerdotes accedentes ad Jehovam sanctificabunt se, ne forte rupturam faciat in illis Jehovah. Et dixit Moscheh ad Jehovam, non potest populus ascendere ad montem Sinai, quia tu contestatus es in nos, dicendo, terminos pone monti, et sanctifica eum. Et dixit ad illum Jehovah, abi, descende, et ascendas tu et Aharon tecum, et sacerdotes et populus ne perrumpant ad ascendendum ad Jehovam, ne forte rupturam faciat in illis. Et descendit Moscheh ad populum, et dixit ad illos.* Et descendit Jehovah super montem Sinai, significat praesentiam Domini in coelo: ad caput montis, significat in intimo: et vocavit Jehovah Moschen ad caput montis, et ascendit Moscheh, significat conjunctionem veri a Divino ibi: et dixit Jehovah ad Moschen, significat exhortationem a Divino: descende, obtestare populum, ne forte perrumpant ad Jehovam ad videndum, significat ne illi qui a spirituali Ecclesia cupiant in coe-

lum ubi Divinum coeleste: et cadat de eo multus, significat quod sic perirent: et etiam Sacerdotes accedentes ad Jehovam sanctificabunt se, significat illos qui in bono spirituali, in quo Divinum, quod obtegendi: ne forte rupturam faciat in illos Jehovah, significat inde separationem a bono: et dixit Moscheh ad Jehovam, significat cogitationem Veri a Divino: non potest populus ascendere ad montem Sinai, significat quod ad coeleste regnum nequeant se elevare: quia Tu contestatus es in nos, significat quia a Divino cautum: dicendo, terminos ponas monti, significat per quod sphaera spiritualis boni infra desinat: et sanctifica eum, significat quod sic ex Divino arceantur: et dixit ad illum Jehovah, significat admonitionem usque: abi, descende, significat influxum: et ascende tu et Aharon, significat conjunctionem cum Vero a Divino interno et externo: et sacerdotes et populus ne perrumpant ad ascendendum ad Jehovam, significat ne qui in bono et vero spirituali cupiant in coelum coeleste: ne forte rupturam faciat in illis, significat separationem a vero et bono: et descendit Moscheh ad populum, significat influxum Divini per verum a Divino: et dixit ad illos, significat sic admonitionem.

8826. Et descendit Jehovah super montem Sinai, quod significet praesentiam Domini in coelo, constat ex significatione montis Sinai, quod sit coelum, de qua n: 8805, inde descendere in montem illum, est praesentia ibi; quod sit praesentia Domini, est quia Jehovah in Verbo est Dominus.

8827. Ad caput montis, quod significet in intimo nempe coelo, constat ex significatione montis, quod sit coelum, ut nunc supra n: 8826; quod caput montis sit intimum coelum, est quia caput montis est altissimum ibi, ac altissimum significat intimum, n: 1735. 2148. 4210. 4599. 8153: sunt tres coeli, nempe infimum, quod vocatur primum, medium quod vocatur secundum, et intimum quod vocatur tertium; in hoc coelo est magis Divinum quam in binis inferioribus, nam ibi sub immediato intuitu Domini sunt, quoniam illi qui ibi in amore in Dominum sunt, ac inde in pace et in innocentia prae reliquis; Angeli qui ibi vocantur Angeli coelestes, et angeli in secundo coelo vocantur angeli spirituales, inde Divinum in illo coelo vocatur Divinum coeleste, et Divinum in hoc Divinum spirituale: ex his

constare potest, quid significat quod Jehovah descenderit super caput montis.

8828. Et vocavit Jehovah Moschen ad caput montis, et ascendit Moscheh, quod significet conjunctionem Veri a Divino ibi, constat ex illis quae supra n: 8760. 8761, explicata sunt, ubi similia; hic significatur conjunctio cum Divino coelesti, hoc est, cum Divino intimi coeli.

8829. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet exhortationem a Divino, constat ex significatione dicere, quod involvat illa quae sequuntur, quae sunt exhortationis, ne perrumperent terminos quibus circumseptus erat mons.

8830. Descende, obtestare populum ne forte perrumpant ad Jehovam ad videndum, quod significet ne illi qui ab Ecclesia spirituali cupiant in coelum ubi coeleste, constat ex significatione obtestari, quod sit exhortatio; ex repraesentatione filiorum Israëlis, qui hic populus, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua saepius; ex significatione perrumpere, nempe terminos, quod sit cupere in coelum superius; et ex significatione ad videndum Jehovam, quod sit ad percipiendum Divinum, per Jehovam enim in Capite montis intelligitur Divinum in coelo intimo, quod vocatur coelum coeleste, n: 8827; et per videre intelligitur perceptio, n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400.

8831. Et cadat de eo multus, quod significet quod sic perirent, constat absque explicatione.

8832. Et etiam sacerdotes accedentes ad Jehovam sanctificabunt se, quod significet illos qui in bono spirituali, in quo Divinum, quod obtegendi, constat ex significatione sacerdotum, quod sit bonum, de qua n: 1728. 2015 fin: 6148, hic bonum spirituale, quia per filios Israëlis, quorum sacerdotes erant, repraesentabantur illi qui ab Ecclesia spirituali, ita qui in bono per Verum, et in vero ex bono, n: 7957. [46] 8234; ex significatione accedere ad Jehovam, cum de sacerdotibus per quos significatur bonum, quod sit in quo Divinum; et ex significatione sanctificari, quod sit obtegi quoad interiora, de qua n: 8788. 8806.

8833. Ne rupturam faciat in illis Jehovah, quod significet separationem a bono, constat ex significatione rupturam facere, quod sit separatio veri a bono, de qua n: 4926, hic separatio

a bono, quia dicitur de sacerdotibus, per quos significatur bonum, n: 8832.

8834. Et dixit Moscheh ad Jehovam, quod significet cogitationem Veri a Divino, constat ex significatione dicere, cum ex Vero a Divino, quod repraesentatur per Moschen, quod sit cogitatio, ut quoque n: 3395. 7107. 7244. 7937: dicitur cogitatio Veri a Divino, ac intelligitur cogitatio apud illum, qui Verum a Divino repraesentat; causa quod ita dicatur est etiam quia Verum apud hominem cogitat, et homo, apud quem cogitatio est, per verum; nam Dominus influit per bonum in verum, et sic dat vitam homini; haec vita apparet in homine sicut ejus, sed est Domini in Vero ex bono apud illum: quia ita est, Angeli ita loquuntur, nam tribuunt cogitationem Vero ex bono abstracte a persona, et sic simul percipiunt unde cogitatio veri; ex his patet, qualis loquela est angelica, et quod sit loquela sapientiae.

8835. Non potest populus ascendere ad montem Sinai, quod significet quod ad coeleste regnum nequeant se elevare, constat ex significatione populi seu filiorum Israëlis, quod sint qui e regno spirituali; ex significatione ascendere, quod sit elevare; et ex significatione montis Sinai, quod sit regnum coeleste, de qua supra n: 8827. Haec quomodo se habent, videatur supra n: 8794. 8797.

8836. Quia Tu contestatus es in nos, quod [47] significet quia a Divino cautum, constat absque explicatione.

8837. Dicendo terminos ponas monti, quod significet per quod sphaera spiritualis boni infra desinat, constat ex significatione terminos ponere monti, quod sit extensio in coelum non ultra quam ad sphaeras spirituales boni, de qua supra n: 8794. 8795. 8796. 8797.

8838. Et sanctifica eum, quod significet quod sic ex Divino arceantur, constat ex significatione sanctificare, quod sit obvelare interiora ut externa in sancto appareant, de qua n: 8788. 8806, ita quoque arceri a Divino ne laedantur; nam nisi obvelarentur, penetraret Divinum, et destrueret, praesentia enim Divini est sicut ignis consumens illis qui non obvelati sunt; inde est, quod etiam angeli obvelentur nube, n: 6849; ex his constare potest, quid intelligitur per obvelari: quod hoc significe-

tur per sanctificari, est quia cum obvelati apparent in sancto, nam tunc potest Divinum influere, et sistere ibi statum boni et formam veri, quod absque obvelatione non fieri potest.

8839. Et dixit ad illum Jehovah, quod significet admonitionem usque, constat ex significatione dicere, cum a Jehovah ad Moschen, ut obtestaretur populum ne perrumpant ad videndum, quod sit admonitio: quod sit admonitio *usque*, est quia a Mosche dictum, quod de ea re exhortati sint, et quod ne id facerent, cautum.

8840. Abi et descende, quod significet influxum, constat ex significatione ire et descendere ad populum, ac admonere, cum a Divino per Verum a Divino, quod repraesentatur per Moschen, quod sit influxus, nempe Divini per Verum a Divino.

8841. Et ascende tu et Aharon, quod significet conjunctionem cum vero a Divino, interno et externo, constat ex significatione ascendere, nempe ad Jehovam, quod sit conjunctio, de qua n: 8760; et ex repraesentatione Moschis et Aharonis, quod sint Verum a Divino internum et externum, Moscheh internum et Aharon externum, de qua n: 7089. 7382.

8842. Et sacerdotes et populus ne perrumpant ad ascendendum ad Jehovam, quod significet ne qui in bono et vero spirituali cupiant in coelum coeleste, constat ex illis quae supra n: 8830. 8832, dicta sunt, ubi similia.

8843. Ne forte rupturam faciat in illis, significat separationem a vero et bono, ut supra n: 8833, hic quoque a Vero, quia dicitur etiam de populo.

8844. Et descendit Moscheh ad populum, significat influxum Divini per verum a Divino, ut supra n: 8840.

8845. Et dixit ad illos, significat sic admonitionem, ut supra n: 8839.

Continuatio de spiritibus et incolis telluris Jovis.

8846. *Sunt etiam Spiritus inter Joviales, quos Caminorum purgatores vocant, quia in veste illis simili apparent, et quoque facie; sunt inter illos qui homines suae telluris increpant, ac postea instruunt, de quibus n:* 7801 *ad* 7812; *quid tales in Maximo Homine referunt, et quales sunt, videri potest a descriptione illorum supra n:* 5056, *quam exscriptam hic transferre licet.*

8847. *Quidam spiritus ex alia tellure apud me fuit (erat ex tellure Jovis), is sollicite petiit ut intercederem pro eo, ut venire posset in coelum; dicebat quod non sciat quod malum egerit, solum quod increpaverit incolas illius telluris; adjecit, quod postquam increpavit, illos instruxerit: applicuit se ad latus meum sinistrum sub ulna, et loquebatur quasi bifide; is etiam potuit miserationem movere: sed non aliud potui respondere, quam quod nihil opis ferre possim, et quod id unice Domini sit, nec intercedere, quia non scio num utile vel non; at si dignus quod posset sperare: tunc remissus est inter spiritus probos qui ex sua tellure; sed ii dicebant, quod non posset esse in eorum consortio, quia non talis; at quia usque ex intenso desiderio flagitabat ut intromitteretur in coelum, missus est in societatem proborum spirituum hujus telluris; verum etiam hi dicebant, quod cum illis non esse possit: erat etiam nigri coloris in luce coeli, verum dixit ipse quod non esset coloris nigri sed murrhini. Dicebatur mihi, quod tales sint principio, qui dein recipiuntur inter illos qui constituunt provinciam vesicularum seminalium; in vesiculis enim illis colligitur semen, ac circuminduitur materia conveniente, apta ad conservandum ne dissipetur, et quae exui potest in cervice uteri, ut sic, quod intus reservatum est, inserviat conceptioni, hoc est, impraegnationi ovuli; inde quoque seminali illi materiae est conatus et quasi flagrans desiderium se exuendi,* [48] *et relinquendi semen ut praestet usum: simile quid etiam apparuit apud illum spiritum; is venit adhuc ad me, sed in vestitu vili, et dicebat iterum quod arderet venire in coelum, et quod nunc ap-*

perciperet se talem esse; at dicere ei dabatur, quod forte id indicium sit quod brevi recipiatur: dicebatur tunc ei ab angelis, ut rejiceret vestem, is ex desiderio tam cito illam rejiciebat, ut vix aliquid citius; per quod repraesentabatur qualia illorum desideria sunt, qui in provincia, cui vesiculae seminales correspondent.

8848. *Dictum est, quod tales cum praeparati sunt ad coelum, exuantur vestibus suis, et induantur novis splendentibus, ac fiant Angeli: hos assimilabant Vermiculis, qui peracto statu vili mutantur in nymphas, et sic in papiliones, quibus tunc datur amictus alius, et quoque alae coloris caerulei, flavi, argentei, aut aurei, et tunc libertas volandi in aëre ut in suo coelo, ac conjugia celebrandi, ponendique ova, et sic consulendi propagationi sui generis; ac tunc simul addicantur illis victus dulces et amoeni ex succis et odoribus variorum florum.*

8849. *Quidam etiam ex spiritibus ab illa tellure ad me venit, dicens quod quaereret unicum Dominum, et desideraret venire in coelum, sed quod non posset, quia in vita corporis malum egerat; quaerebatur quid mali, dicebat quod abstulerit ex socio aliquid quod pretii parvi erat, quod autumabat eum sibi daturum, et quod hoc gravaret conscientiam: inde patuit qualem vitam in illa tellure vivunt; et quod angat illos si malum, etiamsi leve, alicui faciunt; nam illam cogitationem traxerat secum e tellure.*

8850. *Ostensum mihi est calvitium, sed modo suprema ejus pars, quae ossea; et dicebatur quod tale videant illi qui intra annum morituri sunt, et quod tunc se praeparent. Ibi mortem non timent, nisi propter quod relinquant conjugem, liberos, aut parentes, nam sciunt quod post mortem victuri sint; et quod e vita non abeant quia in coelum; quapropter etiam mori non vocant mori, sed coelificari. Qui in illa tellure vixerunt in amore conjugiali felices, et curam liberorum, sicut parentes decet, habuerunt, illi non moriuntur per morbos, sed tranquille sicut in somno, ac ita transmigrant e mundo in coelum.*

8851. *Aetas hominum ibi ut plurimum est triginta annorum, secundum annos nostrae telluris; qui supra sunt, dicuntur*

esse indociles; ac ideo spiritus castigatores et instructores ad illos non perveniunt: causa quod intra spatium temporis tam breve moriantur, est ex Providentia Domini, ne copia hominum ibi cresceret ultra numerum qui a tellure ibi sustentari posset: maturescunt etiam ibi citius quam in hac tellure, etiam in primo flore juventutis sociant conjugia, et tunc illorum [49] *delitiae sunt amare conjugem, et curam liberorum habere; caeteras delitias quidem delitias vocant, sed respective externas.*

8852. *Ad finem Capitis sequentis dicetur de spiritibus et incolis Planetae Saturni.*



EXODI

CAPUT VIGESIMUM.

Doctrina Charitatis.

8853. Unusquisque homo habet proprium, quod super omnia amat; hoc vocatur dominans, aut, si velis, universaliter regnans apud illum: hoc praesens est in ejus cogitatione, et quoque in ejus voluntate jugiter; et facit ipsissimam ejus vitam.

8854. Ut pro exemplo, qui super omnia amat opes, sive pecuniae sint sive possessiones, is continue animo versat quomodo illas sibi comparet; gaudet intime cum acquirit, dolet intime cum amittit, cor ejus est in illis. Qui super omnia amat se, is sui recordatur in singulis, de se cogitat, de se loquitur, propter se agit; vita enim ejus est vita sui.

8855. Homo pro fine habet id quod super omnia amat, illud spectat in omnibus et singulis, est in voluntate ejus sicut latens vena fluvii quae trahit et aufert, etiam cum aliud agit, nam id est quod animat. Tale est quod unus homo apud alterum explorat, et quoque videt, et secundum id vel ducit illum, vel agit cum illo.

8856. Cum regeneratur homo, implantatur Charitas per fidem, usque dum illa dominans fit, et cum charitas facta est dominans, tunc ei nova vita est, nam tunc adest jugiter in ejus cogitatione, et jugiter in ejus voluntate, imo in singulis illarum, etiam cum de aliis rebus meditatur, et cum in negotiis est.

8857. Similiter se habet cum amore in Dominum, ille amor

cum dominans est, adest in singulis ejus vitae; sicut qui amat suum regem, aut suum parentem, amor erga illos in praesentia illorum elucet ex singulis ejus faciei, auditur in singulis ejus loquelae, et apparet in singulis ejus gestus. Hoc intelligitur per habere Deum jugiter ante oculos, et per amare Ipsum super omnia, tota anima et toto corde.

8858. Homo prorsus talis est, quale est ejus vitae dominans, per hoc distinguitur ab aliis; secundum hoc fit ejus coelum si bonus est, ac fit ejus infernum si malus; nam id est ipsissima ejus voluntas, et sic ipsum esse vitae ejus, quod post mortem mutari non potest. Ex his patet, quale vitae est regenerato, et quale vitae est non regenerato.

EXODI

CAPUT XX.

1. Et loquutus est Deus omnia verba haec, dicendo.

2. Ego Jehovah Deus tuus, qui eduxi te e terra Aegypti, e domo servorum.

3. Non erit tibi dii alii coram faciebus meis.

4. Non facies tibi sculptile, et ullam similitudinem, quae in coelis desuper, et quae in terra desubter, et quae in aquis desub terra.

5. Non incurvabis te illis, et non servies illis, quia Ego Jehovah Deus tuus, Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum super filios, super tertios et super quartos, osoribus meis.

6. Et faciens misericordiam ad millenos amantibus Me, et custodientibus praecepta mea.

7. Non feres Nomen Jehovae Dei tui ad vanum, quia non innocentem reddet Jehovah illum qui fert Nomen Ipsius ad vanum.

8. Recordare diei sabbathi, ad sanctificandum eum.

9. Sex diebus laborabis, et facies omne opus tuum.

10. Et dies septimus sabbathum JEHOVAE DEO tuo, non facies ullum opus tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, et bestia tua, et peregrinus tuus qui in portis tuis.

11. Quia sex diebus fecit JEHOVAH coelum et terram, mare, et omne quod in illis, et quievit in die septimo; idcirco benedixit JEHOVAH diei sabbathi, et sanctificavit eum.

12. Honora patrem tuum, et matrem tuam, propterea ut prolongentur dies tui super terra, quam JEHOVAH DEUS tuus dat tibi.

13. Non occides. Non adulterabis. Non furaberis. Non respondebis in proximum tuum testis mendacii.

14. Non concupisces domum proximi tui; non concupisces uxorem proximi tui; et servum ejus, et ancillam ejus, et bovem ejus, et asinum ejus, et omne quod proximo tuo.

15. Et omnis populus videntes voces et faces, et vocem buccinae, et montem fumantem, et vidit populus, et commoti sunt, et steterunt e longinquo.

16. Et dixerunt ad Moschen, loquere tu cum nobis, et audiemus, et ne loquatur cum nobis DEUS, ne forte moriamur.

17. Et dixit Moscheh ad populum, ne timeatis, quia propterea ut tentare vos, venit DEUS, et propterea ut sit timor Ipsius coram faciebus vestris, ut non peccetis.

18. Et stetit populus e longinquo, et Moscheh accessit ad caliginem, ubi DEUS.

19. Et dixit JEHOVAH ad Moschen, ita dices ad filios Israëlis, vos vidistis quod e coelo loquutus sim cum vobis.

20. Non facietis cum Me deos argenti et deos auri, non facietis vobis.

21. Altare humi facies Mihi, et sacrificabis super illo holocausta tua et eucharistica tua, greges tuos, et armenta tua, in omni loco quo memoriam posuero Nominis mei, veniam ad te, et benedicam tibi.

22. Et si altare lapidum facias Mihi, non aedificabis illos caesos, [*] quia si caelum tuum moveris super illo, et prophanabis illud.

23. Et non ascendes in gradibus super ad altare meum, ut non reveletur nuditas tua super illo.

CONTENTA.

8859. Agitur in hoc Capite in sensu interno de Veris Divinis, quae implantanda sunt bono apud illos qui ab Ecclesia spirituali Domini sunt; decem praecepta decalogi sunt illa vera: praecepta de sacrificiis et de altari, quae in hoc Capite sequuntur, sunt vera externa quae Cultus.

SENSUS INTERNUS.

8860. Vers: 1. *Et loquutus est Deus omnia verba haec, dicendo:* significat Vera Divina illis in coelis, et illis in terris.

8861. Et loquutus est Deus omnia verba haec, dicendo, quod significet vera Divina, illis in coelis et illis in terris, constat ex significatione verborum quae Deus loquutus, quod sint vera Divina, nam quae Deus loquitur, non sunt nisi quam vera; inde etiam Verum Divinum vocatur Verbum, et Verbum est Dominus apud Johannem Cap: I: 1, ex causa, quia Dominus fuit ipsum Divinum Verum cum in mundo erat, et postea cum glorificatus est, factus est Divinum Bonum, ac tunc ex Ipso omne Divinum Verum procedit: hoc Divinum Verum est Angelis Lux, quae lux etiam est quae illuminat visum nostrum internum, qui est intellectus; hic visus quia non naturalia sed spiritualia videt, pro objectis habet vera, in intellectu spiritualia, quae vocantur fidei, sed in naturali pro objectis habet vera status civilis quae sunt justi, et quoque vera status moralis quae sunt honesti, et ultimo vera naturalia quae sunt conclusiones ex objectis sensuum externorum, imprimis visus. Ex his videri potest, quo ordine consequuntur vera, et quod omnia et singula originem ducant ex veris Divinis, quae sunt interna principia omnium; etiam formae illorum, in quibus sunt, inde originem duxerunt, nam illae creatae sunt ad recipiendum et continendum: inde constare potest, quid intelligitur per quod omnia creata sint per Verbum apud Johannem Cap: I: 1. 2. 3; nam Verum Divinum est ipsissimum Essentiale, et est unicum substantiale, per quod omnia.

8862. Quod per verba quae loquutus est Deus, intelligantur Vera Divina illis in coelis et illis in terris, est, quia decem praecepta, quae decalogus vocantur, et dein statuta, promulgata et mandata e monte Sinai, sunt talia vera, quae non solum pro illis sunt qui in terris, sed etiam pro illis qui in coelis; nam omnia verba, hoc est, omnia vera quae a Domino, non modo sunt pro hominibus, sed etiam simul pro Angelis, nam pervadunt coelum, et sic transeunt ad terram: at in coelis non sonant sicut in terris, sunt enim ibi in forma spirituali, in terris autem in forma naturali: qualia sunt illa quae in forma spirituali respective ad illa quae in forma naturali, constat ex singulis Verbi in sensu interno et in sensu externo; illa in sensu interno sunt spiritualia, at illa in sensu externo, qui est sensus literae, sunt naturalia; haec accommodata sunt illis in terris, illa autem iis in coelis. Quod ita sit, videri potest ex eo, quod Verbum missum sit ac ita transiverit ab Ipso Divino per coelum ad terram; et cum venit ad terram, quod sit Verum accommodatum Generi humano, quod in terrenis et corporeis est; at quod in coelis accommodatum sit angelis, qui in spiritualibus et coelestibus sunt; quia Verbum tale est, in se est sanctum, nam continet in se coeleste et Divinum. Hoc constare potest manifeste a decem praeceptis decalogi; quisque potest scire, quod praecepta illa talia sint, quae nota fuerunt, ubivis in terris, sicut quod honorandi parentes, quod non occidendum, non adulterandum, non furandum, quod non responsuri testes falsi; consequenter quod Gens Israëlitica illa ex solo lumine naturali potuisset scire, nam quaenam gens est quae non illa scit; et tamen ad illa promulganda Ipse Jehovah descendit, et promulgavit illa ex igne qui flagrabat usque ad cor coeli; inde constare potest, quod praecepta illa plura in sinu contineant, quam quae apparent in litera, quod nempe talia quae simul pro coelis sunt; et quae implent coelos; omnia Verbi sunt talia, quia a Divino: inde patet, unde est, quod Verbum sit sanctum, et quid intelligitur per quod Verbum sit inspiratum quoad omnem jotam et apicem, et quoad unum quodvis corniculum, Matth: V: 18. Luc: XVI: 17. [2] Qualia itaque sunt praecepta decalogi in sensu spirituali, hoc est, qualia sunt in coelis, videbitur in sequentibus.

8863. Vers: 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Ego Jehovah Deus tuus,*

qui eduxi te e terra Aegypti, e domo servorum. Non erit tibi dii alii coram faciebus meis. Non facies tibi sculptile, et ullam similitudinem, quae in coelis desuper, et quae in terra desubter, et quae in aquis de sub terra. Non incurvabis te illis, et non servies illis, quia Ego Jehovah Deus tuus, Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum super filios, super tertios et super quartos, osoribus meis. Et faciens misericordiam ad millenos amantibus Me, et custodientibus praecepta mea. Non feres Nomen Dei tui ad vanum, quia non innocentem reddet Jehovah illum qui fert Nomen Ipsius ad vanum. Ego Jehovah Deus tuus, significat Dominum quoad Divinum Humanum universaliter regnans in omnibus et singulis boni et veri: qui eduxi te e terra Aegypti, e domo servorum, significat ex Ipso liberationem ab inferno: non erit tibi dii alii coram faciebus meis, significat quod non cogitandum sit de veris aliunde quam ex Domino: non facies tibi sculptile, significat non ex propria intelligentia: et ullam similitudinem, significat instar illorum quae a Divino: quae in coelis desuper, et quae in terra desubter, significat quae in luce spirituali, aut quae in luce naturali: et quae in aquis de sub terra, significat quae in sensuali corporeo: non incurvabis te illis, et non servies illis, significat non illis Divinum cultum: quia Ego Jehovah Deus tuus, significat quod Divinum a Domino in omnibus et singulis: Deus Zelotes, significat quod inde falsum et malum: visitans iniquitatem patrum super filios, significat prolificationem falsi ex malo inde: super tertios et super quartos, significat in longa serie et conjunctionem: osoribus meis, significat qui Divinum Domini plane rejiciunt: et faciens misericordiam ad millenos, significat bonum et verum illis in perpetuum: amantibus Me, significat qui recipiunt bonum amoris: et custodientibus praecepta mea, significat qui recipiunt vera fidei: non feres Nomen Dei tui ad Vanum, significat prophanationes et blasphemationes veri et boni fidei: quia non innocentem reddet Jehovah illum qui fert Nomen Ipsius ad vanum, significat quod illa non remitti possint.

8864. Ego Jehovah Deus tuus, quod significet Dominum quoad Divinum Humanum universaliter regnans in omnibus et singulis boni et veri, constat ex eo, quod in Verbo non alius per

Jehovam intelligatur, quam Dominus, n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 3448. 5663. 6280. 6281. 6303. 8274; pariter per Jehovam Zebaoth, per Dominum Jehovih, per Jehovam Deum, n: 2921. 3023. 3448. 6303; quodque Dominus dicatur Jehovah ex Divino Bono, quod est Divinum Esse, at Deus ex Divino Vero, quod est Divinum Existere, n: 6905, tum n: 709. 732. 1096. 2586. 2769. 2807. 2822. 3921 fin: 4402; quod sit Divinum Humanum Domini, quod hic per Jehovam Deum intelligitur, est quia Dominus quoad illud in Verbo tam per Jehovam quam per Deum intelligitur, Divinum Bonum quod Ipse est etiam quoad Humanum, per Jehovam, et Divinum Verum quod Ipse est quia procedit ab Ipso per Deum. Quod Divinum Humanum Domini per Jehovam Deum intelligatur, est quia Ipsum Divinum quod in Domino, in coelo non potest videri, et ne quidem percipi, ita nec recipi fide et amore, sed modo Divinum Humanum; quod Ipsum Divinum non communicari possit cum Angelis in coelo, et minus cum hominibus in terra, nisi per Divinum Humanum, notum est in Ecclesiis ex Domini verbis apud Evangelistas, ubi dicit quod Ipse sit janua, quod sit Mediator, quod nemo venire possit ad Patrem quam per Ipsum, quod nullus noscat Patrem quam Ipse, et quod nullus viderit Patrem, ne quidem aliquam speciem Ipsius; inde patet, quod sit Dominus qui hic per Jehovam Deum intelligitur; quod etiam Ipse sit qui redemerit Humanum Genus, et liberaverit ab Inferno, etiam notum est; haec significantur per verba quae sequuntur, nempe per eduxi te e terra Aegypti, e domo servorum: ex his nunc patet, quod Jehovah Deus, qui loquutus e monte Sinai, sit Dominus quoad Divinum Humanum. Quod hoc primum sit quod e monte Sinai a Domino dicitur, est quia hoc erit universaliter regnans in omnibus et singulis quae sequuntur, nam quod primum dicitur, hoc memoria tenebitur in sequentibus, et hoc spectabitur ut universale quod in illis erit; quid universaliter regnans, videbitur in sequentibus: quae a Domino dicta sunt, illa omnia sunt talia; quod nempe quae primum dicuntur, in sequentibus regnabunt, ac involvent illa, ac ita successive illa quae in serie; quae in hoc Capite sequuntur, sunt praecepta decalogi, quae sunt vera interna, et dein statuta, quae sunt vera externa; in his et in illis regnabit Dominus quo-

ad Divinum Humanum, nam sunt ex Ipso, et sunt Ipse, quippe vera quae vera sunt, procedunt omnia ab Ipso, et quae procedunt ab Ipso sunt Ipse: quod Dominus quoad Divinum Humanum sit quod in omnibus et singulis fidei regnabit, etiam notum est in Ecclesiis, nam docetur quod absque Domino nulla salus, et quod omne verum et bonum fidei sit ab Ipso, ita quia Ipse est a Quo fides, est Ipse fides apud hominem, et si fides, est etiam omne Verum, quod Doctrina fidei, quae e Verbo, continet; inde quoque est quod Dominus dicatur Verbum. Quod quae praecedunt, regnabunt in sequentibus, et sic in serie, ut supra dictum est, constat ex singulis quae Dominus loquutus est, imprimis ex Oratione Ipsius, quae Oratio Dominica vocatur; in illa omnia in tali serie consequuntur, ut quasi constituant columnam a supremo ad imum crescentem, in cujus interioribus sunt quae in serie praecedunt; quod primum ibi est, hoc intimum est, et quod succedit ordine, hoc addit se intimo successive, et sic crescit: quod intimum est, hoc in illis, quae circumcirca sunt, regnat [3] universaliter, hoc est, in omnibus et singulis, nam inde est essentiale existentiae omnium.

8865. Quid intelligitur per universaliter regnans, constare potest ex illis quae supra n: 8853 ad 8858, dicta et ostensa sunt, quod nempe universaliter regnans sit id apud hominem, quod in omnibus et singulis ejus cogitationis, et in omnibus et singulis ejus voluntatis est, proinde quod ipsam mentem seu vitam ejus constituit: tale regnans erit Dominus apud hominem, nam tale regnans est Dominus apud Angelos in coelo, de quibus ideo dicitur, quod sint in Domino: Dominus fit regnans, cum non solum creditur quod omne bonum et omne Verum ab Ipso sit, sed etiam cum amatur quod ita sit, Angeli non solum in fide sunt quod ita sit, sed etiam in perceptione, inde est, quod vita illorum sit vita Domini in illis; vita voluntatis illorum est vita amoris a Domino, et vita intellectus illorum est vita fidei a Domino; ex his patet, quid sit quod Dominus sit omne in omnibus coeli, et quod Ipse sit coelum: cum Dominus apud hominem Ecclesiae, sicut apud angelos coeli, universaliter regnat, tunc inest Dominus omnibus veris et bonis fidei apud eum, sicut cor omnibus sanguineis vasis, quia haec ab illo originem suam, et sanguinem qui est vita illorum, trahunt. Sciendum porro, quod

tales spiritus et tales angeli sint apud hominem, quale est ejus universale regnans; causa est, quia universaliter regnans est esse vitae cujusvis, n: 8853. 8858; omne hilare et omne contentum, quod est homini, etiam cum de aliis rebus cogitat, est inde; in illo enim habitant et quasi mansionem habent Angeli ac spiritus qui apud illum, horum laetum influit apud hominem, et facit id; quod inde sit, non venit ad perceptionem hominis, quia homo non scit quod vita ejus influat, nec quod universale regnans vitam ipsius faciat, nec cum id vitae tangitur, quod sit sicut oculi pupilla tangatur, cum delectatione cum a pulchris objectis, et cum dolore cum ab impulchris. Quod universale dicatur ex eo quod sit omne singulare in complexu, ac ita quod universale regnans sit quod in omnibus et singulis est, videatur n: 1919 fin: 5949. 6159. 6338. 6482. 6483. 6571. 7648. 8067.

8866. Qui eduxi te e terra Aegypti e domo servorum, quod significet ab Ipso liberationem ab inferno, constat ex significatione educere, quod sit liberatio; et ex significatione terrae Aegypti, quod sint infestationes ab infernalibus, de qua n: 7240. 7278; et ex significatione domus servorum, quod sit captivitas spiritualis, de qua n: 8049: quod domus servorum sit captivitas spiritualis et quoque infernum, est quia servum est captivum teneri et duci ab illis qui in inferno, [4] et liberum duci a Domino, n: 892. 905. 2870 ad 2875. 2882. 2884. 2892. 2893. 6205. 8209. Quod illi qui ab Ecclesia spirituali sunt, et per filios Israëlis repraesentantur, liberati sint ab inferno a Domino, per quod in mundum venit, et Humanum in Se Divinum fecit, videatur n: 6854. 6914. 7035. 7828. 7932. 8018. 8321.

8867. Non erit tibi dii alii coram faciebus meis, quod significet quod non cogitandum sit de veris aliunde quam ex Domino, constat ex significatione deorum, quod sint vera, et in opposito sensu falsa, de qua n: 4402. 4544. 7268. 7873. 8301; et ex significatione facierum, cum praedicantur de Deo, quod sint Amor, Misericordia, Pax, Bonum, de qua n: 222. 223. 2434. [5] 5585, ita Ipse Dominus, nam Dominus est a Quo illa. Quod non erunt dii alii coram faciebus meis, significat quod non cogitandum de veris aliunde quam ex Domino, est quoque quia Divinum Humanum Domini, quod significatur per Ego Jeho-

vah Deus tuus, primum dicitur, et inde primum ordinis tenet, ac universaliter regnabit in singulis veris quae sequuntur, n: 8864. 8865; quare nunc percipiuntur talia, quae evitanda, quia destruunt ac deprivant, ne Dominus universaliter regnet, in omnibus et singulis veris, quae continentur in praeceptis et statutis, quae dictata et mandata sunt e monte Sinai: primum, quod destrueret, est, si cogitaretur de veris aliunde quam ex Domino, quae significantur per quod non erunt dii alii coram faciebus Domini; reliqua quae universale illud regnans destruerent, continentur in illis quae ordine sequuntur, quod nempe non facerent sibi sculptile, quod nullam similitudinem illorum quae in coelis, quae in terra, et quae in aquis, et quod non incurvarent se illis, et non servirent illis; post haec ideo iterum sequitur, quia Ego Jehovah Deus tuus, per quae significatur quod Dominus erit in omnibus et singulis.

8868. Paucis etiam dicendum est de Veris quae aliunde sunt quam ex Domino; sunt illa in genere in quibus non est Dominus; tunc in veris non est Dominus apud hominem, cum negat Ipsum, ac Divinum Ipsius, et quoque cum agnoscit Ipsum, et usque credit quod bonum et verum non sint ab Ipso, sed a semet, et qui inde sibi vindicat justitiam: etiam vera in quibus non est Dominus, sunt quae ex Verbo sumuntur, imprimis ex sensu literae ibi, et ad favorem sui dominii et sui lucri explicantur, haec in se vera sunt, quia ex Verbo, sed non vera quia sinistre explicantur et sic pervertuntur; talia sunt quae intelliguntur a Domino per haec apud Matthaeum „Si quis dixerit, ecce hic est Christus, aut ibi, ne credite, surgent enim falsi Christi et falsi prophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ut in errorem inducant, si possibile, etiam electos" XXIV: 23. 24. 25. [6] 26, videatur n: 3900: et apud Lucam „Videte ne seducamini, multi enim venient in Nomine Meo, dicentes quod Ego sim, et tempus prope est; ne ergo ite post eos" XXI: 8. Vera quae a Domino in forma interna usque a Domino sunt vera; et vera quae non a Domino solum in forma externa apparent vera, non autem in forma interna, intus enim sunt vel vana, vel falsa, vel mala: ut verum sit, esse debet vita [in] illo, nam verum absque vita, non est verum fidei apud hominem, et vita non aliunde est quam ex bono, hoc est, per bonum a Domino; si itaque non Dominus

est in Vero, est Verum absque vita, ita non verum, at si falsum in illo, aut malum in illo, est ipsum verum apud hominem falsum aut malum; nam quod intus est, hoc facit essentiam, et quoque in altera vita per externum translucet: ex his nunc constare potest, quomodo intelligendum quod non sit cogitandum de veris aliunde quam ex Domino. Quia pauci sciunt, quomodo se habet cum veris quae in forma interna sunt vera, ita quae vivunt a Domino, dicetur aliquid de his ab experientia; in altera vita manifeste percipitur ab unoquovis qui loquitur ibi, quid intus se recondit in verbis loquelae ejus, sicut num inibi clausum est, vel num apertum, tum qualis affectio inest, si affectio boni est molle intus, si affectio mali est durum intus, et sic porro: apud angelos coeli, sunt omnia sermonis illorum aperta usque ad Dominum, quod et clare percipitur, et quoque auditur ex mollitie et ejus quali; inde quoque scitur, quid intus in veris reconditum latet, num Dominus vel non; vera in quibus est Dominus sunt vera quae vivunt, at vera in quibus non est Dominus, sunt vera quae non vivunt; quae vivunt, sunt vera fidei ex amore in Dominum et ex charitate erga proximum; quae non vivunt, sunt non vera, quia intus in illis est amor sui et amor mundi: ex his possunt spiritus et angeli in altera vita discerni, nam unicuique vera sunt secundum ejus vitam, hoc est, secundum id quod apud illum universaliter regnat.

8869. Non facias tibi sculptile, quod significet non ex propria intelligentia, constat ex significatione sculptilis, quod sit id quod non ex Domino, sed ex proprio hominis; quod ex proprio intellectuali, significatur per sculptile, et quod ex proprio voluntario significatur per fusile; hoc aut illud pro deo habere seu adorare, est amare omne id super omnia quod ab ipso procedit: qui hoc faciunt, prorsus non credunt quod a Divino aliquid intelligentiae et sapientiae influat, tribuunt enim omnia sibi, caetera quae sibi eveniunt, referunt ad fortunam, vel ad casum; Providentiam Divinam in talibus plane negant; putant si aliquid Numinis sit quod adest, id sit in ordine naturae, cui adscribunt omnia; dicunt quidem ore, quod aliquis Creator Deus impresserit talia naturae, sed usque corde negant aliquem Deum supra naturam; tales sunt qui sibi suaeque prudentiae et intelligentiae tribuunt omnia, et nihil Divino ex corde; et qui illo-

rum se amant, adorant sua, et ab aliis quoque volunt ut adorentur, imo sicut dii, aperte si non Ecclesia vetaret: hi sunt formatores sculptilium, ipsa sculptilia sunt quae ex proprio excludunt, ac volunt ut adorentur pro Divinis: quod illa per sculptilia in Verbo significentur, constat ex locis, ubi nominantur; ut apud Jeremiam „Stultus factus est omnis homo a scientia, pudore affectus est *omnis conflator a sculptili,* quia mendacium *fusile* ejus, neque spiritus in eis" X: 14. Cap: LI: 17; quia per sculptile significatur id quod non a Domino, sed a propria intelligentia procedit, ideo dicitur stultus factus est omnis homo a scientia, et pudore affectus est omnis conflator a sculptili; et quia in illis quae ex propria intelligentia excluduntur, nihil vitae spiritualis inest, quae unice est a Domino, ideo quoque dicitur, neque spiritus in eis. Apud Habakuk „*Quid prodest sculptile,* quia sculpsit illud fabricator ejus, *fusile* et doctor mendacii, *quia fidit fabricator figmenti sui super hoc,* cum facit deos mutos, *non spiritus in medio ejus*" II: 18. 19. 20, hic sculptile pro illis quae ex propria intelligentia excluduntur, in quibus nihil vitae a Domino. Apud Jeremiam „Siccitas super aquas ejus et exarescent, *quia terra sculptilium illa,* et de horrendis gloriantur, ideo habitant Ziim cum iim, et habitant in ea filiae noctuae" L: 38. 39, ibi de Chaldaea et Babele; siccitas super aquas, et exarescent, pro veris in quibus nihil vitae; habitant Ziim et iim, et filiae noctuae, pro malis et falsis, ita illa quae mortis sunt intus; inde est, quod dicantur terra sculptilium. Apud Esaiam „*Formatores sculptilis* omnes *vanitas,* et desideratissima illorum non prosunt, et testes sibi ipsi, non vident nec cognoscunt" XLIV: 9. 10. 11, formatores sculptilis pro illis qui excudunt doctrinas, quae non ex veris e Verbo, sed quae ex propria intelligentia, de quibus dictum quod desideratissima illorum non prosunt, et quod non videant nec cognoscant; agitur ibi in sequentibus a Vers: 12 ad 16 illius Capitis de arte fingendi et per ratiocinia excludendi ex propria intelligentia, quae volunt ut agnoscantur pro Divinis; de quibus sic demum dicitur „Residuum ejus in Deum facit, *in sculptile suum,* adorat illud, incurvat se, et tamen non cognoscunt neque intelligunt; et non vident oculi illorum, ut non intelligant corda illorum" Vers: 17. 18; quod non cognoscant et non intelligant et non videant,

pro quod non vera et bona insint, nam omnia quae ex propria intelligentia exeunt, intus non sunt vera ac bona, sed falsa et mala; exeunt enim ex proprio illius, quod hoc radicitus malum sit, videatur n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1023. 1044. 1047. 1581. 3812 fin: 4328. 5660. 5786. 8480. Apud Eundem „Cui assimilabitis Deum, et quam imaginem componetis cum Illo, *Sculptile fundit Artifex*, et conflator auro obducit illud, et catenas argenti conflat, destitutus oblatione lignum non putrescet eligit; artificem sapientem quaerit sibi, *ad praeparandum sculptile*, non commoveatur" XL: 18. 19. 20; sculptile quod fundit artifex pro doctrina falsa quae ex proprio, conflator auro obducit, et catenas argenti conflat, per quod ratiocinia faciat ut falsa doctrinae appareant vera. Apud Eundem „Ego Jehovah vocavi Te in justitia, ad aperiendum oculos caecos, ad educendum e carcere vinctum, e domo claustri sedentes tenebris, Ego Jehovah, hoc Nomen meum, et gloriam meam alteri non dabo, *nec laudem meam sculptilibus*" XLII: 6. 7. 8, ibi de Domino, quod ille Jehovah, et quod ab Ipso omnis sapientia et nihil ab homine; quod de Domino ibi agatur, patet; quod Ipse ibi Jehovah, etiam patet, nam dicitur quod Jehovah vocavit Ipsum in justitia, et dein Ego Jehovah hoc nomen meum, et gloriam meam alteri non dabo; quod ab Ipso omnis sapientia quae vitae, significatur per quod aperturus oculos caecos, et educturus e carcere vinctum, et e domo claustri sedentes tenebris; quod nihil sapientiae ab homine significatur per quod laudem meam non dabo sculptilibus. Per sculptilia etiam significantur quae propriae intelligentiae sunt in sequentibus his locis; apud Esaiam „Et venit currus viri, par equitum, et respondit, et dixit, cecidit Babel, et *omnia sculptilia confregit in terram*" XXI: 9. Apud Eundem „Tunc immundum judicabitis *tegmen sculptilium argenti sui*, et *amictum fusilis auri sui*, disperges ea sicut menstruatum, [7] stercus vocabitur id" XXX: 22. Apud Jeremiam „Quare ad iram provocarunt Me *per sculptilia sua*, per vanitates alienigenarum" VIII: 19. Apud Hoscheam „Vocaverunt seipsos, sic iverunt propter se ipsos, balibus sacrificant, et *sculptilibus suffiunt*" XI: 2. Apud Moschen „Maledictus Vir *qui fecerit sculptile* aut *fusile*, abominationem Jehovae, *opus manuum artificis*" Deut: XXVII: 15.

8870. Et ullam similitudinem, significat instar illorum quae a Divino, constat ex significatione similitudinis, quod sit instar; quod sit instar illorum quae a Divino, patet ab illis quae praecedunt et ab illis quae sequuntur; ab illis quae praecedunt, quod non erunt dii alii coram faciebus Jehovae Dei, et quod non facient sibi sculptile, per quae significantur vera aliunde quam ex Divino, et tamen quae illis similia sistuntur; et ex illis quae sequuntur, ut quae in coelis, et quae in terra, et quae in aquis, per quae intelliguntur talia quae a Divino ubivis. Quid per instar illorum quae a Divino intelligitur, hic dicendum, quia de illis in sequentibus hujus Versus ac in initio sequentis agitur; instar illorum quae a Divino fiunt ab hominibus, quum ore loquuntur Divina, et quoque opere faciunt qualia a Divino mandata sunt, et sic inducunt credere, quod in bono et vero sint, cum tamen prorsus aliud corde cogitant, nec nisi quam malum volunt, tales sunt simulatores, hypocritae, dolosi, hi sunt qui faciunt instar illorum quae a Divino: in altera vita faciunt mali spiritus instar illorum quae a Divino, qui sistunt similitudinem et apparentiam in externis, in quibus intus nihil Divini est; hoc discunt simulatores, hypocritae et dolosi in altera vita, in genere omnes qui ex frequenti usu habitum traxerunt aliud loquendi quam cogitant, et aliud faciendi quam volunt; quidam per talia volunt aucupare famam ut videantur boni, et sic fallant, quidam ut imperent: sunt etiam talia ibi abusus correspontentiarum: sed illis successive adimuntur externa, per quae simulaverunt talia, quae charitatis et fidei sunt, nam sic agunt ex ipsa sua natura in mundo acquisita, non magis ex aliqua simulatione et hypocrisi; illi qui tales sunt, et appercipiunt quod externa illis adimenda sint, dicunt, quod si illis relinquerentur externa, potuissent aeque cum sociis in altera vita conversari et apparenter bona facere, sicut prius in mundo; sed hoc fieri non potest, quia per externa, quae apparenter [8] bona sunt, communicarent aliquo modo cum coelo, nempe cum illis qui in circuitibus ibi sunt, ac simplices sunt, qui correspondent cuticulis in Maximo Homine; at per interna communicarent cum infernis; et quia mala quae intus sunt dominantur, quoniam ea sunt voluntatis, et bona, quae in externis simulantur, serviunt ad acquirendum dominium malis, idcirco est contra ipsum ordinem

Divinum relinquere illis licentiam simulate et hypocritice agendi, sicut in mundo, quapropter talia illis auferuntur, ac ii in ipsum malum voluntatis suae remittuntur.

8871. Quae in coelis desuper, et quae in terra desubter, quod significet quae in luce spirituali et quae in luce naturali, constat ex significatione similitudinis illorum quae in coelis desuper, quod sint quae apparent et visuntur in luce spirituali, quae objecta omnia se referunt ad bonum et verum, quae sunt fidei, charitatis erga proximum, et amoris in Dominum; illa mentiri ac simulare, est facere similitudinem illorum quae in coelis desuper; et ex significatione similitudinis illorum quae in terra desubter, quod sint quae apparent et visuntur in luce naturali, quae sunt talia quae se referunt ad bonum et verum civile et morale; haec mentiri et simulare, est facere similitudinem illorum quae in terra desubter. In sensu literae intelliguntur talia quae apparent in coelo, sicut sol, luna, stellae; et talia quae apparent in terra, ut animalia varii generis, tam volantia quam gradientia et repentia; sed in sensu interno intelliguntur talia quae significantur per illa, quorum omnia se referunt ad bonum et verum, ut supradictum est. Haec describuntur amplius apud Moschen, his verbis „Ne faciatis vobis sculptile speciei ullius similitudinis, figuram maris aut foeminae, figuram ullius bestiae quae in terra, figuram ullius avis alae quae volat sub coelo, figuram ullius reptilis in terra, piscis qui in aquis sub terra; et ne forte tollas oculos tuos ad coelum, aspiciasque solem, et lunam et stellas, omnem exercitum coelorum, et impellaris, incurvesque te illis, et servias illis. Cavebitis vobis, ne obliviscamini foederis Jehovae Dei vestri, quod excidit vobiscum, et faciatis vobis sculptile figurae ullius, nam Jehovah Deus tuus est ignis comedens, Deus Zelotes. Cum genueritis filios et filios filiorum, et inveteraveritis in terra, et corruperitis vos, et feceritis sculptile figurae ullius; testes contra vos voco hodie coelum et terram, quod pereundo perituri sitis cito desuper terra; disperget Jehovah vos inter populos, ubi servietis diis, opus manuum hominis, lignum et lapis" [Deut:] IV: 16 ad 28: quod tam severe prohibitum fuerit similitudinem alicujus rei in coelis et in terris facere, erat praecipue ob causam, quia populus ille, qui ex Jacobo, pronissimus erat colendi externa; causa

erat, quia non scire volebant quicquam de internis Ecclesiae, quae sunt fidei et amoris in Dominum, ac charitatis erga proximum; idcirco si licuisset illis facere similitudines rerum, tunc incurvavissent se illis, et pro diis coluissent; sicut manifeste patet a Vitulo aureo, quem sibi in medio tot miraculorum faciebant, et quoque a frequente eorum apostasia a cultu Divino ad cultum idololatricum: at usque in sensu interno non intelliguntur talia, sed quae supra exposita sunt.

8872. Et quae in aquis desub terra, quod significet quae in sensuali corporeo, constat ex significatione similitudinis illorum quae in aquis desub terra, quod sint quae infra illa quae in luce naturali quae quod sint illa quae in sensuali corporeo, patet a gradibus successivis lucis, quae est intellectualis in homine; in primo gradu apud hominem sunt quae in luce spirituali, quae significantur per illa quae in coelis desuper sunt; in secundo gradu sunt quae in luce naturali, quae significantur per illa quae in terra desubter; et in tertio gradu sunt quae in sensuali corporeo, quae significantur per quae in aquis de sub terra: quid et quale sensuale corporeum, videatur n: 5084. 5089. 5094. 5125. 5128. 5580. 5767. 6183. 6201. 6310. 6311. 6312 ad 6316. 6318. 6598. 6612. 6614. 6622. 6624. 6844. 6845. 6948. 6949. 7442. 7693. Ad sensuale corporeum se referunt scientifica quae ab experientia sensuum externorum proxime existunt, et quoque jucunda illorum; haec et illa apud bonos bona sunt, quia applicantur ad bona, at apud malos mala sunt, quia applicantur ad mala; fallere per illa, sicut solent simulatores, hypocritae, et dolosi, est facere similitudinem talium quae sub aquis desub terra.

8873. Non incurvabis te illis, et non servies illis, quod significet non illis Divinum cultum, constat ex significatione incurvare se, quod sit humiliatio, de qua n: 2153. 5682. 6266. 7068; et ex significatione servire, quod sit submissio, de qua n: 5164: quod sit cultus Divinus, est quia humiliatio et submissio sunt essentialia cultus, nam cultus absque illis non est cultus, sed est gestus ad imitamen illorum qui in vero cultus; in quo gestu nihil vitae est, nam vita a Domino influit solum in cor humile et submissum, hoc enim aptum est ad recipiendum; quod ita sit, est quia cum cor vere humile est, nihil amoris sui et amoris

mundi obstant: quod utrumque dicatur, est quia incurvare se significat cultum ex bono amoris, et servire cultum ex vero fidei.

8874. Quia Ego Jehovah Deus tuus, quod [significet] Divinum a Domino in omnibus et singulis, constat ex illis quae supra n: 8864. 8865, explicata sunt.

8875. Deus Zelotes, quod significet quod inde falsum et malum, constat ex eo, quod Deus Zelotes in genuino sensu sit Divinum Verum Divini Boni, Deus enim praedicatur de vero, n: 2586. 2769. 2807. 2822. 3921 fin: 4287. 4402. 7010. 7268. 8301; et Zelotes de Bono, ut videbitur infra; at Deus Zelotes respective ad illos qui non recipiunt Divinum Verum Divini Boni Domini, est falsum et malum; nam qui in opposito sunt, percipiunt Divinum Verum ut falsum, ac Divinum Bonum ut malum; quisque enim ex quali suo videt illa; inde est quod Zelus Domini, qui in se est amor et miseratio, appareat illis ut ira, nam cum Dominus ex amore ac misericordia tutatur suos in coelo, illi qui in malo sunt, indignantur et irascuntur contra bonos, et irruunt [in] sphaeram ubi Divinum Verum ac Divinum Bonum, conatu perdendi illos qui ibi, et tunc Divinum Verum Divini Boni operatur apud illos, ac facit ut sentiant cruciatus quales in inferno; inde est quod tribuant Divino excandescentiam et iram, et quoque omne malum, cum tamen in Divino prorsus nihil irae est, et prorsus nihil mali, sed pura clementia et misericordia; ex quibus patet, cur Zelotes significat falsum et malum, et cur Zelus iram; videantur quae de his prius ostensa sunt, nempe quod excandescentia et ira tribuantur Domino, cum tamen sunt apud illos qui in malo sunt, seu qui in ira contra Divinum, n: 5798. 6997. 8284. 8483; quod mala, punitiones et vastationes similiter tribuantur Domino, cum tamen apud Dominum non nisi quam amor et misericordia est, n: 2447. 6071. 6559. 6991. [9] 6997. 7533. 7632. 7643. 7679. 7710. 7877. 7926. 8214. 8223. 8226. 8227. 8228. 8282. 8632: quod mali seipsos devastent, inque damnationem ac infernum conjiciant, per quod conantur destruere bonum et verum, n: 7643. [10] 7679. 7710. 7926. 7989: quod Dominus appareat unicuique secundum quale ejus, n: 1861 fin: 6832. 8197. Quod Zelus Domini sit amor et misericordia: et quod cum Dominus tutatur bonos contra malos, appareat sicut hosti-

litas, et quoque sicut ira, constat ex sequentibus locis in Verbo; *quod Zelus Domini sit Amor et Misericordia*, apud Esaiam „Prospice e coelis, et vide ex habitaculo sanctitatis tuae et decoris tui, et *ubi Zelus tuus*, et virtutes tuae, *commotio viscerum tuorum*, et *miserationes tuae* erga me se continuerunt" LXIII: 15, Zelus ibi pro Misericordia, quae est commotio viscerum, et praedicatur de bono, nam dicitur Zelus tuus et virtutes tuae, ubi Zelus dicitur de bono, et virtutes de vero, pariter commotio viscerum de bono, ac miserationes de vero; pariter habitaculum sanctitatis pro coelo ubi illi qui e regno coelesti, et habitaculum decoris pro coelo ubi illi qui e regno spirituali; inde etiam patet, quod in Verbo, ubi dicitur de bono etiam dicatur de vero, ob conjugium coeleste, quod est boni et veri, in singulis Verbi, ita Dominus quoad sua bina Nomina, Jesus et Christus, quae significant conjugium Divinum quod in Domino, de quibus videatur n: 683. 793. 801. 2516. 4138 fin: 5138. 5502. 6343. 8339 fin: 7945. 8339. Apud Eundem „Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super Cujus humero principatus, vocavit Nomen Ipsius Mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros, Pater aeternitatis, Princeps pacis: multiplicanti principatum et pacem non erit finis; *Zelus Jehovae faciet hoc*" IX: 5. 6, [11] ibi de Domino ac Ipsius adventu; Zelus Jehovae faciet hoc, pro quod ex ardente amore salvandi genus humanum. Apud Eundem „Ex Hierosolyma exibunt reliquiae, et evasio e monte Zione, *Zelus Jehovae faciet hoc*" XXXVII: 32, Zelus Jehovae faciet hoc, pro quod ex amore et misericordia. Apud Ezechielem „Sic dixit Dominus Jehovih, nunc reducam captivitatem Jacobi, et *miserebor* totius domus Israëlis; et *zelabo pro Nomine sanctitatis meae*" XXXIX: 25, zelare pro misereri. Apud Davidem „*Zelus domus tuae* consumsit me" Psalm: LXIX: 10, ibi de Domino; Zelus domus Jehovae pro amore erga illos qui recipiunt bonum et verum, nam illi sunt domus Jehovae. *Quod Zelus seu Misericordia Domini, cum tutatur bonos, appareat sicut hostilitas*, apud Esaiam „Jehovah sicut Heros exibit, *sicut vir belli excitabit Zelum*, vociferabitur et clamabit, super hostes suos invalescet" XLII: 13: et apud Joelem „*Zelabit Jehovah* pro terra sua, et parcet populo suo" II: 18. *Quod Zelus Domini dicatur ira et excandescentia*,

quia Misericordia ita apparet malis, apud Moschen „Non ibitis post deos alios, de diis populorum qui circum vos, *nam Deus Zelotes Jehovah Deus tuus in medio tui;* ne forte *exardescat ira Jehovae Dei tui* contra te, et perdet te desuper faciebus terrae" Deut: VI: 14. 15. [12] Apud Eundem „*Ad Zelum provocarunt Ipsum* per alienos, per abominationes *iratum reddiderunt Ipsum;* sacrificant daemonibus, *illi Zelum meum moverunt* per non deum, *ad iram provocarunt* Me vanitatibus suis" Deut: XXXII: 16. 21. Apud Ezechielem „Cum *consummabitur ira mea*, et *excandescentiam meam* quiescere faciam in illis, poenitebit Me, ut cognoscant quod *Ego Jehovah loquutus sum in Zelo meo*, cum *consummaverim excandescentiam meam in iis*" V: 13. Apud Sachariam „Dixit ad me Angelus Jehovae in me, clama dicendo, sic dixit Jehovah Zebaoth, *Zelavi pro Hierosolyma*, et *pro Zione Zelo magno; indignatione* enim magna Ego *indignatus* contra gentes securas" I: 14. 15. Cap: VIII: 2. Apud Zephaniam „Effundam super illos *indignationem meam*, omnem *excandescentiam irae meae*, quia *in igne Zeli mei* comedetur tota terra" III: 8. Apud Moschen „Non placebit Jehovae condonare illi, sed tunc *fumabit ira Jehovae;* et *Zelus Ipsius* contra virum istum, et requiescet omnis maledictio super illo" [Deut:] XXIX: 19. Apud Davidem „Quousque Jehovah succensebis in perpetuum, *Ardebit sicut ignis Zelus tuus;* effunde *iram tuam* super gentes, quae non noverunt Te" Psalm: LXXIX: 5. 6. Pariter *Zelus Jehovae* ut ira, Psalm: XXXVII: 1. Ezech: XVI: 42. Cap: XXIII: 25. Cap: XXXVIII: 19. Ex his constare potest, quid Zelus Jehovae, seu quid Deus Zelotes, quod nempe in sensu genuino sit amor et misericordia; in sensu autem non genuino, qualis apparet illis qui in malis et falsis, quod sit ira et vastatio. Sciendum, quod tunc imprimis Jehovah, hoc est, Dominus dicatur Zelotes aut Vindex, cum corrumpitur id quod universaliter apud hominem Ecclesiae regnabit, nempe Divinum, quod super omnia amabitur, vel cogitabitur, vel timebitur; id cum corruptum seu deletum est, tunc pro luce coelesti mera caligo subit, nam non amplius est influxus ejus a Divino, quia nulla receptio; inde est quod dicatur „Ego Jehovah Deus tuus, Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum super filios, super tertios

et quartos osoribus meis;» et hoc si deos alios colerent, aut sculptile aut similitudines sibi facerent; nam haec corrumpunt Divinum quod universaliter regnaturum est: ideo similiter alibi apud Moschen « Cavebitis ne faciatis vobis *sculptile ullius figurae*, nam Jehovah Deus est ignis comedens, *Deus Zelotes*» Deut: IV: 23. 24. Et apud Eundem « *Non adorabis Deum alium*, quia Jehovah Nomen *Zelotes*, *Zelotes Ille*» Exod: XXXIV: 14. Apud gentem Israëliticam id tam severe interdictum fuit, quia adoratio aliorum deorum, sculptilium et imaginum, delevit omne repraesentativum Ecclesiae apud illos; in Coelo enim est Jehovah, hoc est, Dominus universale regnans, Divinum Ipsius implet omnia ibi, et facit vitam omnium, si aliud pro Divino coleretur, periisset omne repraesentativum, et sic communicatio coeli.

8876. Visitans iniquitatem patrum super filios, quod significet prolificationem falsi ex malo inde, constat ex significatione visitare iniquitatem patrum, quod sit prolificatio malorum; quod visitare sit prolificatio, est quia agitur de statu illorum qui a se prorsus rejiciunt Divinum, qui ideo non amplius sunt receptiones boni sed mali, et hoc continue; nam malum apud tales continue crescit, quod est prolificatio; quod pater sit bonum, ac in opposito sensu malum, videatur n: 3703. 5902. 6050. 7833. 7834; et ex significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 1147. 2623. 3373, inde in opposito sensu falsa. In sensu proximo per visitare iniquitatem patrum super filios, non intelligitur quod filii luent poenam iniquitatis patrum suorum, nam hoc contra Divinum est, Deut: XXIV: 16, sed quod malum apud patres crescat, et sic haereditario traducatur in liberos, et quod inde mali cumulatio successive, n: 2910. 3701. 4317. 8550. 8551; [13] in sensu autem spirituali non intelliguntur patres per patres sed mala, nec filii per filios sed falsa, inde per ea verba significatur prolificatio falsi ex malo continue.

8877. Super tertios et super quartos, quod significet in longa serie et conjunctionem, constat ex significatione trium, quod sint plenum a principio ad finem, de qua n: 2788. 4495. 7715, ita quod in longa serie, inde filii tertii sunt falsa in longa serie; quod filii sint falsa, videatur mox supra n: 8876; et ex significatione quatuor, quod sint conjunctio, similiter ac duo,

de qua n: 1686. [14] 5194. 8423, inde filii quarti sunt falsa [15] in longa serie conjuncta. Quod haec significentur per filios tertios et quartos, non potest non videri sicut paradoxon vel alienum a sensu Verbi, sed sciendum, quod numeri non significent numeros in sensu interno, sed res, videatur n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. 6175.

8878. Osoribus meis, quod significet qui Divinum Domini plane rejiciunt, constat ex significatione osorum Dei, quod sint qui in malo et inde in falso sunt, nam hi sunt qui Divinum Domini rejiciunt, et quantum in malo sunt et inde falso, tantum non modo id rejiciunt, sed etiam odio habent: quod Divinum Domini sit quod rejiciunt, est quia illi qui in malo sunt, non in luce coelesti sunt, sed in luce naturali et tandem in luce sensuali quae ex corporeo; hi ex eo lumine nequicquam videre possunt Humanum Domini aliter ac Humanum, nam non percipere possunt quid Divinum Humanum, quia de Divino prorsus vacuam et inanem ideam habent; si illis dicitur quod Ipsum Divinum sit Divinus Amor, et quod Divinus Amor sit Esse omnis vitae, et quod Dominus ex conceptione fuerit Ille Amor, qui sic fuit intimum Esse Ipsius vitae, ita Jehovah, et quod ad similitudinem Ejus glorificaverit Humanum suum, hoc est, Divinum fecerit; haec quidem illi qui aliquo acumine intellectuali pollent, aliquantum capere possunt, sed usque non credunt; nam cum ex intellectuali luce, in qua tunc sunt, delabuntur in lucem suam naturalem et sensualem, labuntur in meram caliginem de hoc Vero, ac inde in negationem.

8879. Et faciens Misericordiam ad millenos, quod significet bonum et verum illis in perpetuum, constat ex significatione Misericordiae, quod sit influxus boni et veri a Domino, ac inde vita spiritualis, quae donatur per regenerationem, de qua n: 6180. [16] 6307; a Domino enim ex Misericordia donantur talia, quae sunt vitae et felicitatis aeternae; et ex significatione mille, quod sint plurimum, et cum de Misericordia Divina dicitur, quod sit in perpetuum, de qua n: 2575. 8715.

8880. Amantibus Me, quod significet qui recipiunt bonum amoris, constat ex significatione amantium Jehovam, hoc est, Dominum, quod sit recipere bonum amoris, nam qui amant

Dominum, non ex se amant, sed a Domino; omne enim bonum ab Ipso influit, et illi amant qui desistunt a malo, nam malum obstat, et rejicit influxum boni a Domino; quare malo remoto recipitur bonum, quod continue a Domino adest ac intrare conatur.

8881. Et custodientibus praecepta mea, quod significet qui recipiunt vera fidei, constat ex significatione praeceptorum, quod sint vera fidei de qua n: 3382. 8362; quod illa custodire sit recipere, est quia vera quae fidei vocantur, ut sint fidei ac ut vivant apud hominem, etiam influunt a Domino; discuntur quidem ab homine, et reponuntur in memoria, sed quamdiu homo non vult illa, et inde non facit illa, non fiunt viva; cum autem e memoria depromuntur, et per intellectuale insinuantur voluntati, hoc est, per cogitationem affectioni, et inde actui, tunc fiunt viva, et sunt fidei; hoc fit a Domino, quando homo desistit a malis, ut mox supra n: 8880, dictum est.

8882. Non feres Nomen Dei tui in vanum, quod significet prophanationes et blasphemationes veri et boni fidei, constat ex significatione Nominis Dei, quod sit omne in complexu, quo colitur Dominus, ita omne verum et bonum fidei, de qua n: 2724. 3006. 6674; et ex significatione ferre in vanum, quod sit prophanare et blasphemare: per ferre Nomen Dei in vanum proprie significatur vertere verum in malum, hoc est, credere quod verum sit, et usque vivere in malo; et quoque est vertere bonum in falsum, hoc est, vivere sancte et tamen non credere, utrumque est prophanatio, n: 4601; nam credere est intellectus et vivere est voluntatis, quare in illis qui credunt aliter quam vivunt, cogitatio et voluntas divisae sunt; at quia voluntas continue influit in intellectum, nam intellectus est forma voluntatis, hoc est, voluntas se manifestat ibi in luce, inde est cum homo aliter credit et aliter vivit, quod verum et malum, aut bonum et falsum, conjungantur, ita illa quae coeli sunt apud hominem cum iis quae inferni; conjunctio haec non resolvi potest, et sic sanari homo, quam per distractionem, quae secum aufert omne vitae spiritualis; quare illi mittuntur in infernum omnium atrocissimum, ubi dire cruciantur: hoc est quod intelligitur per Domini verba apud Matthaeum „Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus vero

blasphemia non remittetur hominibus; si quis dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur illi, qui vero dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur illi neque in hoc saeculo neque in futuro" XII: 31. 32; ut et per haec apud Lucam „Quando immundus spiritus exiverit ex homine, peragrat sicca loca, quaerens requiem; quam si non invenit, dicit, revertar in domum meam, unde egressus sum, quam si veniens invenerit scopis purgatam et ornatam, tunc abit et assumit septem alios spiritus se ipso pejores, et ingressi habitant ibi, et fiunt extrema hominis pejora primis" XI: 24. 25. 26; per haec describitur prophanatio veri a Domino; per immundum spiritum cum exit, intelligitur agnitio et fides veri; et per domum scopis purgatam, vita contra vera; per reditum ejus cum septem aliis, status prophanationis: haec sunt quae significantur per ferre nomen Dei in vanum: quod tale apud hominem non sanari possit, ita non remitti, significatur etiam per verba ibi immediate sequentia, nempe „Non innocentem reddet Jehovah illum qui fert Nomen Ipsius in vanum;" per quae intelligitur quod id non remitti possit: praeterea quid prophanatio, et apud quos, videatur n: 593. 1003. 1008. 1010. 1059. 1327. 1328. 2051. 2426. 3398. 3399. 3402. 3489. 6348. 6595. 6960. 6963. 6971. 8394. Per ferre Nomen Dei in vanum, etiam significatur Blasphematio; quae fit cum illa quae Verbi sunt aut doctrinae fidei, ita quae sancta, ludibrio habentur, et deducuntur ad immunda terrestria, et sic conspurcantur, de quibus n: 4050. 5390. At per ferre Nomen Dei in vanum, respective ad Gentem Israëliticam, quae non agnovit aliquod bonum et verum fidei, quae significantur per Nomen Dei, intelligitur applicatio Nominis Jehovae, et quoque praeceptorum et statutorum, quae illis mandata sunt, ad cultum idolorum; sicut fecerunt in deserto ad cultum Vituli Aurei, cui non modo holocausta et sacrificia offerebant, et ex sanctificatis inde comedebant, sed etiam diem celebrationis ejus vocabant festum Jehovae; de quo apud Moschen „Aharon fecit *vitulum* fusilis ex auro, et dixerunt, hi sunt dii tui, Israël, qui ascendere fecerunt te e terra Aegypti: quod cum videret Aharon, *exstruxit Altare* coram eo, et proclamavit et dixit, *festum Jehovae cras:* quare surrexerunt mane postridie, et *obtulerunt holocausta*, et *adduxerunt eucharistica*"

Exod: XXXII: 4. 5. 6: quod illis qui ita tulerunt Nomen Jehovae Dei in vanum, non remitti potuerit, quod significatur per quod non innocentes reddentur, constat a Jehovae verbis ad Moschen de illis tunc, quae sunt „Illum, qui peccaverit Mihi, *delebo e libro meo:* veruntamen vade, duc populum hunc in, quo loquutus sum tibi; *at in die visitationis meae visitabo super iis peccatum eorum*" ibid: Vers: 33. 34.

8883. Quia non innocentem reddet Jehovah illum qui fert Nomen Ipsius in vanum, quod significet quod illa non remitti possint, constat ex illis quae nunc supra n: 8882, explicata sunt.

8884. Vers: 8. 9. 10. 11. *Recordare diei sabbathi ad sanctificandum eum. Sex diebus laborabis, et facies omne opus tuum. Et dies septimus sabbathum Jehovae Deo tuo, non facies ullum opus tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, et bestia tua, et peregrinus tuus qui in portis tuis. Quia sex diebus fecit Jehovah coelum et terram, mare, et omne quod in illis, et quievit in die septimo; idcirco benedixit Jehovah diei sabbathi, et sanctificavit eum.* Recordare, significat perpetuum in cogitatione: diei sabbathi, significat in sensu supremo unionem Ipsius Divini ac Divini Humani Domini, in sensu interno conjunctionem Divini Humani cum coelis, ita coelum, et sic conjugium boni et veri ibi: ad sanctificandum eum, significat non violationem ullo modo: sex diebus laborabis, et facies omne opus tuum, significat pugnam quae praecedit et praeparat ad conjugium illud: et dies septimus sabbathum Jehovae Deo tuo, significat bonum implantatum, et sic conjugium: non facies ullum opus tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus et ancilla tua, et bestia tua, et peregrinus tuus [qui] in portis tuis, significat quod tunc coelum et beatitudo omnibus et singulis quae in interno et in externo hominis: quia sex diebus fecit Jehovah coelum et terram, et mare, significat regenerationem et vivificationem illorum quae in interno et in externo homine: et omne quod in illis, significat omnium ibi: et quievit in die septimo, significat quod tunc pax et bonum amoris: idcirco benedixit Jehovah diei septimo, significat quod tunc conjugium coeleste a Domino: et sanctificavit eum, significat quod nequaquam violari potest.

8885. Recordare, quod significet perpetuum in cogitatione, constat ex significatione recordari, cum dicitur de tali quod nequaquam obliviscendum est, quod sit perpetuum in cogitatione: perpetuum in cogitatione est quod universaliter ibi regnat; et id universaliter regnat apud hominem, quod perpetuo inest cogitationi ejus, etiam cum de aliis rebus meditatur, aut in negotiis est; cogitatio hominis involvit simul plura, nam est forma plurium quae successive intraverunt; quae ad manifestam perceptionem veniunt, illa [17] sunt tunc in medio, et sic in luce visus interni, ac reliqua tunc sunt ad latera circumcirca; quae in circuitibus sunt, in obscuro sunt, nec manifestantur, nisi cum objecta talia occurrunt, cum quibus consociata sunt, quae autem adhuc remotiora sunt, et non sunt in plano ibi, sed vergunt deorsum, illa sunt talia quae homo rejecit, et quae aversatur; talia sunt mala et falsa apud bonos, ac bona et vera apud malos: in ipsa cogitatione hominis sunt quae perpetuo ibi sunt, hoc est, quae universaliter ibi regnant, quae sunt intima ejus; ab his homo spectat illa quae non perpetuo ibi sunt, hoc est, illa quae nondum universaliter regnant, sicut extra se, et quoque sicut infra se, et sicut nondum affinia, ex quibus tunc potest eligere et sibi adjungere illa, quae cum intimis conveniunt, ex quibus adjunctis et tandem consociatis intima, hoc est, universaliter regnantia corroborantur; hoc fit per nova vera apud bonos, ac per nova falsa, aut per applicationes sinistras verorum, apud malos. Porro sciendum, quod id quod universaliter regnat, sit quod insinuatum est ipsi voluntati, nam ipsa voluntas est intimum hominis, quia illa formata est ex amore ejus; quicquid enim homo amat, hoc vult, et quod supra omnia amat, hoc intime vult; intellectus autem inservit ad manifestandum illa, quae homo vult, hoc est, quae amat, coram aliis, et quoque inservit ad flectendum aliorum voluntates per ideas varie formatas ad condescendentiam: quum hoc fit, etiam ex voluntate influit amor seu affectio in ideas intellectuales, ac per quandam speciem inspirationis vivificat et movet; ideae illae intellectuales apud bonos cum affectionibus, quae voluntatis, unum faciunt; apud malos autem aliter, nam apud hos cogitatio et voluntas intime quidem conveniunt, nam malum quod voluntas vult, hoc intellectus cogitat ut falsum malo conveniens; sed hic

consensus non patet coram hominibus in mundo, nam ab infantia discunt aliud loqui quam cogitant, et aliud facere quam volunt; verbo, discunt interiorem suum hominem separare ab exteriori, et in hoc formare aliam voluntatem et quoque aliam cogitationem, quam quae est in interiori; et sic per exteriorem mentiri bonum prorsus contra interiorem, qui eodem instanti malum vult, et quoque imperceptibiliter cogitat; sed qualis est voluntas et cogitatio interior, patet in altera vita ut in clara luce, nam ibi auferuntur externa, et denudantur interna.

8886. Diei sabbathi, quod significet in sensu supremo unionem Divini ac Divini Humani Domini, in sensu interno conjunctionem Divini Humani in coelis, ita coelum, et sic conjugium boni et veri ibi, constat ex illis, quae prius n: 8495, ostensa sunt; quia talia significantur per sabbathum, idcirco illud in Ecclesia repraesentativa fuit sanctissimum, ac illud quod perpetuo cogitandum, hoc est, quod universaliter regnaturum [18] est; quod hoc faciat vitam hominis, videatur n: 8853 ad 8858. 8885. Gens Israëlitica quidem non cogitavit de unione Divini ac Divini Humani Domini, nec de Ipsius unione cum Coelo, nec de conjunctione boni et veri in coelo, quae per sabbathum significabantur, quia prorsus in externis erant absque interno; sed illis injunctum fuit sabbathum sanctissimum habere, ut repraesentarentur in coelo Divina et coelestia illa: quomodo cum his se habuerit, patet ex illis quae de Gente illa, et de repraesentativo Ecclesiae apud illam prius n: 3147. 3479. 3480. 3881 fin: 4208. 4281. 4288. 4289. 4293. 4307. 4444. 4580. 4680. 4825. 4844. 4847. 4891. 4912. 6304. 6306. 7048. 7051. 8301 fin: [19] ostensa sunt.

8887. Ad sanctificandum illum, quod significet non violationem ullo modo, constat ex illis quae de sabbatho mandata sunt, de quibus n: 8495, [20] et ex illis quae de sabbathi sanctificatione hic sequuntur, nempe „Sex diebus laborabis, et facies [omne] opus tuum, et dies septimus sabbathum Jehovae Deo tuo, non facies ullum opus tu, et filius tuus, et filia tua, et peregrinus tuus qui in portis tuis: quia sex diebus fecit Jehovah coelum et terram, mare, et omne quod in illis, et quievit in die septimo; idcirco benedixit Jehovah diei sabbathi, et sanctificavit eum:" ex quibus constat, quod per sanctificare sabbathum

significetur non violare ullo modo: in sensu autem interno, quod non violanda ullo modo quae per sabbathum significantur, quae sunt Unio Divinae Essentiae Domini cum Essentia Humana Ipsius, tum Hujus unio cum coelis, et in his inde conjunctio boni et veri, n: 8886; nam si haec violantur, perit apud illum hominem vita spiritualis, et fit vita mere naturalis, et dein sensualis; et tunc falsum loco veri et malum loco boni arripitur; nam haec tunc universaliter regnant apud illum.

8888. Sex diebus laborabis, et facies omne opus tuum, quod significet pugnam quae praecedit et praeparat ad conjugium illud, constat ex significatione sex dierum, quod sint pugnae status; quod sex sint pugna, videatur n: 720. 737. 900; et quod dies status, n: 23. 487. 488. 493. 2788. 4850. 5672. 5962. 6110. 8426; et ex significatione laborare et opus suum facere, quod sit agere illa quae vitae necessaria sunt, hic quae vitae spiritualis, hoc est, vitae in coelo. Praeterea per pugnam quae praecedit et praeparat ad conjugium coeleste intelligitur pugna spiritualis seu tentatio; homo enim antequam intrat in conjugium coeleste, hoc est, antequam regeneratur, in pugna est contra mala et falsa apud semet; nam haec removenda sunt, antequam verum et bonum, quae a Domino, possunt recipi: illa, nempe mala et falsa, removentur per vera fidei, per haec enim homo non modo discit quid bonum est, sed etiam ducitur ad bonum; hic status est primus hominis qui regeneratur, ac vocatur status qui praecedit et praeparat ad conjugium coeleste; cum autem homo in bono est, et per bonum ducitur a Domino, tunc in Conjugio coelesti est, ita in coelo, nam Conjugium coeleste est coelum; prior status est, qui significatur per sex dies qui praecedunt septimum, et posterior status per diem septimum; de binis illis statibus apud hominem, videatur n: 7923. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516. 8539. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701. 8722. Quia per sabbathum significatur conjugium coeleste, quod est coelum, ideo Regnum Domini in coelis vocatur perpetuum sabbathum, ita perpetua quies et pax, nec ibi amplius sex dies laboris.

8889. Et dies septimus sabbathum Jehovae Deo tuo, quod significet bonum implantatum et sic conjugium, constat ex significatione sabbathi, quod sit conjugium coeleste, de qua su-

pra n: 8886, ita bonum per vera implantatum, et postea ab his formatum, nam bonum apud hominem non prius est bonum spirituale quam cum formatum est a veris; et cum formatum est, tunc est conjugium coeleste, nam hoc est conjunctio boni et veri, ac est ipsum coelum apud hominem; inde quoque est quod dies septimus significet statum sanctum; quod dies sit status, videatur n: 8888, et quod septem sint sanctum, n: 395. 433. 716. 881. 5265. [21]

8890. Non facies ullum opus tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus et ancilla tua, et bestia tua, et peregrinus tuus qui in portis tuis, quod significet quod tunc coelum et beatitudo omnibus et singulis quae in interno et externo hominis, constat ex significatione non facere ullum opus, quod sit quies et pax, ita coelum; nam cum homo in coelo est, absque omni sollicito, irrequieto, et anxio est, et cum absque his, est ei beatitudo; et ex significatione tu, filii tui, filiae tuae, servi tui, ancillae tuae, bestiae tuae, peregrini in portis tuis, quod sint omnia et singula quae in interno et in externo hominis; nam per tu significatur ipse homo, per filium significatur intellectuale ejus, per filiam voluntarium, utrumque in interno homine; per servum significatur naturale quoad verum, et per ancillam naturale quoad bonum, ita utrumque quod in externo homine; per bestiam autem significatur affectio in communi, et per peregrinum in portis scientificum in communi, ita omnia et singula: quod filius sit intellectuale, est quia est verum, nam vera constituunt intellectuale; et quod filia sit voluntarium, est quia est bonum, nam bona constituunt voluntarium; quod filius sit verum, ita intellectuale, videatur n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704. 4257; quod filia sit bonum, ita voluntarium, n: 489. 490. 491. 2362. 3024; quod servus sit naturale quoad verum, n: 3019. 3020. 3409. 5305. 7998; quod ancilla sit naturale quoad bonum, n: 2567. 3835. 3849; quod bestia sit affectio in communi, n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 2179. 2180. 3218. 5198. 7523. 7872, et quod peregrinus sit qui instruitur in Ecclesiae veris, n: 1463. 4444. 8007. 8013, inde scientificum in portis, est scientificum in communi, nam scientificum in communi est in portis, hoc est, in introitu ad vera quae Ecclesiae.

8891. Quia sex diebus fecit Jehovah coelum et terram et mare, quod significet regenerationem et vivificationem illorum quae in interno et in externo homine, constat ex significatione sex dierum, quod sint status pugnae, de qua mox supra n: 8888; et cum praedicatur de Jehovah, hoc est, Domino, quod sit labor cum homine, antequam regeneratur, n: 8510; ex significatione coeli et terrae, quod sit Ecclesia seu Regnum Domini in homine, coelum in interno et terra in externo, de qua n: 82. 1411. 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 3355 fin: 4535, ita est homo regeneratus, hoc est, qui novam vitam nactus est, sic vivificatus; et ex significatione maris, quod sit sensuale adhaerens corporeo hominis, de qua n: 8872. In hoc Versu agitur de sanctificatione diei septimi, seu de institutione sabbathi, et describitur per quod „*Jehovah sex diebus fecit coelum et terram, mare et omne quod in illis, et quievit in die septimo, idcirco benedixit Jehovah diei septimo, et sanctificavit illum;*" qui non ultra sensum literae cogitant, illi non aliter credere possunt, quam quod creatio, quae describitur in Capite Primo et Secundo Geneseos, sit creatio Universi, et quod sex dies fuerint intra quos creata sunt coelum, terra, mare, et omnia quae in illis, et tandem homo ad similitudinem Dei: [22] sed quis non, qui singula expendit, videre potest, quod non creatio universi ibi intellecta sit; sunt enim ibi talia, quae ex sensu communi sciri possunt, quod non ita sit; sicut quod dies fuerint antequam sol et luna, quod lux et tenebrae, et quod egerminatae herbae et arbores; et tamen quod per illa luminaria lux data sit, ac distinctum in lucem et tenebras, et sic facti dies: in sequentibus ibi etiam similia sunt, quae vix ab aliquo, qui interius cogitat, agnoscuntur quod ita esse potuerint, sicut quod foemina ex costa viri aedificata sit; tum quod binae arbores in paradiso positae sint, ex quarum unius fructu edere interdictum; et quod serpens ex una loquutus sit cum uxore hominis, qui mortalium sapientissimus fuerat, et per loquelam suam, quae erat ex ore serpentis, deceperit utrumque; et quod universum genus humanum, usque ad tot millia millium, idcirco damnarentur inferno: haec et similia ibi non possunt non ad primam cogitationem apparere paradoxa illis, qui aliquid dubii de sanctitate Verbi fovent, et dein inducere ad negandum Divinum ibi: attamen scien-

dum, quod omnia et singula ibi usque ad minimam jotam Divina sint, ac in se contineant arcana, quae coram Angelis in coelis ut in clara die patent; quod ita sit, est causa, quia Angeli Verbi sensum non vident secundum literam, sed secundum illa quae inibi sunt, quae sunt spiritualia et coelestia, ac in his Divina; illi, cum Primum Caput Geneseos legitur, non percipiunt aliam creationem quam novam hominis, quae Regeneratio vocatur; haec ibi descripta est; ac per Paradisum sapientia hominis e novo creati; per binas arbores in medio ejus binae illius hominis facultates, nempe voluntas boni per arborem vitae, ac intellectus veri per arborem scientiae; et quod vetitum fuerit edere ex hac arbore, erát quia homo regeneratus seu e novo creatus non amplius debet duci per intellectum veri sed per voluntatem boni, et si aliter quod novum vitae ejus pereat; de quibus videantur n: 202. 337. 2454. 2715. 3246. 3652. 4448. 5895 fin: 5897 fin: 7877. 7923. 7992. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516. 8539. 8643. 8648. 8658. 8690. 8701. 8722; consequenter quod per Adamum seu Hominem et per Chaivam uxorem ejus ibi intellecta sit nova Ecclesia, et per esum ex arbore scientiae, illius Ecclesiae lapsus a bono ad Verum, consequenter ab amore in Dominum et erga proximum ad fidem absque illis, et hoc per ratiocinationem ex proprio intellectuali, quae ratiocinatio quod sit serpens, videatur n: 195. [23] 196. 197. 6398. 6399. 6949. 7293. Ex his patet, quod Historica de Creatione, deque Primo Homine, et de Paradiso, sint Historica facta, quae Coelestia et Divina in se continent, et hoc secundum morem in Antiquis Ecclesiis receptum; qui mos etiam inde emanavit ad plures qui extra Ecclesiam erant, qui similiter finxerunt Historica, et arcana illis involvebant; ut patet a scriptoribus Antiquissimorum temporum: in antiquis enim Ecclesiis notum fuit, quid talia quae in mundo sunt, significabant in Coelo; nec gesta rerum illis tanti fuerunt, ut illa describerent, sed illa quae coeli erant; haec mentes eorum occupabant, ex causa quia interius cogitabant quam hodie, et sic cum angelis communicabant, idcirco illis jucundum fuit talia connectere; ad illa vero quae sancta haberentur in Ecclesiis, ducebantur a Domino; inde concinnabantur talia quae plene correspondebant. Ex his constare potest, quid intelligitur per Coelum et

terram in Primo Versu Primi Capitis Geneseos, quod nempe Ecclesia interna et externa; quod illa per coelum et terram significentur, constat quoque ex locis apud Prophetas, ubi dicitur de novo coelo et nova terra, per quae quod intelligatur nova Ecclesia, videatur n: 82. 1411. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 3355 f. 4535: ex his nunc patet, quod per sex diebus fecit Jehovah coelum et terram et mare, significetur regeneratio et vivificatio illorum quae in interno et in externo homine.

8892. Et omne quod in illis, quod significet omnium ibi, nempe vivificatio, constat absque explicatione.

8893. Et quievit in die septimo, quod significet quod tunc pax et bonum amoris, constat ex significatione quiescere, quod sit pax; et ex significatione diei septimi, quod sit status coelestis amoris, de qua n: 84. 85. 86. 87; et inde sanctum, n: 395. 433. 716. 5265. 5268; quod per quietem in die septimo significetur pax et bonum amoris, est quia homo antequam regeneratus seu e novo creatus est, in intranquillo ac irrequieto est, nam tunc pugnat vita naturalis ejus cum vita spirituali; ac illa vult dominari super hanc; inde tunc Domino est labor, nam pugnat pro homine contra inferna quae impugnant; ast ut primum implantatum est bonum amoris, cessat pugna et fit quies, introducitur enim tunc in coelum, ac ducitur a Domino secundum leges ordinis ibi, ita in pace: haec significantur per quietem Jehovae in die septimo.

8894. Idcirco benedixit Jehovah diei septimo, quod significet quod tunc conjugium coeleste a Domino, constat ex significatione benedicere, quod sit disponi in ordinem coelestem, ac donari bono amoris, de qua n: 3017. 3406. 4981. 8674; et ex significatione diei septimi, quod sit status coelestis amoris, de qua n: 84. 85. 86. 87, ita conjugium coeleste, nam conjugium coeleste est conjunctio boni et veri, quae est coelum in homine; quod sabbathum sit illud conjugium, videatur n: 8495. 8510.

8895. Et sanctificavit eum, quod significet quod nequaquam violari potest, constat ex significatione sanctificare, cum agitur de conjugio coelesti apud hominem regeneratum, quod sit non violabile, de qua supra n: 8887; nam sanctum Domini apud hominem non violari potest, ita nec homo qui sanctum

Domini recipit, hoc est, qui in bono amoris est, proinde qui in coelo.

8896. Vers: 12. *Honora patrem tuum et matrem tuam, propterea ut prolongentur dies tui super terra, quam Jehovah Deus tuus dat tibi.* Honora patrem tuum et matrem tuam, significat amorem pro bono et vero; in sensu supremo pro Domino ac pro Regno Ipsius: propterea ut [24] prolongentur dies tui super terra, significat inde statum vitae in coelo: quam Jehovah Deus tuus dat tibi, significat ubi Divinum, ut inde influxus.

8897. Honora patrem tuum et matrem tuam, quod significet amorem pro bono et vero, in sensu supremo pro Domino et pro Regno Ipsius, constat ex significatione honorare, quod sit amare, nam honor in spirituali sensu est amor; ex causa, quia in coelo unus alterum amat, et cum amat etiam honorat; inest enim amor honori; honor absque amore ibi renuitur, imo respuitur, quia est absque vita ex bono; et ex significatione patris, quod sit bonum, de qua n: 3703. 5581. [25] 5902. 6050. 7833. 7834; et in supremo sensu Dominus quoad Divinum Bonum, n: 15. 1729. 2005. 2803. 3704. 7499. 8328; causa quod Dominus in supremo sensu sit Pater, est quia Ipse dat vitam novam homini, et per illam ut homo sit filius et haeres Regni Ipsius; et ex significatione matris, quod sit Verum, de qua n: 3703. 5581; [25] et in supremo sensu Dominus quoad Divinum Verum, ita regnum Ipsius, nam Divinum Verum quod procedit a Domino facit coelum: Causa quod Divinum Verum Domini faciat coelum, est quia Dominus quoad Divinum Bonum in altera vitâ est Sol, et quoad Divinum Verum est Lux; Divina haec Lux ex Domino ut Sole est quae illuminat mentes Angelicas ac implet intelligentia et sapientia, et facit ut Angeli lucis sint. Divinum Bonum inest Divino Vero, sicut calor ex sole inest luci tempore veris ac aestatis in mundo.

8898. Propterea ut prolongentur dies tui super terra, quod significet inde statum vitae in coelo, constat ex significatione prolongari, quod praedicetur de bono et ejus augmento, de qua sequitur; ex significatione dierum tuorum, quod sint status vitae, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 5672. 5962. 6110. 7680. 8426; et ex significatione terrae, hic terrae Canaanis, quia ad filios Israëlis dicitur, quam

Jehovah Deus tuus dat tibi, quod sit regnum Domini, de qua n: 1413. 1437. 1607. 1866. [26] 3038. 3481. 3686. 3705. 4447. 4240. Quod prolongari praedicetur de bono et ejus augmento, est causa quia prolongatio dierum est duratio temporis vitae, et in coelo non est tempus nec spatium, sed pro illis status; idcirco prolongari, quia praedicatur de statu quoad bonum, est augmentum ejus: quod longitudo dicatur de bono, et latitudo de vero, videatur n: 1613. 4482; et quod in coelo non sint spatia, sicut nec tempora, sed loco illorum status, n: 1274. 1382. 2625. 2788. 2837. 3254. 3356. 3404. 3938. 4321. 4814. 4882. 4901. 4918. 5605. [27] 6110. 7218. 7381.

8899. Quam Jehovah Deus tuus dat tibi, quod significet ubi Divinum et inde influxus, constat ex eo, quod haec dicantur de coelo, quod hic significatur per terram, n: 8898; inde Jehovah Deus est Divinum ibi, et dare est influxus, nam coelum in communi apud omnes, et in particulari apud unumquemvis, est receptio influxus a Divino. Quod talia significentur per praeceptum de honorandis parentibus, videri potest alienum, quia distat a sensu literae; sed sciendum, quod praecepta decalogi pro normis sint tam illis qui in mundo sunt, quam illis qui in coelo; sensus literae seu externus pro illis qui in mundo, et sensus spiritualis seu internus pro illis qui in coelo, et inde uterque sensus, tam externus quam internus, pro illis qui dum in mundo etiam in coelo sunt, hoc est, pro illis qui in bono vitae secundum vera doctrinae sunt: quod praecepta decalogi etiam sint pro illis qui in coelo sunt, patet a sensu interno omnium quae in Verbo, et evidenter ex eo, quod quae Jehovah Deus, hoc est, Dominus, Ipse loquitur, non solum sint pro hominibus aut mundo, sed etiam pro Angelis, imo pro toto coelo, nam Divinum Verum, quod procedit a Domino, transfluit coelum, et pervadit usque ad hominem; ita haec decem praecepta, quae Ipse Dominus e monte Sinai loquutus est; quia haec non solum pro illis qui in mundo, sed etiam pro illis qui in coelo, dicta sunt, ideo non potuerunt percipi similiter utrinque, sicut hoc praeceptum, quod honorarent patrem et matrem propterea ut prolongarentur dies eorum super terra, quam Jehovah Deus daret illis; in coelo enim non conveniunt parentes et liberi, sicut in terra, quare pro Patre ibi est Dominus, et pro Matre est

Regnum Ipsius; nec de illis in coelo dici potest quod prolongarentur dies, quia vivunt ibi in aeternum; nec ibi intelligi potest terra, sicut in hoc praecepto terra Canaan, sed pro illa Canaan coelestis seu coelum. Quia per patrem et matrem intelligitur Dominus et Regnum Ipsius, idcirco praeceptum hoc est quartum in ordine, et sanctitate excedit sequentia; praeceptum de cultu Jehovae, hoc est, Domini, est primum et secundum, quia sanctissimum; dein praeceptum de sabbatho, quia per hoc in supremo sensu significatur unio Ipsius Divini ac Divini Humani in Domino; post hoc sequitur praeceptum de honorandis parentibus, quia per hoc significatur Amor Domini, et inde amor boni et veri quae a Domino. Quoniam haec per hoc praeceptum significantur, idcirco contemtus parentum recensetur inter crimina, quae significantur per effundere sanguinem, Ezech: XXII: 6. 7; ac ideo filii inobedientes et refractarii lapidabantur, Deut: XXI: 18 ad 22.

8900. Quod per Patrem intelligatur Dominus, et per Matrem Regnum Ipsius, mox supra n: 8897, [28] ostensum est: sed ne fortassis haereat mens, num per Matrem in sensu interno intelligatur Regnum Domini seu Coelum, licet haec illis, quae superius dicta sunt, adjicere: in Verbo per matrem intelligitur Ecclesia, n: 289. 4257. 5581, [25] quae quoque ideo vocatur jam sponsa jam uxor Domini; et quia Regnum Domini est idem cum Ecclesia, solum cum hac differentia, quod Regnum Domini in terra dicatur Ecclesia, ideo illud quoque per matrem significatur; inde filii ex illa matre nati sunt vera, et vocantur filii regni, Matth: XIII: 38; n: 3373: est etiam Regnum Domini patria omnibus illis qui ibi sunt, et patria est mater in sensu naturali, sicut Ecclesia in spirituali.

8901. Vers: 13. *Non occides, significat non vitam spiritualem alicui adimere, tum non fidem et charitatem exstinguere; ut et proximum non odio habere.*

8902. Non occides, quod significet non vitam spiritualem alicui adimere, tum non fidem et charitatem exstinguere, ut et proximum non odio habere, constat ex significatione occidere, quod sit privare vita spirituali; quod occidere in sensu interno id sit, est quia in illo sensu de vita spirituali seu de vita coeli

apud hominem agitur: et quia vita spiritualis seu vita coeli apud hominem est vita fidei et charitatis, idcirco per non occidere etiam significatur non fidem et charitatem apud aliquem exstinguere. Quod non occidere etiam in sensu interno sit non odio habere proximum, est quia is qui odio habet, continue vult occidere, et quoque actu occideret, nisi obstaret timor poenae, jacturae vitae, famae, et alia similia; odium enim est ex malo, contrarium Charitati, nec spirat nisi necem ejus quem odio habet, in mundo necem corporis ejus, in altera vita necem animae: hoc intelligitur per Domini verba apud Matthaeum « Audivistis quod veteribus dictum sit, *non occides, quisquis autem occiderit*, obnoxius erit judicio: Ego vero dico vobis, quod *quisquis irascitur fratri suo temere*, obnoxius erit judicio; quicunque vero dixerit fratri suo raka, obnoxius erit synedrio, quicunque autem dixerit stultus, obnoxius erit gehennae ignis » V: 21. 22 seq: odium contra proximum intelligitur per irasci temere fratri suo, et ejus increscentiae gradus describuntur per dicere ei raka, et vocare illum stultum; quod ira sit aversio a charitate, et ex malo, ita odium, videatur n: 357. 4164. 5034. 5798. 5887. 5888. Quod occidere in sensu interno sit vitam spiritualem alicui adimere, proinde fidem et charitatem exstinguere, constat ex locis paene omnibus in Verbo, ubi occisio memoratur seu occidere dicitur, prout apud Esaiam « Ecce dies Jehovae venit crudelis et indignationis, et excandescentiae et irae; ad ponendum terram in vastitatem, et peccatores ejus perdat ex ea: tunc stellae coelorum et sidera illorum non lucebunt luce sua, obtenebrabitur sol in ortu suo, et luna non splendere faciet lucem suam: visitabo super orbem malitiam, [29] et super impios iniquitatem illorum: rarum reddam hominem prae auro puro, et filium hominis prae auro Ophiris: *omnis inventus confodietur*, et omnis congregatus *cadet gladio;* infantes illorum allidentur in oculis illorum; spoliabuntur domus illorum, et uxores illorum stuprabuntur; *arcus juvenes allident*, filiis non parcet oculus » XIII: 9 seqq; agitur hic de ultimo tempore Ecclesiae, quando nulla amplius fides et charitas, quod tempus est dies Jehovae crudelis, plenus indignationis, excandescentiae et irae; quisque videre potest, quod aliud quid hic intelligatur, quam quod nude dictant verba; sed quod

intelligitur, non sciri potest quam ex significativis vocum in sensu spirituali, in quo sensu quod terra sit Ecclesia, videatur n: 566. 662. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 2928. 3355. [30] 4447. 4535. 5577. 8011. 8732, inde ponere terram in vastitatem, et perdere peccatores ab ea, significat hominem Ecclesiae tunc absque fide et charitate; quod stellae et sidera sint cognitiones veri et boni, videatur n: 2120. 2495. 2849. 4697; quae dicuntur non lucere luce sua, cum non amplius illustrantur a luce coeli quae influit per fidem charitatis; quod Sol sit Amor in Dominum, et Luna fides in Ipsum, n: 2120. 2441. 2495. 3636. 3643. 4060. 4321 fin: 4696. 5097. 5377. 7078. 7083. 7171. 7173. 8644. 8812, inde obtenebrari solem in ortu suo, significat amorem in Dominum non existere posse apud hominem; et lunam non splendere facere lucem suam, significat nec existere posse charitatem et fidem; ita hominem non amplius posse regenerari; rarum reddere hominem prae auro puro, et filium hominis prae auro ophiris, significat bonum non amplius videri, nec verum, nam per hominem significatur bonum Ecclesiae, n: 4287. 8547, et per filium hominis Verum ex bono, in supremo sensu Divinum Verum procedens a Domino, n: 1729. [31] 1733. 2813. 3704; omnis inventus confodietur, significat quod omnes perituri ex malo falsi, et omnis congregatus cadet gladio, significat quod perituri ex falso, quod confodi sit perire ex malo falsi, n: 4503, et cadere gladio, perire ex falso, n: 2799. 4499. 7102. 8294; infantes allidi, significat quod innocentiam prorsus exstincturi, nam infantes sunt innocentia, n: 430. 2126. 3183. 3494. 5608; uxores stuprabuntur, significat quod bona veri pervertentur a malis falsi, uxores enim sunt bona veri, n: 2517. 4510. 4823. 7022, et stuprari est perverti, n: 2466. 4865; arcus juvenes allident, significat quod vera boni per doctrinas falsi ex malo peritura, arcus enim est doctrina veri, et in opposito sensu doctrina falsi, n: 2686. 6422. [32] 8800, juvenes sunt vera confirmata, n: 7668; et filiis non parcet oculus illorum, significat quod qui intelligit vera usque exstinguet illa, nam filii sunt vera, n: 489. 491. 533. 1147. 2803. 2813. 3373. 4257. 5542, et oculus est intellectus veri, n: 2701. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534; ex his nunc liquet, quid per prophetica illa intelligitur, nempe [quod] cum

Ecclesia ad finem suum pervenit, omne verum et omne bonum sint peritura; patet etiam ex his, quod perfodi, allidi, verbo occidi, sit exstinctio fidei et charitatis. Apud Jeremiam „Abripe eos sicut pecudem *ad mactationem*, et destina eos *ad diem occisionis;* quousque lugebit terra, et herba omnis agri exarescet, propter malitiam habitantium in ea, *consumentur* bestiae et avis" XII: 3. 4, dies occisionis pro tempore vastatae Ecclesiae, quod est tempus ejus ultimum, cum non amplius est fides quia nulla charitas; lugebit terra pro Ecclesia; herba omnis agri exarescet pro quod omne verum Ecclesiae; consumentur bestiae et avis pro quod bona et vera; quod terra sit Ecclesia, videatur mox supra; quod herba agri sit verum Ecclesiae, n: 7571, quod ager sit Ecclesia, n: 2971. 3310. 3766; quod bestiae sint bona et affectiones boni, n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. [33] 1823. 2179. 2180. 3218. 3519. 5198; quod aves sint vera et affectiones veri, n: 5149. 7441; ex his constare potest, quis sensus internus illorum verborum est, et quoque quod spirituale et sanctum Ecclesiae et coeli sit in singulis; quodque absque sensu interno nequaquam intelligeretur quid dies occisionis, quid quod lugebit terra, quod exarescet herba omnis agri, quodque consumentur tunc bestiae et avis. Apud Sachariam „Sic Dixit Jehovah Deus tuus, *pasce oves occisionis*, quas possessores earum *occidunt*, nec reos se agnoscunt" XI: 4, oves occisionis pro illis qui in simplici bono, apud quas vera quae fidei exstinguuntur non sua culpa, sed eorum qui docent. Apud Esaiam „Venturos radicabit Jacobus, efflorescet et florebit Israël, ita ut impleantur facies orbis proventu; num *juxta plagam percutientis percussit illum*, num *juxta caedem occisorum ejus occisus est.* Ecce Jehovah exiens e loco suo ad visitandum iniquitatem terrae, tunc revelabit terra *sanguines suos*, et non celabit *occisos suos*" XXVII: 6. 7. XXVI: 21, [34] hic quoque in sensu interno agitur de ultimo tempore Ecclesiae, quando resuscitabitur Ecclesia nova, pereunte vetere; Jacobus pro illis qui in externo Ecclesiae, Israël pro illis qui in interno; facies orbis pro Ecclesia in communi, terra pro Ecclesia vetere; occisi pro illis apud quos non fides quia non charitas. Apud Eundem „Tu projectus e sepulchro tuo sicut surculus abominabilis, *vestimentum occisorum*, *confossi gladio;* non adunabe-

ris cum iis in sepulchro, nam terram tuam perdidisti, *populum tuum occidisti* » XIV: 19. 20; occisi pro illis qui privati vita spirituali; populum occidisti, pro quod destruxerit vera et bona fidei; ibi de Babele, per quam significatur prophanatio boni, n: 1182. 1283. 1295. 1306. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326, tum vastatio ejus, n: 1327 fin: Apud Jeremiam « Audivi vocem filiae Zionis, suspirat, expandit manus suas; vae jam mihi, *quia delassata est anima mea occisoribus;* discurrite per plateas Hierosolymae, et videte quaeso et cognoscite, et quaerite in vicis ejus, si inveniatis virum, si sit faciens judicium, quaerens veritatem » IV: 31. Cap: V: 1; filia Zionis pro Ecclesia coelesti; occisores pro illis qui destruunt bona et vera; vir faciens judicium pro illis qui in veris ex bono.* Apud Ezechielem « Prophanastis me apud populum meum pro pugillis hordeorum, et pro frustis panis, *ad occidendum animas quae non mori debent*, et ad vivificandum [35] animas quae non vivere debent » XIII: 19; Occidere animas hic manifeste pro vitam spiritualem adimere. Quia occidere etiam id significabat, ideo inter maledictiones erat super monte Ebal « *Occidere socium in occulto;* et accipere munus *ad occidendum animam sanguinis innocentis* » Deut: XXVII: 24. 25. [36] Apud Matthaeum « In consummatione saeculi tradent vos in tribulationem, *et occident vos*, et eritis odio habiti ab omnibus gentibus propter nomen meum » XXIV: 9: et apud Johannem « Jesus ad discipulos, veniet hora, *ut omnis qui occiderit vos*, putet cultum sacrum offerre Deo; et haec facient, quia non cognoscent Patrem, nec Me » XVI: 2. 3, hic quoque per Occidere significatur privare vita spirituali, hoc est, fide et charitate, nam per discipulos significantur omnia veri et boni fidei et charitatis, n: 3488. 3858 f: 6397: quod non discipuli, ad quos Dominus loquutus est, hic intelligantur, patet ex eo quod ibi agatur de Consummatione Saeculi, quando Dominus venturus est in nubibus coeli, de qua discipuli quaesiverunt, per quam intelligitur ultimum tempus Ecclesiae, quo tempore discipuli non victuri erant, videatur n: 3488: similiter apud Marcum « *Tradet frater fratrem in mortem*, et pater liberos, consurgent liberi contra parentes, et *occident illos* » XIII: 12, ibi etiam de ultimis temporibus agitur, ubi quoque per occidere significatur privare veris et bonis quae

fidei et charitatis, ita vita spirituali. Apud Lucam „Mittam ad eos Prophetas et Apostolos, *sed ex illis occident* et persequentur: a sanguine Abelis ad sanguinem Sachariae Prophetae requiretur a generatione hac" XI: 49. 51; prophetae et apostoli in sensu spirituali pro veris et bonis Ecclesiae; occidere pro extinguere illa; sanguis Abelis pro exstinctione charitatis; Prophetae quod sint vera doctrinae ex Verbo, videatur n: 2534. 7269; sanguis Abelis quod sit exstinctio Charitatis, n: 374. Similiter apud Johannem „*Sanguis sanctorum et prophetarum, ac occisorum,* inventus est in Babylone" Apoc: XVIII: 24, [37] ibi etiam sanguis sanctorum et prophetarum pro exstinctione boni et veri fidei et charitatis; occisi pro illis qui quoad vitam spiritualem perierunt; quod sanguis sit violentia illata Charitati, ut et omne malum in genere, n: 374. 1005: [38] tum prophanatio veri in specie, n: 4735. 6978. [39] 7317. 7326. Quia per occisum seu confossum significatur extinctio boni et veri, et in Ecclesia Judaica omnia, quae instituta sunt, erant repraesentativa spiritualium et coelestium, quae in Regno Domini, ac in supremo sensu Divinorum in Domino, quapropter quando confossus in agro jacens inventus fuit, talis processus expiandi populum mandatus est; quod nempe „metirentur versus urbes *a Confosso jacente in agro*, et quod seniores urbis proximae sumerent vitulam bovis, per quam labor nullus factus est, et super qua nondum jugum fuerat, ac deducerent ad fluvium rapidum, et decollarent illam ibi sacerdotes filii Levi, ac tunc seniores urbis lavarent manus super vitula, et dicerent, quod manus eorum non effuderint sanguinem illum, nec oculi illorum viderint, et quod sic expiaretur sanguis" Deut: XXI: 1 ad 8; quis unquam sciret, cur talis processus institutus est propter confossum jacentem in agro, nisi ex sensu interno sciretur, quid significatur per confossum in agro, per urbem proximam, per vitulam, per fluvium rapidum, per lavationem manuum, et per reliqua ibi; per confossum in agro significatur verum et bonum exstinctum, n: 4503, per agrum Ecclesia, n: 2971. 3310. 3766; per urbem doctrina veri, n: 402. 2449. [40] 2943. 3216. 4492. 4493; per seniores urbis vera concordantia bono, n: 6524. [41] 6525. 8578. 8585; per vitulam super qua nondum jugum, verum nondum confirmatum, quid vitula, [42] n: 1824. 1825; per lavatio-

nem manuum super vitula ad flumen rapidum, purificatio a malo illo quia factum ex Zelo immoderato qui ignorantis quid verum: ex his sicut ex reliquis constare potest, quae et quanta arcana in singulis Verbi continentur, quae ne quidem ut arcana appparitura sunt, si credatur quod sensus literae sit omne Verbi, ac ita quod non sanctius et coelestius intus inibi lateat; cum tamen sensus literae est pro homine in mundo, hoc est, pro homine naturali, at sensus internus pro homine in coelo, hoc est, pro homine spirituali; inde patet quid praeceptum de non occidere involvit, quod nempe non solum homo non occidendus quoad corpus, sed etiam non occidendus quoad animam, ita non solum non privandus vita in mundo, sed imprimis quod non privandus vita in coelo: si Praeceptum illud non hoc simul involvisset, non ab Ipso Jehovah, hoc est, Domino, viva voce dictatum fuisset super monte Sinai cum tanto miraculo, omnes enim populi et gentes absque immediata revelatione sciunt, et quoque leges eorum sanciunt, quod homo non occidendus, [43] sicut etiam quod non adulterandum, non furandum, non testandum false; nec credendum quod Gens Israëlitica tam stupida fuerit, ut quae omnes in universo terrarum orbe sciverunt, illa sola nesciverit; sed Verbum revelatum, quia ab Ipso Divino, insuper in sinu suo altiora et universaliora recondit, nempe talia quae coeli sunt, ita quae non solum vitam corporis, sed etiam quae vitam animae seu vitam aeternam concernunt; in hoc differt, distat, et eminet Verbum super omni alio scripto.

8903. *Non adulterabis, significat quod illa quae doctrinae fidei et charitatis sunt non pervertenda; ita non Verbum applicandum ad confirmanda mala et falsa; tum quod non leges ordinis invertendae sint.*

8904. Non adulterabis, quod significet quod illa quae doctrinae fidei et charitatis sunt, non pervertenda; ita non verbum applicandum ad confirmanda falsa et mala; tum quod non leges ordinis invertendae, constat ex significatione adulterare, moechari et scortari, quod in sensu spirituali seu interno sint pervertere bona et falsificare vera quae doctrinae fidei et charitatis sunt; et quia haec per adulterare significantur, etiam significatur applicare Verbum ad confirmanda mala et falsa, nam Verbum est ipsissima doctrina fidei et charitatis, et perversio

veri et boni ibi, est applicatio ad falsa et mala: quod haec significentur per adulterare et moechari in sensu spirituali vix aliquis hodie scit, ex causa quia hodie intra Ecclesiam a paucis scitur quid spirituale, et qualiter hoc differt a naturali, et vix ab aliquo, quod correspondentia sit inter utrumque, et quidem talis, ut sistatur imago unius in altero, hoc est, repraesentetur spirituale in naturali; consequenter quod spirituale sit sicut anima, et naturale sicut ejus corpus, et sic per influxum et inde conjunctionem constituant unum, sicut in homine regenerato internus ejus homo qui etiam spiritualis vocatur, et externus qui etiam dicitur naturalis: quia talia hodie ignorantur, idcirco non sciri potest, quid adulterare ulterius significat, quam quoad corpus illegitime conjungi. Quia illa, ut dictum est, hodie ignorantur, licet causam dicere, cur adulterare in sensu spirituali significat pervertere illa quae doctrinae fidei et charitatis sunt, ita adulterare bona et falsificare vera; causa est, quae arcana hodie, quod amor conjugialis descendat ex conjugio boni et veri, quod Conjugium coeleste vocatur; amor qui a Domino influit, qui est inter bonum et verum in coelo, vertitur in amorem conjugialem in terra, et hoc per correspondentiam; inde est quod falsificatio veri sit scortatio, et perversio boni sit adulteratio in sensu interno; inde quoque est, quod qui in bono et vero fidei non sunt, nec in genuino amore conjugiali possint esse; tum quod qui in adulteriis capiunt jucundum vitae, non amplius aliquid fidei possint recipere; dictum audivi ab Angelis, quod ut primum aliquis adulterium committit in terra, et in eo capit jucundum, claudatur ei coelum, hoc est, is renuat amplius recipere inde aliquid fidei et charitatis: quod hodie in regnis ubi Ecclesia a perplurimis adulteria pro nihilo reputentur, est quia Ecclesia est in fine suo, et sic non amplius aliqua fides, quia non charitas; unum enim correspondet alteri, ubi nulla fides est, falsum loco veri et malum loco boni, et inde fluit, quod adulteria non magis ut crimina reputentur; nam clauso coelo apud hominem talia ab inferno influunt: videantur quae de his prius dicta et ostensa sunt, n: 2727 ad 2759. 4434. 4835. [44]

4837. Quod moechari et adulterari in sensu interno seu spirituali sit falsificare et pervertere vera et bona fidei et charitatis, proinde etiam confirmare falsum et malum per pravas applica-

tiones e Verbo, constare potest a singulis locis in Verbo ubi adulterari, moechari, et scortari nominantur, quod manifeste patebit a sequentibus, ut apud Ezechielem « Fili hominis, notifica Hierosolymae abominationes ejus; *scortata es propter nomen tuum*, et effudisti *scortationes tuas* super omnem transeuntem: sumsisti de vestibus tuis, et fecisti tibi excelsa variegata, et *scortata es super illis:* accepisti vasa ornatus tui ex auro meo et ex argento meo quod dederam tibi, et feceras tibi imagines masculi: scortata es cum illis: sumsisti filios tuos et filias tuas, quas peperisti Mihi, et sacrificasti; num parum *de scortationibus tuis. Scortata es cum filiis Aegypti*, vicinis tuis, magnis carne, et *multiplicasti scortationem tuam*, ad irritandum Me: et *scortata es cum filiis Aschuris*, cum satietas tibi nulla, *cum quibus etiam scortata es*, et tamen non saturata: et *multiplicasti scortationem tuam* usque ad terram negotiationis Chaldaeam, et tamen in hoc non satiata es. *Mulier adultera* sub viro suo accipit alienos: omnibus *meretricibus* dant mercedem, tu vero *dedisti mercedes tuas omnibus amasiis tuis*, et remunerasti eos, ut venirent ad te e circuitu *in scortationibus tuis:* propterea *meretrix*, audi verbum Jehovae, *judicabo te judiciis adulterarum*, et effundentium sanguinem » XVI: 1 seqq; quis non videre potest, quod per scortationes hic significentur falsificationes veri ac adulterationes boni; et quis potest intelligere hic verbulum, nisi sciat quod scortatio talia significet, tum nisi sciat quid filii Aegypti, filii Aschuris, Chaldaea, cum quibus Hierosolyma dicitur scortata; quod non cum illis ipsis populis scortata sit, patet; dicendum itaque quid in sensu interno illa significant; per Hierosolymam intelligitur Ecclesia perversa; vestes ibi sunt vera quae pervertuntur, inde falsa quae agnoscuntur sunt excelsa variegata; filii Aegypti sunt scientifica, filii Aschuris ratiocinia, Chaldaea prophanatio veri; quod vestes sint vera, videatur n: 1073. 2576. 4545. 4763. 5248. 5319. 5954. 6914. 6918; [45] quod excelsa sint cultus, excelsa variegata hic cultus falsi, n: 796; vasa ornatus ex auro et argento sunt cognitiones boni et veri, quod vasa sint cognitiones, n: 3068. 3079; quod aurum sit bonum, n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917; argentum, verum boni, n: 1551. 2048. [46] 2954. 5658; imagines masculi significant [47] apparentias et similitudines veri, n: 2046;

filii et filiae, quas pepererunt, sunt vera et bona quae perverterunt, quod filii sint vera, n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373; quod filiae bona, n: 489. [48] 2362. 3024; quod filii Aegypti sint scientifica, per quae perversio, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 2588 fin: 4749. 4964. 4967. [49] 5700. 5702. 6004. 6015. 6125. 6651. 6679. 6683. 6692. 6750. 7296. 7779. 7926; Aschur quod sit ratiocinatio, per quam mediis scientificis vera fidei perversa, et bona ejus adulterata sunt, n: 119. 1186; [50] multiplicare scortationem usque ad terram Chaldaeam est usque ad prophanationem veri, quod Chaldaea sit prophanatio veri, n: 1368; inde patet, cur dicitur mulier adultera, tum meretrix: similiter ac de Babylone in Apocalypsi „Venit unus ex septem angelis habentibus septem phialas, et loquutus est mecum, dicens mihi, veni, monstrabo tibi *judicium meretricis magnae* sedentis super aquis multis, *cum qua scortati sunt reges terrae*, et *inebriati sunt vino scortationis ejus* inhabitantes terram: erat Babylon magna *mater scortorum*, et abominationum terrae" XVII: 1. 2. 5. Cap: XIV: 8. Cap: XVIII: 3; quod Babylon sint qui pervertunt vera et bona Ecclesiae sui dominii et sui quaestus causa, et hoc usque ad prophanationem, constat ex significatione Babelis, n: 1182. 1283. 1295. 1304. 1306. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326. 1327 f; inde est quod Babylon dicatur meretrix et mater scortorum; qui de sensu interno nihil sciunt, credent quod reges terrae, qui cum illa scortati sunt, significent reges in terra aut regna, sed non significant reges nec regna, sed vera fidei Ecclesiae, cum quibus scortari est illa pervertere, quod reges sint vera fidei, videatur n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. [51] 6148; et quod terra sit Ecclesia, n: 566. 662. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 f: 2928. 3355. [52] 4447. 4535. 5577. 8011. 8732; inebriati vino scortationis inhabitantes terram, est quod in errores et deliria redacti sint per falsa ex malo illi qui intra Ecclesiam sunt, inebriari enim est in errores per falsa ratiocinia et per pravas interpretationes Verbi duci, n: 1072; vinum est falsum ex malo, n: 6377, inde vinum scortationis est falsum ex perversione veri; quod terra sit Ecclesia, modo ostensum est; sedere dicitur super aquis multis, quia super falsis, nam aquae in sensu genuino

sunt vera, et in sensu opposito falsa, n: 729. 790. 8137. 8138. 8568. Quod adulterari et scortari sit pervertere bona et vera Ecclesiae, constat manifeste etiam alibi apud Ezechielem „Duae mulieres filiae unius matris *scortatae sunt in Aegypto*, in adolescentia sua *scortatae sunt*, Ohola Samaria, et Oholiba Hierosolyma, *scortata* est Ohola sub me, et *dilexit amasios suos*, Assyrios propinquos, vestitos hyacintho, praefectos et duces, juvenes desiderii omnes, equites equitantes equis; *dedit scortationes suas super illos*, delectum filiorum Aschuris omnium: attamen *scortationes suas ex Aegypto non deseruit;* nam *cum illis concubuerunt* in adolescentia sua: Oholiba *corrupit amorem suum* prae illa, *et scortationes suas super scortationes sororis suae; filios Aschuris adamavit;* addidit *ad scortationes*, cum vidit viros pictos super pariete, imagines Chaldaeorum, pictos minio, *et amavit eos* ad aspectum oculorum suorum; venerunt etiam ad illam *filii Babelis ad concubitum amorum; polluerunt illam per scortationem suam;* multiplicavit tamen *scortationes suas*, dum recordata est dierum adolescentiae, *quibus scortata est in terra Aegypti*, adamavit *supra pellices illos*" XXIII: [2.] seqq: in his etiam nullus non videre potest, quod per scortationes intelligantur scortationes spirituales, hoc est, perversiones boni et falsificationes veri, quae Ecclesiae; tum quod contenta in sensu interno non patescant, nisi sciatur quod significatur per filios Aegypti, per Assyrios seu filios Aschuris, per Chaldaeam et per Babelem; nam quod illae gentes non intelligantur, sed quod talia quae sunt falsi, liquet, cum illis enim non scortati sunt incolae Samariae et Hierosolymae; sed quid per Aegyptum, Aschurem, Chaldaeam et Babelem significatur, mox supra ostensum videatur. Ex sequentibus etiam constat, quod scortationes et adulteria in sensu interno sint falsificationes et perversiones boni et veri, ita adulterationes horum; ut apud Hoscheam „Contendite cum matre vestra, contendite, quoniam illa non uxor mea, et Ego non maritus ejus, ut *removeat scortationes* a faciebus suis, et *adulteria sua*, ab inter ubera sua; filiorum ejus non miserebor, quia *filii scortationum illi*, quoniam *scortata est mater illorum*, dicens, *ibo post amasios meos*, dantes panem meum, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, oleum meum et potus meos: sed devastabo vitem

ejus et ficum ejus, de quibus dixit *merces meretricia* illa mihi, quam dederunt mihi amasii mei" II: 2 ad 12; per matrem in sensu interno hic intelligitur Ecclesia, n: 289. 2691. 2717. 4257. 5581. [25] 8897; pariter per uxorem, n: 252. 253. 409. 749. 770, quae non uxor dicitur, quia in veris perversis, hoc est, falsis; per filios vera Ecclesiae, hic falsa, quia dicuntur filii scortationum, n: 489. 491. 533. 2623. 2803. 2813. [53] 3373. 3704. 4257; quid panis, quid aqua, quid lana et linum, tum oleum et potus, ut et vitis et ficus, ostensum est in suis locis, quod nempe sint bona amoris et charitatis, tum bona et vera fidei interiora et exteriora, at mala et falsa in sensu opposito, nam bona fiunt mala et vera fiunt falsa cum pervertuntur; quid panis videatur n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4217. 4735. 4976. 5915. 6118. 6409; [54] quid aquae, n: 739. [55] 790. 8137. 8138. 8568; quid linum, n: 7601; quid oleum, n: 886. 3728. 4582; quid potus, n: 3069. 3168. 3772. 8562; quid vitis, n: 1069. 5113. 6376; quid ficus, n: 4231. [56] 5113; merces meretricia est falsum doctrinae quod venditant pro vero. Apud Eundem „Populus meus lignum interrogat, et baculus ejus respondet illi, quia *spiritus scortationis seduxit*, et *scortati sunt* a sub deo suo; super verticibus montium sacrificant, et super collibus suffiunt, propterea *scortantur filiae vestrae*, et *nurus vestrae adulterantur: si scortaris tu Israël*, ne reus fiat Jehudah; nonne visitavero super filias vestras, *quia scortantur*, et super nurus vestras *quia adulterantur*, quia *hae cum scortis dividunt*, et *cum prostibulis* sacrificant" IV: 11 seqq: scortari sub deo suo pro pervertere verum, nam per deum in sensu interno significatur verum, et in opposito falsum, n: 2586. 2769. 2807. 2822. 4295. 4402. 4544. 7010. 7268. 7873. 8301. 8867; montes et colles sunt amores, hic amores sui et mundi, n: 795. 796. 1691. [57] 2722. 6435: lignum quod interrogatur est bonum jucundi alicujus cupiditatis, n: 643, baculus qui respondet est potentia imaginaria ex proprio intellectuali, n: 4013. 4015. 4876. 4936. 7011. 7026, [58] quia dii significant in genuino sensu vera, et in opposito falsa, ideo falsificare vera et adulterare bona significatur per „*scortati post deos alienos*, ut post baalem, post Molechum, post idola" Ezech: VI: 9. Levit: XX; 5, et alibi. Ex his nunc constare

potest, quid per adulteria et scortationes intelligitur in sequentibus his locis; apud Esaiam „Vos accedite huc filii praestigiatricis, *semen adulteri*, et *scortata est;* contra quem oblectatis vos, contra quem dilatatis os, et elongatis linguam, nonne vos nati praevaricationis, semen mendacii, qui *incaluistis in diis* sub omni arbore viridi" LVII: 3. 4. 5. Apud Eundem „Fiet in fine septuaginta annorum visitabit Jehovah Tyrum, ut *redeat ad mercedem meretriciam suam*, et *scortetur cum omnibus regnis terrae* super faciebus orbis" XXIII: 17. 18. Apud Jeremiam „Et dimisit vir uxorem suam, et abivit ab eo, et fuit viro alii; *scortata est cum sociis multis;* prophanasti terram *scortationibus tuis* et malitia tua: num vidisti quae fecit aversa Israël, abiens haec super omnem montem altum, et sub omnem arborem viridem, et *scortabaris ibi:* etiam perfida Jehudah soror ejus, abivit et *scortata est etiam illa;* adeo ut *a voce scortationis ejus* prophanaverit terram, *moechata est cum lapide et ligno*" III: 1 ad 10. [59] Apud Eundem „Haec sors tua, quod oblita es Mei, et confisa es mendacio; *adulteria tua*, et *hinnitus tui*, *scelus scortationis tuae*, super collibus in agro vidi abominationes tuas; vae tibi Hierosolyma" XIII: 25. 27. Apud Eundem „Contra Prophetas; *adulteris plena est terra*, quia propter maledictionem luget terra, exaruerunt pascua deserti; quia tam Propheta quam Sacerdos hypocrisin exercent: in Prophetis Hierosolymae etiam vidi obfirmationem horrendam, *adulterando* et eundo in mendacio; confirmarunt manus malorum; visionem cordis sui loquuntur non ex ore Jehovae" XXIII: 9. 10 seq: Apud Eundem „Fecerunt stultitiam in Israële, et *moechati sunt cum uxoribus sociorum suorum*, et loquuti sunt verbum in Nomine Meo mendaciter quod non praecepi illis" XXIX: 23; ex his manifeste patet, quod adulterari et moechari sit ex suo corde, hoc est, ex proprio, ita sicut suadent amores sui et mundi, explicare et pervertere Verbi vera; proinde loqui mendacia, hoc est, falsa, sicut aperte dicitur. Insuper apud Hoscheam „Ne laeteris Israël, *quia scortatus es de* sub deo tuo, *dilexisti mercedem meretriciam* super omnibus areis frumenti" IX: 1. Apud Eundem „Loquutus est Jehovah ad Hoscheam; abi, accipe tibi *mulierem scortationum*, et *liberos scortationum*, quia *scortando scortatur terra* a post Jeho-

vam" I: 2. Apud Nahum "Vae urbi sanguinum, *prae multitudine scortationum scorti*, boni gratia, magistrae praestigiarum, vendentis [60] gentes *per scortationes suas*, et familias per praestigias suas" III: 4. Apud Moschen "Filii vestri erunt pascentes in deserto 40 annis, et *portabunt scortationes vestras* 40 annis, juxta numerum dierum quibus explorastis terram, dies singuli pro anno, portabitis iniquitates vestras" Num: XIV: 33. [61] 34. Quia scortationibus in terra correspondebant falsificationes veri et adulterationes boni, ideo "*poena mortis erat adulteris*" Levit: XX: 10; et "filia viri sacerdotis, *si prophanaverit se scortando*, igne combureretur" Levit: XXI: 9: tum *quod "non aliqua filia in Israële exponeretur scortationi"* Levit: XIX: 29: pariter, quod "non veniret *spurius* in congregationem Jehovae, ne quidem generatio ejus decima" Deut: XXIII: 3. Et quod "non inferenda esset *merces meretricia* in domum Jehovae, quia abominatio" Deut: XXIII: 19. [62] Ex his nunc plene constare potest, quid per adulterari significatur, quod nempe in sensu externo sit committere adulteria, in sensu interno repraesentativo colere idola et alios deos per talia quae Ecclesiae sunt, consequenter idololatrica externa et interna; in sensu autem interno spirituali significantur adulterationes boni et perversiones veri: ex his evidenter patet, unde est, quod adulteria in se tam nefanda sint, ac dicantur abominationes, quod nempe inde, quia correspondent conjugio falsi et mali, quod est Conjugium infernale; et vice versa, cur Conjugia genuina sancta sunt, quod nempe inde, quia correspondent Conjugio boni et veri, quod est Conjugium Coeleste; imo amor conjugalis genuinus ex conjugio boni et veri descendit, ita e coelo, hoc est, per Coelum a Domino; at amor adulterii ex conjugio falsi et mali, ita ex inferno, hoc est, a diabolo.

8905. *Non furaberis, significat quod non alicui ejus bona spiritualia auferenda sint, et quod sibi non tribuenda illa quae Domini sunt.*

8906. Non furaberis, quod significet quod non alicui ejus bona spiritualia auferenda sint, et quod sibi non tribuenda quae Domini sunt, constat ex significatione furari, quod sit auferre [63] alicui bona spiritualia; quod haec per furari significentur, est quia divitiae et opes in spirituali sensu sunt cognitiones

boni et veri, in genere omnia illa quae fidei et charitatis, hoc est, quae vitae spiritualis apud hominem sunt, quapropter illa alicui auferre, est in sensu spirituali furari: et quia omnia bona spiritualia, hoc est, omnia fidei et charitatis, sunt unice a Domino, et prorsus nihil ab homine, idcirco per furari etiam significatur sibi tribuere quae Domini sunt; qui hoc faciunt, vocantur etiam fures et praedones apud Johannem „Amen dico vobis, qui non ingrediens est per januam in caulam ovium, sed ascendit [64] aliunde, is est *fur* et *latro;* qui vero ingrediens est per januam, pastor est ovium; Ego sum janua, per Me si quis introiverit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascuum inveniet; *fur non venit, nisi ut furetur* et mactet, et perdat, Ego veni ut vitam habeant, et abundantiam habeant" X: 1 ad 13; ingredi per januam in caulam ovium, est per Dominum, nam Dominus est janua, ut Ipse dicit; oves sunt qui in charitate et inde in fide; hi per Dominum ingrediuntur, cum agnoscunt quod ab Ipso omne fidei et charitatis, nam haec tunc ab Ipso influunt; at aliis tribuere illa, imprimis sibi, est auferre illa, ita mactare et perdere; qui sibimetipsis tribuunt illa quae Domini sunt, etiam in operibus ponunt meritum, et semet faciunt justitiam, de quibus n: 1110. [65] 1877. 2027. 2273. 2340. 2373. 2400. 3816. 4007 fin: 4174. [66] 4943. 6388. 6389. 6390. 6392. 6393. 6478; hoc nunc est furari in spirituali sensu; et hoc obvenit Angelis in coelo, cum ab homine legitur in Verbo furari, nam Angeli Verbum non nisi quam spiritualiter intelligunt. Simile per furari significatur apud Hoscheam „Quando sanavi Israëlem, tunc revelata est iniquitas Ephraimi, et mala Samariae, quia fecerunt mendacium, *et fur venit,* diffundit se turma foras; *nunc* [67] *circumdant illos opera illorum coram faciebus meis;* per malitiam suam laetificant regem, et per mendacia sua principes" VII: 1. 2. 3. Et apud Joëlem „Venit dies Jehovae, ante eum comedit ignis, et post eum inflammat flamma, sicut hortus Eden terra ante eum, sed post eum desertum vastitatis; sicut aspectus equorum aspectus illius, et sicut equites ita currunt, sicut sonitus curruum super verticibus montium; in urbe discurrunt, in muro currunt, *in domos ascendunt, per fenestras ingrediuntur sicut fur;* coram illo commota est terra, contremuerunt coeli, sol et luna atrati sunt, et stellae contraxerunt splendorem" II:

1 ad 10; agitur ibi de Ecclesiae desolatione, cum falsa irrumpunt, et destruunt vera; falsa haec sunt fures qui ascendunt domos et per fenestras ingrediuntur: quis non miraturus est, cur dicitur, quod dies Jehovae erit sicut aspectus equorum, et quod tunc sicut equites current, in urbe discurrent, in muro current, in domos ascendent, per fenestras ingredientur, commovebitur terra, contremiscent coeli, atrabuntur sol et luna, et contrahent splendorem stellae; qui non de sensu interno aliquid scit, et qui in corde suo sanctitatem Verbi in dubium vocat, is dicet quod haec solum voces sint absque Divino inibi recondito, et forte vocabit dictiones inanes; at qui credit quod Verbum sanctissimum sit, quia Divinum, et insuper qui novit quod sensus internus sit, qui agit de Ecclesia, de Coelo, deque Ipso Domino, is fatebitur quod singulae voces ibi singula pondera sint; quid itaque voces et dictiones ibi significant, paucis explicandum, dies Jehovae est ultimus status seu ultimum tempus Ecclesiae, cum non amplius verum, sed loco veri falsum; ignis qui ante eum comedit, est mali cupido, flamma quae post eum est falsi cupido inde, aspectus equorum est intellectuale ratiocinans ex falso sicut ex vero, equites qui currunt sunt ratiocinatores, currus sunt doctrinalia falsi, urbs est ipsa doctrina, murus in quo currunt est essentiale falsum, domus quas ascendent est voluntarium hominis, fenestrae per quas ingredientur sunt intellectualia, fur est falsum quod aufert verum, terra quae coram illo commovebitur est Ecclesia, etiam coeli qui contremiscent, sol est amor in Dominum, luna est fides in Ipsum, illa atrari dicuntur cum non amplius apparent; stellae sunt cognitiones boni et veri, quae non amplius ex fide et amore ita e coelo lucem habebunt, quod est contrahere splendorem; ex his constare potest, quid haec in communi involvunt, tum in quo sensu dies ille, seu ultimus status Ecclesiae dicitur fur qui ascendet domos et ingredietur per fenestras, quod nempe sit falsum quod tunc occupabit totum hominem, tam ejus voluntarium quam ejus intellectuale, et sic auferet omne verum et bonum. Simile per furem significatur apud Obadiam „Dixit Dominus Jehovih Edomo, *si fures venerint tibi,* si eversores noctu, quomodo excisus eris, *nonne furabuntur quod illis satis*" Vers: 5; similiter per furem seu furantem Sachar: V: 1 ad 4. Psalm: L:

17. 18. 19. Matth: VI: 19. 20. Sicut omnia statuta a Domino mandata filiis Israëlis fundata sunt in Legibus ordinis quae in Coelo, hoc est, existentiam et essentiam suam traxerunt e mundo spirituali, idcirco etiam illa quae de furtis lata sunt; sicut quod „*qui furatus bovem* et vendens, quinque rependet, si *pecudem* quatuor" Exod: XXI: 37; tum „fur in perfossione percussus, non sanguis, orto autem sole sanguis, fur rependet vel vendetur, si invenitur in manu ejus, restituet duplum" Exod: XXII: 1. 2. 3. „*Qui furatus fuerit virum, eumque vendiderit*, sed inventus fuerit in manu ejus, moriendo morietur" Exod: XXI: 16: „si inventus vir, *qui furatus fuerit animam de fratribus suis, de filiis Israëlis*, et quaestum fecerit in eo, dum vendiderit eum, *occidetur fur hic*, ut removeas malum e medio tui" Deut: XXIV: 7, viri ex filiis Israëlis in sensu interno sunt qui in veris et bonis fidei, ita in sensu abstracto sunt fidei vera et bona, n: 5414. 5879. 5951, quare furari virum ex filiis Israëlis, est auferre illa, et vendere illum est abalienare, et quoque facere ut serviant; vera enim et bona fidei, quia a Domino, in statu libero sunt, nec serviunt nisi soli Domino; at cum abalienantur, tunc in statum servum veniunt, nam serviunt alicui malo amoris sui vel mundi, ita alicui cupiditati corporeae; inde Legis hujus derivatio et correspondentia: et quia tunc verum et bonum Ecclesiae e libero fit servum, ita e vivo fit mortuum, ideo poena, quae effectus, est mors.

8907. *Non respondebis in proximum tuum testis mendacii*; *significat quod non bonum dicendum sit malum, nec verum falsum, ita nec vice versa malum dicendum bonum, et falsum verum.*

8908. Non respondebis in proximum tuum testis mendacii, quod significet quod non bonum dicendum sit malum, nec verum falsum, ita nec vice versa malum dicendum sit bonum et falsum verum, constat ex significatione testis mendacii, quod sit confirmatio falsi, testis quod sit confirmatio, videatur n: 4197, et quod mendacium sit falsum fidei, patebit a sequentibus; respondere in proximum, est ita dicere alicui; per proximum enim significatur unusquisque homo, ac in specie omnis qui in bono est, inque sensu abstracto ipsum bonum, n: 3419. 5025. 6704. 6706 ad 6711. 6818. 8123; inde non responde-

bis in proximum testis mendacii, in sensu interno est non dicere alicui falsum, hoc est, dicere bonum esse malum et verum falsum, nec vice versa. Quomodo hoc se habet, paucis explicandum est; omnis apud quem regnat amor sui aut mundi, hoc est, qui pro fine habet eminentiam seu honores aut opulentiam seu lucrum, illi non curant dicere et persuadere id injustum esse quod justum, et id justum esse quod injustum, ac ita agere testes mendacii; causa quod illi tales sint, est quia voluntas illorum prorsus subjecta est amoribus illis et eorum cupiditatibus, et ab illis prorsus occupata et possessa, et tunc intellectus, qui est altera pars mentis, quidem videre potest quid justum est [68] aut injustum, sed non vult videre, voluntas enim valet supra intellectum, et per influxum persuadet, et tandem quoque occaecat; iidem illi nec conscientiam habent, neque sciunt, quod id conscientia sit dicere id justum quod justum est, non propter aliam causam quam quia justum est, hoc est, ex amore justi: qui tales sunt in mundo, iidem etiam tales sunt in altera vita, sed cum differentia, quod non tunc justum dicant injustum, sed bonum quod fidei dicant malum, ac verum falsum, nam justum in civili mundo correspondet bono et vero in spirituali mundo; et hoc faciunt absque conscientia, et quoque absque pudore, quia ita imbuti et assuefacti in vita corporis. Pluries in Verbo dicitur Mendacium, et per id ubivis in sensu interno significatur falsum et malum fidei, et per testem mendacii, qui etiam testis violentiae vocatur, significatur confirmatio falsi, sive sit coram judice, sive coram quocunque alio, sive coram semet intus in cogitatione persuadendo sibi, ut Exod: XXIII: 1 seqq: Levit: XIX: 11. 12 seq: Deut: XIX: 16 ad 20. Quod mendacium in sensu spirituali sit malum ac falsum quae fidei, constat a sequentibus locis; apud Johannem „Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida fuit ab initio, et *in veritate non stetit*, quia *non veritas in illo; quando loquitur mendacium*, ex propriis loquitur, *quia mendacium loquens est;* et pater ejus" VIII: 44; mendacium hic pro falso fidei; agitur enim de Judaeis quod non agnoscere voluerint Dominum; diabolus hic in sensu spirituali est falsum, et pater ejus est malum; nam falsum est ex malo sicut filius a patre; falsum quod est diaboli est falsum fidei, et malum est malum amoris sui et amoris mundi. Apud

Esaiam „Moabus elatus est valde, superbia ejus, et elatio ejus, et ira ejus, *mendacia ejus non sunt firma*" XVI: 6; [69] mendacia pro falsis fidei, quia Moabus sunt qui in malo amoris sui, ac ideo falsificant vera, n: 2468. 8315. Apud Eundem „Excidimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus visionem; *posuimus mendacium fiduciam,* et *in falsitate* latuimus" XXVIII: 15. Apud Eundem „Populus rebellionis ille, *filii mendaces,* filii non voluerunt audire legem Jehovae" XXX: 9. Apud Jeremiam „Vir socio suo illudunt, et *veritatem non loquuntur, docuerunt linguam suam loqui mendacium*" IX: 4. Apud Eundem „Ecce ego contra *prophetantes somnia mendacii,* et narrant ea, ut seducant populum meum *per mendacia sua*" XXIII: 32. Apud Eundem „Gladie *contra mendaces,* ut stultescant" L: 36. Apud Ezechielem „Viderunt vanitatem et *divinationem mendacii,* dicentes, dictum Jehovae, cum Jehovah non miserit eos; quare sic dixit Dominus Jehovih, propterea quod loquimini vanitatem, et *videtis mendacium,* ideo ecce Ego contra vos" XIII: 6. 7. 8. 9. Apud Nahum „Vae urbi sanguinum, *tota mendacio* et rapina *plena* est" III: 1. Apud Zephaniam „Reliquiae Israëlis non faciunt perversitatem, *neque loquentur mendacium,* neque invenietur in ore eorum lingua fraudis; hi pascent et requiescent" III: 13. Apud Johannem „Foris sunt canes, incantatores, et scortatores, et homicidae, et idololatrae, [70] et *omnis qui amat et facit mendacium*" Apoc: XXII: 15; in his ut in aliis pluribus locis mendacium pro falso et malo fidei.

8909. Vers: 14. *Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, et servum ejus, et ancillam ejus, et bovem ejus, et asinum ejus, et omne quod proximo tuo,* significat quod cavendum ab amore sui et mundi, ac ita ne mala, quae continentur in praecedentibus praeceptis, fiant voluntatis, et sic exeant.

8910. Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, et servum ejus et ancillam ejus, et bovem ejus et asinum ejus, et omne quod proximo tuo, quod significet quod cavendum ab amore sui et mundi, ac ita ne mala, quae continentur in praecedentibus praeceptis, fiant voluntatis, et sic exeant, constat ex significatione concupiscere, quod

sit velle ex amore malo; quod concupiscere id sit, est quia omnis concupiscentia est amoris cujusdam, nam nihil concupiscitur nisi ametur, estque ideo concupiscentia continuum amoris, hic amoris sui aut mundi, et est quasi respirationis ejus vita; nam quod respirat amor malus, vocatur concupiscentia, at quod respirat amor bonus, vocatur desiderium; ipse amor pertinet ad alteram partem mentis, quae appellatur voluntas, nam quicquid amat homo hoc vult; concupiscentia autem pertinet ad utramque, nempe tam ad voluntatem quam ad intellectum, sed est proprie voluntatis in intellectu: ex his patet, unde est, quod per verba, non concupisces illa quae proximi sunt, significetur quod cavendum ne fiant voluntatis; nam quae fiunt voluntatis, ea appropriantur homini, quippe voluntas est ipse homo. Creditur in mundo, quod cogitatio sit homo; sed bina sunt quae constituunt vitam hominis, Intellectus et Voluntas, ad Intellectum pertinet cogitatio, ad Voluntatem affectio quae amoris, Cogitatio absque affectione quae amoris non facit aliquid vitae apud hominem, sed cogitatio ex affectione quae amoris, ita intellectus ex voluntate; quod ea bina sint inter se distincta, patet unicuique qui reflectit, ex eo, quod homo intelligere et percipere possit malum esse quod vult, et bonum esse quod vel vult vel non vult; ex quibus liquet, quod voluntas sit ipse homo, non autem cogitatio nisi quantum in eam ex voluntate transit: inde est, quod quae intrant in cogitationem hominis, et non per illam in voluntatem, non immundum reddant illum, sed quae intrant per cogitationem in voluntatem; quod haec immundum reddant hominem, est quia tunc appropriantur illi, et fiunt ipsius, nam voluntas, ut dictum est, est ipse homo: quae fiunt voluntatis, dicuntur ingredi in cor ejus, et inde egredi; at quae modo sunt cogitationis, dicuntur ingredi in os, sed egredi per ventrem in secessum, secundum Domini verba apud Matthaeum « *Non quod intrat in os, immundum reddit hominem,* sed *quod egreditur ex ore, hoc immundum reddit hominem:* omne quod ingreditur in os, in ventrem abit, et in secessum ejicitur; quae vero egrediuntur ex ore, *ex corde egrediuntur*, et *haec immundum reddunt hominem:* ex corde enim egrediuntur cogitationes malae, homicidia, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, blasphemiae » XV: 11. 17. 18. 19; [71] ex his ut ex omnibus

reliquis, constare potest, qualis fuerat loquela Domini, quod nempe intellecta sint interna et spiritualia, sed expressa per externa seu naturalia, et hoc secundum correspondentia; os enim correspondet cogitationi, sicut etiam omnia quae oris, ut labra, lingua, guttur; et cor correspondet affectioni quae amoris, ita voluntati; quod cordis correspondentia cum his sit, videatur n: 2930. 3313. 3883 ad 3896. 7542; inde ingredi in os est in cogitationem, et egredi ex corde est ex voluntate, in ventrem abire et in secessum seu latrinam ejici est in infernum, venter enim correspondet viae versus infernum, et secessus seu latrina correspondet inferno, infernum quoque in Verbo vocatur latrina; inde patet quid significat, quod omne quod ingreditur in os, in ventrem abeat, et in secessum ejiciatur, quod nempe sint malum et falsum in cogitationem hominis ab inferno injecta, et rursus illuc ablegata, haec non possunt immundum reddere hominem, quia ablegantur; nam homo a cogitare malum non potest desistere, sed a facere illud, at ut primum a cogitatione in voluntatem malum recipit, tunc non egreditur sed intrat in illum, et hoc dicitur intrare in cor; quae inde egrediuntur, immundum reddunt illum, quia quod homo vult, hoc egreditur in loquelam et in actum, quantum non vetant vincula externa, quae sunt timor legis, jacturae famae, honoris, lucri, vitae: ex his nunc patet, quod per non concupisces, significetur quod cavendum ne mala fiant voluntatis, et sic exeant. Quod concupiscentia sit voluntatis, ita cordis, etiam constat a Domini verbis apud Matthaeum „Audivistis quod veteribus dictum sit, non moecheris; Ego vero dico vobis, quod si quis aspexerit mulierem alienam *ita ut concupiscat illam*, jam adulterium commiserit cum illa *in corde suo*" V: 27. 28; per concupiscere hic intelligitur velle, et nisi timores, qui sunt vincula externa, inhiberent, facere; inde dicitur quod qui aspicit mulierem ita ut concupiscat illam, commiserit adulterium cum illa in corde suo. Concupiscentia mali etiam intelligitur per oculum dextrum scandalizantem, et concupiscentia falsi per manum dexteram scandalizantem in Domini verbis, etiam apud Matthaeum „*Si oculus dexter scandalizaverit te*, erue illum, et abjice abs te; melius namque erit tibi, ut unum membrorum tuorum pereat, et non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam: *et si manus dex-*

tera tua scandalizaverit te, amputa illam, et abjice abs te: melius enim erit tibi, ut unum membrorum tuorum pereat, et non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam" V: 29. 30; ex his iterum constat, quomodo Dominus loquutus est, quod nempe ex Divino, sicut ubivis alibi in Verbo, ita quod interna et coelestia expresserit per externa seu naturalia secundum correspondentias; hic affectionem mali seu concupiscentiam ejus, per oculum dextrum scandalizantem, et affectionem falsi seu concupiscentiam ejus per manum dextram scandalizantem; oculus enim correspondet fidei, oculus sinister vero fidei, et oculus dexter bono fidei, in opposito sensu malo quod fidei, ita oculus dexter scandalizans concupiscentiae mali, n: 4403 ad 4421. 4523 ad 4534; manus autem correspondet potentiae quae veri, manus dextera potentiae veri ex bono, in opposito sensu potentiae falsi ex malo, ita manus dextera scandalizans concupiscentiae ejus, n: 3091. 3563. [72] 4937. 8281: gehenna est infernum concupiscentiarum; quisque videre potest, quod hic per oculum dextrum non intellectus sit oculus dexter, nec intellectum quod ille eruendus sit; tum quod per manum dexteram non intellecta sit manus dextera, et quod ea amputanda sit, sed quod aliud quid, quod non sciri potest, nisi sciatur quid significatur per oculum, in specie per oculum dextrum, tum quid per manum et in specie per manum dexteram, ut et quid per scandalizare; nec sciri potest quid per illa significatur nisi ex sensu interno. Quia concupiscentiae sunt quae ex voluntate mala, ita ex corde tali, et ex corde seu voluntate exeunt homicidia, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, secundum Domini verba apud Matthaeum Cap: XV: 19, ita talia quae in praecedentibus decalogi praeceptis continentur; ideo dicitur quod per non concupisces illa quae proximi sunt, significetur quod cavendum ne mala quae continentur *in praecedentibus praeceptis*, fiant voluntatis, et sic exeant. Quod etiam per non concupisces illa quae proximi sunt, significetur quod cavendum sit ab amore sui et mundi, est quia omnia mala concupiscentiae ab illis ut a suis fontibus scaturiunt, videatur n: 2045. 7178. 7255. 7366 ad 7377. 7488. 8318. 8678.

8911. Ex his quae hactenus dicta sunt, constare potest, quomodo se habet cum homine et ejus vita, quod nempe homo talis sit qualis ejus voluntas; et quod talis post mortem perma-

neat, quia mors non est finis vitae, sed continuatio ejus: cum itaque homo talis est, qualis est ejus voluntas, quia ut supra dictum est, voluntas est ipse homo, idcirco judicari secundum facta, significat judicari secundum voluntatem, nam voluntas et factum non discrepant, sunt modo externa vincula, quae sunt timores legis, jacturae honoris, lucri, famae, vitae, quae inhibent, interea in voluntate est factum, et in facto est voluntas; se habet hoc sicut conatus et motus, motus non est nisi quam continuus conatus, nam cessante conatu cessat motus, quare nihil essentiale in motu est quam conatus; hoc sciunt eruditi, nam est theorema agnitum et confirmatum; conatus in homine est voluntas, et motus in illo est actio, ita vocantur in homine, quia in illo conatus et motus vivi sunt: judicari [73] secundum voluntatem, idem est ac judicari secundum amorem, ac quoque idem ac judicari secundum fines vitae, tum judicari secundum vitam, nam voluntas hominis est ejus amor, et est ejus finis vitae, estque ipsissima vita: quod ita sit, constat a Domini verbis prius citatis, quod qui aspicit mulierem alienam ita *ut concupiscat eam*, jam adulterium commiserit cum illa in corde suo, Matth: V: 27. 28; tum quod occidere hominem, non solum sit ita facere, sed etiam velle id facere, quod significatur per irasci et per contumeliis illum afficere, Matth: V: 21: judicatur etiam homo secundum facta, sed non ultra quam quantum et qualiter facta ex voluntate ejus processerunt.

8912. Explicandum etiam est paucis, quid per illa, quae hic memorantur, nempe per domum, uxorem, servum, ancillam, bovem et asinum, quae non concupiscenda, in sensu interno intelligitur; sunt omnia bona et vera fidei in uno complexu, quae non auferenda alicui, ac quibus non damnum inferendum; suntque eadem illa, quae in sensu interno significantur per sanctificare diem sabbathi, honorare patrem et matrem, per non occidere, non adulterari, non furari, non testari false, quae omnia quod sint talia quae sunt amoris et fidei in sensu interno, in praecedentibus ostensum est; per domum intelligitur omne bonum in genere, per uxorem omne verum in genere, per servum affectio veri spiritualis, per ancillam affectio boni spiritualis, per bovem affectio boni naturalis, et per asinum affectio veri naturalis; haec sunt quae non concupiscenda, hoc est, quae

non alicui auferenda, aut quibus damnum non inferendum. Quod haec in sensu interno intelligantur, est quia Verbum in eo sensu est pro illis qui in coelo, nam illi qui ibi, Verbum non naturaliter sed spiritualiter percipiunt, ita non domum, non uxorem nec servum, ancillam, bovem et asinum, sed spiritualia quae illis correspondent; quae sunt bona amoris et vera fidei; verbo sensus externus seu literae est pro illis qui in mundo, at sensus internus pro illis qui in coelo, etiam pro illis qui in mundo, sed quantum simul in coelo sunt, hoc est, quantum in charitate et fide sunt.

8913. Vers: 15. 16. 17. *Et omnis populus videntes voces et faces, et vocem buccinae, et montem fumantem; et vidit populus, et commoti sunt, et steterunt e longinquo. Et dixerunt ad Moschen, loquere tu cum nobis, et audiemus, et ne loquatur cum nobis Deus, ne forte moriamur. Et dixit Moscheh ad populum, ne timeatis, quia propterea ut tentare vos, venit Deus, et propterea ut sit timor Ipsius coram faciebus vestris, ut non peccetis.* Et omnis populus videntes voces et faces, significat perceptionem verorum Divinorum ex bono: et vocem buccinae, significat eadem per coelum: et montem fumantem, significat ipsum bonum veri non perceptibile nisi in externa forma: et vidit populus et commoti sunt, significat tremorem, qui est cum recipiuntur: et steterunt e longinquo, significat remotionem ab internis: et dixerunt ad Moschen, significat querimoniam: loquere tu cum nobis, significat receptionem veri in forma accommodata, cui sic obedituros: et ne loquatur cum nobis Deus, significat verum in forma non accommodata: ne forte moriamur, significat quod peritura sic vita coeli apud illos: Et dixit Moscheh ad populum, significat informationem: ne timeatis, quia propterea ut tentare vos venit Deus, significat quod non peritura vita coeli, solum ut sciatur quod illa sit et qualis: et propterea ut sit timor Ipsius coram faciebus vestris, ut non peccetis, significat timorem sanctum inde pro Divino, et inde vitae spiritualis conservationem.

8914. Et omnis populus videntes voces et faces, quod significet perceptionem verorum Divinorum ex bono, constat ex significatione videre, quod sit intelligere et percipere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 3863. 3869. 4403 ad 4421.

4567. 4723. 5400; ex significatione vocum seu tonitruum, quod sint vera Divina, de qua n: 7573. 8813; et ex significatione facum seu fulgurum, quod sint splendores qui sunt veris ex bono amoris, qui perstringunt et penetrant, de qua n: 8813. Per Vera Divina ex bono intelliguntur hic omnia praecepta Decalogi, quae ex monte Sinai enuntiata sunt e medio tonitruum et fulgurum; quae ideo tunc sistebantur quia tonitrua significabant Vera Divina, quae quoque ideo vocantur voces, et fulgura significabant splendores qui veris ex bono, quae etiam ideo vocantur faces seu flammae; quod flammae sint Divina Vera procedentia ex Divino Bono Domini, videatur n: 6832.

8915. Et vocem buccinae, quod significet eadem per coelum, nempe Divina Vera ex bono, constat ex significatione vocis buccinae, quod sit status coeli angelici quod circum Divinum, et quod sit Verum Divinum inde, de qua n: 8815. 8823; ex quibus constare potest, quid significatur per Domini verba, ubi de Consummatione saeculi seu de ultimo tempore Ecclesiae praedicit, quod tunc „Dominus missurus sit Angelos *cum tubae voce magna*, qui congregabunt electos Ipsius a quatuor ventis" Matth: XXIV: 31; qui non scit quod omnia verba Domini etiam intus in se recondant coelestia et Divina, hoc est, quod sensus internus illis insit, credent quod cum ultimum judicium instat, apparituri sint Angeli, et annuntiaturi illud, et quoque congregaturi electos cum voce tubae; sed quod per vocem tubae seu buccinae ibi non intelligatur vox tubae seu buccinae, sed Verum Divinum per Coelum in forma interna, et ejus evangelizatio, videatur n: 4060 fin: tum 8815 et 8823.

8916. Et montem fumantem, quod significet ipsum bonum veri non perceptibile nisi in externa forma, constat ex significatione montis, hic montis Sinai, quod sit Divinum Bonum unitum Divino Vero in Coelo, de qua n: 8805; et ex significatione fumantis, quod sit in externa forma; quod id sit fumans, est quia Divinum Verum seu Verbum in interna forma est instar lucis ac instar flammae, at in externa forma est instar nubis et instar fumi; causa est, quia Verum Divinum seu Verbum in interna forma est quale est in coelo, ita quale est in luce ibi, at in externa forma est quale est in mundo, ita quale est in lumine *ibi*, et lumen mundi respective ad lucem coeli est instar nubis,

seu respective ad flammam instar fumi: Verum Divinum seu Verbum in interna forma est sensus ejus internus, et in externa est sensus ejus externus seu literalis; quod hic sensus seu literalis dicatur nubes, videatur Praefatio ad Cap: XVIII: Genes: et n: 4060. 4391. 5922. 6343. 6752. 8106. 8781; et quod fumus, est quia per fumum significatur obscurum veri, n: 8819. Quod Mons apparuerit fumans coram filiis Israëlis, non erat quia Divinum ibi tale fuit; sed quia Divinum apparet unicuique secundum quale ejus qui illud videt; et quale illorum qui videbant, erat, ut in externis ponerent omne cultus, et nihil in internis; et quod inde intelligerent Verbum solum secundum sensum literae; idcirco Divinum quoad verum, quod promulgabatur, non aliter potuit illis apparere, quam sicut fumus, hoc est, sicut obscurum; unde etiam dicitur, quod steterint e longinquo, per quod significatur quod remoti fuerint ab internis: sed de his infra plura.

8917. Et vidit populus et commoti sunt, quod significet tremorem, qui est cum recipiuntur, nempe Divina Vera, constat ex significatione commoveri, quod sit tremor, hic tremor qualis est cum recipiuntur Divina Vera, de quo tremore videatur n: 5459. 8816.

8918. Et steterunt e longinquo, quod significet remotionem ab internis, constat ex significatione stare e longinquo, quod sit remote, hic ab internis, quia a monte Sinai, per quem significatur Coelum et Divinum ibi, n: 8805; sive dicas remote a Divino, sive a coelo, seu ab internis, idem est, nam coelum est in internis; internum enim hominis est in luce coeli, et externum in luce mundi; seu quod idem, anima seu spiritus hominis, est in Coelo, at corpus in mundo; coelum est propius Divino quam mundus, quia ibi est Divinum Domini regnans, et est omne in omnibus. Quod ulterius spectat significationem longinqui, sciendum quod longinquum in spirituali sensu non pro objecto habeat spatium, sed Divinum, ita bonum et verum; distantia ab ipsissimo bono quod procedit a Divino facit apparentias distantiae in coelo; apparent ibi societates Angelicae distinctae, imo dissitae a se mutuo, sed ideale hoc spatii venit a distantia a bono et vero quae a Divino Domini, ut dictum est: hoc non aliter potest videri quam paradoxon, imo quasi abso-

num multis in mundo; causa est quia cogitationes et harum ideae apud hominem fundantur super spatiis et temporibus, usque adeo ut homo absque illis cogitare non possit; inde si abstrahis tempora et spatia ab hominis cogitatione, vix appercipit quicquam; at usque angeli in coelo prorsus absque aliqua idea temporis et spatii cogitant, ac ita plene, ut cogitationes eorum excedant cogitationes hominis intelligentia et sapientia millies imo myriadies; et quod mirum, si apud illos intervenit idea ex tempore et spatio, statim obveniat mentibus illorum umbra et caligo, quia cadunt tunc e luce coeli in lumen naturae, quod illis est caligo. Quod spatia et tempora non sint in altera vita, sed status, seu quod apparentiae illorum sint ex variationibus status quoad bonum et verum, videatur n: 2625. 2837. 3356. 3387. 3404. 4321. 4882. 5605. [27] 7381: inde nunc patet, quid stare e longinquo significat in sensu spirituali, quod nempe remotionem a coelo ubi Divinum, hic remotionem ab internis, quia, ut supra dictum est, gens illa, quae e longinquo a monte Sinai tunc stetit, remotissima fuit ab internis, erat enim solum in externis, et in his omne cultus Divini posuit; quod facere etiam illi genti permissum fuit, quia sic potuit repraesentare coelestia et Divina, nam ad repraesentandum, requiritur externum, et quoque datur absque interno, [74] n: 3147. 3670. 4208. 4281. 4288. 4307. 8588. Longinquum significat remotionem a bono et vero, quae a Divino, ita ab internis, etiam in sequentibus locis; apud Lucam „Dives in inferno tollens oculos suos, *vidit Abrahamum e longinquo,* et Lazarum [75] in sinu illius. Abraham dixit ei, *inter nos et vos hiatus ingens* firmatus est, ut qui volunt transcendere exhinc ad vos non possint, neque qui ibi ad nos transire" XVI: 23. 26; per Abrahamum non intelligitur Abraham, nam ille nescitur in coelo, sed in supremo sensu Dominus, et in respectivo illi in coelo qui in bono amoris et fidei in Dominum sunt, n: 1834. 1876. 1965. 1989. 2011. 3245. 3305 fin: 6098. 6185. 6276. 6894; qui in inferno sunt, dicuntur e longinquo videre illos qui in coelo sunt, quia in statu remotissimo sunt a bono et vero; hiatus ingens inter illos, est ipsa remotio a bono, quae etiam dat apparentiam hiatus intercedentis: qui cogitant ex [76] idea spatii, ut faciunt omnes homines in mundo, illi non aliter percipiunt, quam quod infernum sit

longe distans ab homine, et quoque quod coelum; sed res aliter se habet, infernum et coelum sunt prope hominem, imo in homine, infernum in homine malo, et coelum in homine bono; quisque etiam in id infernum vel in id coelum, in quo fuit in mundo, post mortem venit; sed tunc mutatur status, infernum quod non perceptum in mundo, fit perceptibile, et coelum quod nec perceptum in mundo fit perceptibile, coelum plenum omni felicitate, et infernum omni infelicitate: quod coelum sit intra nos, docet Dominus apud Lucam „*Regnum Dei intra vos est*" XVII: 21. Apud Esaiam „Venientes *e terra longinqua*, ab extremitate coelorum" XIII: 5. Jer: V: 15. Apud Eundem „*Audite* [77] *longinqui*, quid fecerim, et cognoscite *propinqui* virtutem meam" XXXIII: 13. Apud Eundem „Dicam septentrioni, da, et meridiei ne inhibe, adduc filios meos *e longinquo*, et filias meas *ab extremitate terrae;* educ populum caecum [78] cui oculi sunt, et surdos quibus aures" XLIII: 6. 8. Cap: XLIX: 12. Apud Eundem „Attendite insulae ad Me, auscultate *populi e longinquo*" XLIX: 1. Jerem: XXXI: 10. Apud Jeremiam „Vox clamoris filiae populi mei *e terra longinqua*, num [79] Jehovah non in Zione, non rex ejus in ea" VIII: 19. Apud Eundem „Jehovah plantasti illos, et etiam radicati sunt; *sed propinquus Tu* in ore eorum, *sed longinquus* a renibus eorum" XII: 2. Apud Eundem „*Deus e propinquo Ego*, et *non Deus e longinquo*" XXIII: 23; in his omnibus locis longinquum significat remotionem a bono.

8919. Et dixerunt ad Moschen, quod significet querimoniam, constat ex illis quae sequuntur in hoc Versiculo, nam quae dixerunt sunt querimoniae.

8920. Loquere tu cum nobis, quod significet receptionem veri in forma accommodata, cui sic obedituros, constat ex significatione loqui, quod sit influxus et communicatio, de quibus n: 2951. 3060. 4131. 5481. 5797. 6225. 7270. 8128, inde quoque est receptio, nam quod influit et communicatur, hoc recipitur; et ex repraesentatione Moschis, qui loqueretur, quod sit Verum a Divino infra coelum conjunctum Vero Divino in coelo, ita medians inter Dominum et populum, de qua n: 8760. 8787. 8805, inde est quod Moscheh hic sit Verum in forma accommodata. Quod Verum in forma accommodata atti-

net, sciendum, quod Verum Divinum cum descendit per coelos ad homines, sicut descenderat Verbum, in via accommodatum sit omnibus tam qui in coelis sunt quam qui in terris; sed Verum Divinum prorsus in alia forma est in coelis quam in mundo, in coelis est qualis est sensus internus Verbi, in mundo qualis est sensus ejus in litera; imo in ipsis coelis in diversis formis est, in alia in intimo seu tertio coelo, in alia in medio seu secundo, et in alia in primo seu ultimo; forma Veri Divini, hoc est, ejus perceptio, cogitatio et enuntiatio, in intimo seu tertio coelo ita transcendit illam in medio seu secundo coelo, ut in hoc non capi possit, tam Divina et supereminens est, continet enim innumera quae nec enuntiari possunt in secundo coelo, constat e meris mutationibus status quoad affectiones quae amoris; forma autem Veri Divini in medio seu secundo coelo, transcendit similiter illam in primo seu ultimo coelo; et adhuc magis formam Veri Divini in mundo; inde est, quod quae in coelis illis enuntiantur, sint talia quae nusquam aliqua mens humana percepit, nec aliqua auris audivit; ut ab experientia sciunt qui in coelum elevati sunt. Qui hoc non sciunt, credunt quod in coelis non aliter cogitent et non aliter loquantur, quam in terris; sed hoc credunt, quia non sciunt, quod interiora hominis in eminentiori statu sint quam exteriora, et quod cogitatio et loquela illorum, qui in coelis, sit coelestis et spiritualis, at in terris naturalis, quarum differentia est tanta, ut verbis describi nequeat, sed de loquelis illis videantur n: 1634 ad 1650. 1757. 1758. 1759. 1876. 2157. 2472. 2476. 3342. 3343. 3344. 3345. 4104. 4609. 5225. 5287. 6040. 6982. 7002. 7089. 7131. 7191. 7381. 8343. 8733. 8734. Ex his quoque patet, quod nisi Verum Divinum seu Verbum appareret in forma accommodata, non potuisset capi; si enim in eminentiori, quam status perceptionis est, non caderet in intellectum, ita non in fidem: inde est quod Verum Divinum datum sit homini, quale est Verbum in litera; nam si appareret quale est in coelo, nullus homo caperet, et ad primam intuitionem et ad primam apperceptionem rejiceret, quoniam non caderet in talia quae sunt lucis naturalis; et insuper plenum arcanis foret, quae nequicquam intrare possent in aliquam ideam hominis, quia prorsus repugnant apparentiis et fallaciis quae ex [76] mundo per sensualia externa; ut taceantur

arcaniora quae intus latent in arcanis illis multiplici serie, nusquam expressibilia nisi per variationes et mutationes status lucis, et flammae coelestis, per quas peragitur loquela et cogitatio angelica.

8921. Et ne loquatur cum nobis Deus, quod significet Verum in forma non accommodata, constat ex illis quae praecedunt, nam per Moschen significatur Verum Divinum infra Coelum conjunctum Vero Divino in coelo, ita medians inter Dominum et populum, proinde Verum Divinum in forma accommodata, ut nunc supra n: 8920, ostensum est; inde per ne loquatur cum nobis Deus, significatur Verum Divinum in forma non accommodata, nam [per] Deum hic intelligitur Dominus quoad Divinum verum in coelo, n: 8805, proinde ipsum Divinum Verum; quod etiam causa est, quod dicatur Deus, non Jehovah, nam in Verbo ubi Deus dicitur, intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, at ubi Jehovah, intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, n: 2586. 2769. 2807. 2822. 3921 f: 4295. 4402. 7091. 7268. 7873. 8301. 8867.

8922. Ne forte moriamur, quod significet quod peritura sic vita coeli apud illos, constat ex significatione mori, quod sit mori spiritualiter, de qua n: 6119, ita perire quoad vitam coeli; quod Verum Divinum in forma non accommodata id faciat, constat ex illis quae mox supra n: 8920, ostensa sunt; nam Verum in forma non accommodata, quale est in coelo, transcendit captum, et quod transcendit captum id non recipitur, et quod non recipitur non influit in aliquam fidem, ita nec in vitam fidei, quae est vita coeli; homo enim regeneratur, hoc est, accipit vitam coeli per Verum Divinum quod est fidei, n: 2046. 2063. 2189. 2979. 3155. 3876. 3877. 5893. 5912. 6247. 8635 ad 8640. 8772.

8923. Et dixit Moscheh ad populum, quod significet informationem, constat ex significatione dicere, hic a Moscheh ad populum, quod sit informatio, nam quae dixit, sunt informationis de ea re, de qua questi sunt; similiter alibi per dicere significatur informatio, cum informantur de re quaestionis, ut n: 7769. 7793. 7825. 8041.

8924. Ne timeatis, quia propterea ut tentare vos, venit Deus, quod significet quod non peritura vita coeli, solum ut

sciatur quod illa sit et qualis, constat ex significatione non timere nempe quod morituri, quod sit quod perituri quoad vitam coeli, n: 8922; et ex significatione tentare vos, quod sit docere quod vita coeli sit et qualis illa; quod hoc per tentare significetur, est quia omnis tentatio spiritualis talia apud hominem docet et confirmat; nam tentationes sunt ideo, ut fides veri et affectio veri, ac postea affectio boni implantetur et irradicetur, et sic homo vitam novam, quae est vita coeli, accipiat; tentationes enim sunt pugnae cum malis et falsis, homo cum vincit illa, confirmatus est; nam ex veris et pro veris contra falsum et malum pugnat; quod ex veris et pro veris pugnet, non tunc sentit homo, quia vera in interioribus sunt, quare ad sensum, qui est exteriorum, manifeste non veniunt; sed quod ex illis et pro illis sit, patet ex eo quod pugna sit, et dein victoria, quae non dari queunt nisi per collisiones oppositorum inter se, opposita sunt malum et bonum, ac falsum et verum: sed sciendum, quod homo non pugnet, sed quod Dominus pro homine, et quidem contra inferna, quae tunc invadere et subjugare hominem conantur, n: 840. 1661. 1692. [80] 8159. 8168. 8172. 8175. 8176: ex his patet, quod per ne timeatis, quia propterea ut tentare vos venit Deus, significetur quod non timendum sit quod peritura vita coeli, sed quod id fiat ut doceantur et sciant quod vita coeli sit, tum qualis illa est: sed de Tentationibus videantur quae prius dicta et ostensa sunt, n: 2272. 2768. 3318. 3927. 3928. 4249. 4299. 4341. 4572. 5036. 5246. 5356. 6144. 6574. 6611. 6657. 6663. 6666. 6829. 8131. 8273. 8351. 8367. 8370 fin: 8403. 8567.

8925. Et propterea ut sit timor Ipsius coram faciebus vestris, et non peccetis, quod significet timorem sanctum inde pro Divino, et inde vitae spiritualis conservationem, constat ex significatione timoris Dei, quod sit timor sanctus pro Divino, de qua sequitur; ex significatione facierum, quod sint interiora, de qua n: 1999. 2434. 3527. 4066. 4796. 4797. 5102. 5585. 5592, inde timor Dei coram faciebus, est timor sanctus pro Divino in interioribus; et ex significatione ne peccetis, quod sit conservatio vitae spiritualis, nam vita spiritualis per non peccare conservatur; peccare est facere et cogitare malum et falsum *studio* et ex voluntate, nam quae studio et ex voluntate

fiunt, sunt talia quae egrediuntur ex corde, et immundum reddunt hominem, Matth: XV: 11. 17. 18. 19, consequenter quae delent [81] vitam spiritualem apud illum, videatur supra n: 8910. Quod timorem sanctum, qui significatur per timorem Dei in Verbo, attinet, sciendum, quod timor ille sit amor, sed amor qualis est infantum erga parentes, parentum erga infantes, conjugum inter se, qui timent facere quicquam quod displicet, ita quod amorem aliquo modo laedit; talis timor insinuatur in amorem cum regeneratur homo, qui timor quia concordat cum amore, et inesse potest et actualiter inest seu unitus est amori, idcirco vocatur timor sanctus, et est timor peccandi seu faciendi contra praecepta, ita contra Dominum: sed timor ille differt apud unumquemvis secundum amoris quale et quantum; videantur quae de illo ostensa sunt n: 2826. 3718. 3719. 5459. 7280. 7788.

8926. Vers: 18. 19. 20. *Et stetit populus e longinquo, et Moscheh accessit ad caliginem ubi Deus. Et dixit Jehovah ad Moschen, ita dices ad filios Israëlis, vos vidistis quod e coelo loquutus sim cum vobis. Non facietis cum Me deos argenti et deos auri, non facietis vobis.* Et stetit populus e longinquo, significat remotionem a veris internis: Et Moscheh accessit ad [82] caliginem ubi Deus, significat conjunctionem usque veri boni spiritualis cum Vero Divino: et dixit Jehovah ad Moschen, significat instructionem porro: ita dices ad filios Israëlis, significat illos qui ab Ecclesia spirituali: vos vidistis quod e coelo loquutus sim cum vobis, significat omnia Verbi per influxum a Divino per coelum: non facietis cum Me deos argenti et deos auri, significat ut abstineant prorsus a talibus quae in forma externa apparent ut vera et bona, sed in interna sunt falsa et mala: non facietis vobis, significat quod sedulo cavendum.

8927. Et stetit populus e longinquo, quod significet remotionem a Veris internis, constat ex significatione stare e longinquo, quod sit remotio ab internis, de qua supra n: 8918.

8928. Et Moscheh accessit ad [82] caliginem ubi Deus, quod significet conjunctionem usque veri boni spiritualis cum Vero Divino, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verum Divinum infra coelum conjunctum Vero Divino in coelo, proinde medians, de qua n: 8760. 8787. 8805, ita Verum boni

spiritualis, nam hoc est Verum Divinum infra coelum, in quo est Ecclesia spiritualis, quae repraesentatur per filios Israëlis, hoc Verum repraesentat Moscheh ut illius Ecclesiae caput, n: 7041; [83] ex significatione accedere, quod sit conjunctio, nam accedere ad Divinum est Ipsi conjungi; et ex significatione caliginis, quod sit Verum Divinum respective ad illos qui ab Ecclesia spirituali, tum respective ad populum illum, cui Moscheh ut dux praeerat; quod Verum Divinum his et illis sit caligo, est causa quia non in aliqua luce sunt quoad Vera Divina. Quod primum concernit illos qui ab Ecclesia spirituali, credunt, qui ab illa sunt, quod in luce sint; sed quod in obscuro, imo in caligine sint quoad Verum Divinum, constat ex eo, quod non ex aliqua perceptione interna sciant, quod Ecclesia dicit esse verum, sed solum ex eo, quia Ecclesia ita dicit, hoc confirmant apud se sive falsum sive verum sit, et qui non in perceptione interna est de Vero Divino, is in caligine est, seu quod idem, ei Divinum Verum caligo est: sit pro exemplo; qui ab Ecclesia spirituali sunt, non sciunt, nec scire volunt, quod aliquis sensus internus Verbi sit; et si forte credituri sint, hoc non erit ex aliqua perceptione interna quod ita sit, sed ex persuasione aliunde: sit quoque pro exemplo, illi qui ab Ecclesia spirituali sunt, dicunt fidem esse unicum salvationis medium, etiam absque charitate et ejus bonis; hoc credunt quia Ecclesia ita dicit, nec ad illam perceptionis lucem veniunt, quod fides non sit nisi ubi charitas, et quod una sit alterius sicut conjux conjugis, proinde quod charitas sit essentiale Ecclesiae, quia est boni: inde quoque patet, in quo obscuro seu in qua caligine est Ecclesia spiritualis: et quia in tali sunt, ideo Ecclesiam in tot Ecclesias dividunt, quot sunt diversae doctrinae de Veris quae fidei, quod non fieret si in luce forent; qui enim in luce est, nusquam dubitat, minus negat, quod amor in Dominum et charitas erga proximum sint essentialia Ecclesiae, et quod super illis fundentur omnia vera quae sunt Verbi, proinde quae sunt fidei: similiter se habet cum reliquis, quae ab hoc pendent, et vocantur vera fidei: sed haec evidentius ostensa sunt, n: 2708. 2715. 2831. 2849. 2935. 2937. 3241. 3246. 6289. 6427. 6865. 6945. 7233; quod qui ab Ecclesia spirituali non perveniant ad primum limen sapientiae, seu ad primum lucis, in quo sunt qui

ab Ecclesia coelesti, n: 2718. 3833. 6500. Quod Moscheh dicatur intravisse ad [82] caliginem, cum accessit ad Deum, altera causa est, quia Moscheh ut dux repraesentabat populum Israëliticum et Judaicum, qui in tali caligine de Veris internis fuit, ut prorsus ea nesciverit, in externis enim omne cultus et omne Divinum posuit; inde est quod illis Divinum fuerit caligo; nam cuivis notum est, quod Divinum nusquam sit in caligine, sed in luce, Divinum enim est ipsa lux; quapropter quod dicatur caligo, est respective ad illos qui in nulla luce sunt, nam illis Divina Vera, quae faciunt lucem coeli, non apparent aliter, non enim creduntur, imo negantur; et Divinum apparet unicuique secundum quale vitae et fidei ejus; proinde ut lux illis qui in luce sunt, et ut caligo illis qui in caligine: quod populus Israëliticus et Judaicus talis fuerit, videatur n: 3479. 3769. 4281. 4293. 4307. 4314. 4316. 4433. 4680. 4825. 4832. 4844. 4847. 4865. 4903. 6304; et quod Dominus super monte Sinai ei apparuerit in fumo, nube, et caligine, secundum quale ejus, n: 1891 fin: 6832. 8814. 8819.

8929. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet instructionem porro, constat ex significatione dicere, quod sit instructio, nam dicere involvit quod sequitur, hic instructionem, ut quoque alibi, n: 6879. 6881. 6883. 6891. 7186. 7267. 7304. 7380. 8127.

8930. Ita dices ad filios Israëlis, quod significet illos qui ab Ecclesia spirituali, constat ex repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia spirituali, de qua n: 6426. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223. 7957. [84] 8234. 8805.

8931. Vos vidistis quod e coelo loquutus sim cum vobis, quod significet omnia Verbi per influxum a Divino per coelum, constat ex significatione e coelo loqui cum a Jehovah ad illos qui ab Ecclesia, qui repraesentantur per filios Israëlis, n: 8930, quod sit Verum Divinum, seu Verbum a Divino per coelum, nam quod loquitur Jehovah est Verum Divinum, ita Verbum quod in Ecclesia; et quod loquitur hoc transit per coelum. Sciendum quod coelum non sit in certo ac determinato aliquo loco, ita non secundum opinionem vulgarem in alto, sed coelum est ubi Divinum; ita apud unumquemvis et in unoquovis

qui in charitate et fide est, nam charitas et fides sunt coelum, quia sunt a Divino, ibi etiam habitant Angeli: quod coelum sit ubi Divinum, hoc est, Dominus, patet ex eo, quod Mons Sinai, e quo Dominus loquutus est, hic dicatur coelum; quae etiam causa est, quod per montem Sinai significetur Coelum, unde Divinum Verum, n: 8805. Quod omnia Verbi significentur, est quia Jehovah, seu Dominus, nunc coepit revelare Verbum, quod generi humano pro doctrina et vita inserviret; primum per Moschen, et postea per Prophetas; ut itaque scirent, quod Verbum a Divino per coelum esset, voluit Dominus Ipse descendere, ac viva voce promulgare decem praecepta, et sic ostendere, quod sequentia legis, hoc est, Verbi similiter per influxum a Divino per coelum essent.

8932. Non facietis cum Me deos argenti et deos auri, quod significet ut abstineant prorsus a talibus quae in forma externa apparent ut vera et bona, sed in interna sunt falsa et mala, constat ex significatione facere deos, quod sit colere, nam qui facit sibi deos, est propter cultum; ex significatione argenti, quod sit verum, et inde in opposito sensu falsum; et ex significatione auri, quod sit bonum, et inde in opposito sensu malum, de quibus n: **113. 1551. 1552. 2954. 5658. 6914. 6917. 7999**: quod sint quae apparent vera et bona in forma externa, at in interna sunt falsa et mala, est quia dicitur facere illos cum Me, hoc est, cum Jehovah Deo, nam Ipsum Divinum Verum et Bonum est in internis, et est quoque in externis, sed in his est Divinum Verum et bonum in typis repraesentativis, nam externa typo referunt et repraesentant interna; externa sunt falsa et mala, cum ab internis separata pro sanctis habentur seu coluntur, et tamen usque apparent sicut vera et bona, quia repraesentant illa: haec significantur per facere cum Jehovah Deo deos argenti et deos auri. Sequitur hoc praeceptum immediate post decem praecepta, ex causa quia populus Israëliticus et Judaicus talis erat, ut externa separata ab internis sancta haberet et prorsus ut Divina coleret; n: **3479. 3769. 4281. 4293. 4307. 4314. 4316. 4433. 4680. 4825. 4832. 4844. 4847. 4865. 4903. 6304. 6832. 8814. 8819**. Ut ulterius sciatur, quaenam et qualia sunt illa, quae in forma externa apparent ut vera et bona, sed interna sunt

falsa et mala, sint exemplo, omnes ritus Ecclesiae Judaicae, sicut sacrificia, suffitus, lavationes, et plures; illi in forma externa erant vera et bona, non ex se sed quia in typo referebant seu repraesentabant vera et bona interna, quae sunt amoris et fidei in Dominum, cum talia in externa forma pro sanctis habebantur, et magis cum colebantur, sicut a Judaeis et Israëlitis, cum facti idololatrae applicuerunt ad cultum deorum alienorum, tunc non aliud retinebant a veris et bonis quae typo referebant seu repraesentabant, quam apparentiam, quia in forma interna erant falsa et mala. Similiter se habebat cum reliquis, quae erant typi repraesentativi coelestium et Divinorum apud populum illum; externa enim quae repraesentabant interna, ut primum applicabantur ad cultum deorum aliorum, erant idola quae colebant, seu dii argenti et auri quos cum Jehovah Deo faciebant, nam tunc in forma externa apparebant ut vera et bona, sed in interna erant falsa et mala. In genere dii argenti et auri sunt omnia falsa et inde mala cultus, quae redduntur similia vero et bono per sinistras applicationes et interpretationes Verbi, et simul per ratiocinia ex propria intelligentia; talia significantur per deos Argenti et auri in sequentibus his locis; apud Esaiam „In die illo projiciet homo *idola argenti sui et idola auri sui*, quae fecerunt sibi ad incurvandum se talpis et vespertilionibus, ad intrandum in fissuras petrarum et in fissuras rupium" II: 20. 21, talpae et vespertiliones pro illis qui in tenebris, hoc est, in falsis et inde malis. Apud Eundem „In die illo rejicient vir *idola argenti sui et idola auri sui*, quae fecerunt vobis manus vestrae, peccatum" XXXI: 7, quae fecerunt manus pro quae ex propria intelligentia. Apud Eundem „Sculptile fundit artifex, et *conflator auro obducit*, et *catenas argenti conflat*" XL: 19, sculptilia pro illis quae ex proprio, n: 8869, auro obducere pro facere ut in extera forma appareant bona; catenas argenti conflare, pro facere ut cohaereant quasi nexa cum veris; quod aurum sit bonum et argentum verum, videantur loca supra citata. Similiter apud Jeremiam „Statuta gentium vanitas illa, siquidem lignum de sylva excidit, opus manuum fabri, *auro et argento exornat illud;* clavis et malleis firmant illa, ut non vacillet" X: 3. 4. Apud Hoscheam „Ephraimii addunt peccare, et faciunt sibi *fusile ex argen-*

to, in intelligentia sua idola, opus artificum totum » XIII: 2, Ephraim pro intellectuali Ecclesiae, n: 5354. 6222. 6234. 6238. 6267; fusile ex argento, pro falso apparente ut vero, quare dicitur in intelligentia sua; opus artificum totum, pro quod [85] omne per ratiocinia ex proprio. Apud Habakuk « Vae dicenti ligno, expergiscere, evigila lapidi silenti, hic docebit; *hic ecce fixus auro et argento*, sed spiritus non in medio ejus » II: 19, lignum pro malo, lapis pro falso; fixus auro et argento pro apparentia boni et veri per applicationes. Apud Danielem « Belschazar dixit, cum probe gustabat vinum, ut *adducerent vasa auri et argenti*, quae adduxerat Nebuchadnezar pater illius e Templo quod in Hierosolyma, ut biberent ex iis Rex et Magnates ejus, uxores ejus et pellices ejus, et biberent vinum, et laudarent *deos auri et argenti*, aeris, ferri, ligni, lapidis » V: 2. 3. 4. 23, vasa auri et argenti quae ex Templo Hierosolymae repraesentabant bona et vera Ecclesiae ac Regni Domini, bibere vinum ex illis significabat prophanare per mala et falsa, quae sunt dii auri et argenti. Apud Davidem « *Idola eorum argentum et aurum*, opus manuum hominis, os illis sed non loquuntur, oculi illis sed non vident » Psalm: CXV: 4. 5, Psalm: CXXXV: 15. 16, argentum et aurum, quae idola, pro falsis et malis; opus manuum hominis pro quod ex propria intelligentia. Apud Moschen « Sculptilia deorum gentium comburetis igne; *non concupisces argentum et aurum super illis* ut accipias tibi; abominatio namque Jehovae Dei tui illud; ideo non inferes abominationem in domum tuam, ut fiat devotio, sicut illud, abominando abominaberis illud » Deut: VII: 25. 26, argentum et aurum super sculptilibus pro falsis et malis quae coluntur ut vera et bona ex apparentia illis inducta.

8933. Non facietis vobis, quod significet quod sedulo cavendum, constat ex eo quod iterum dicatur quod non faciendum, iteratio seu repetitio involvit omnino, seu quod sedulo cavendum.

8934. Vers: 21. 22. 23. *Altare humi facies Mihi, et sacrificabis super illo holocausta tua et eucharistica tua, greges tuos et armenta tua, in omni loco, quo memoriam posuero Nominis Mei, veniam ad te, et benedicam tibi. Et si Altare lapidum facias Mihi, non aedificabis illos caesos, quia si cae-*

lum [86] tuum moveris super illo, et prophanabis illud. Et non ascendes in gradibus super ad altare meum, ut non reveletur nuditas tua super illo. Altare humi facies Mihi, significat repraesentativum cultus in genere ex bono: et sacrificabis super illo holocausta tua et eucharistica tua, significat cultum in specie secundum cujusvis statum vitae spiritualis: greges tuos et armenta tua, significat bona interna et externa: in omni loco quo memoriam posuero Nominis mei, significat statum fidei in Dominum apud unumquemvis: veniam ad te et benedicam tibi, significat praesentiam Divini tunc et influxum: et si altare lapidum facias Mihi, significat repraesentativum cultus in genere ex veris: non aedificabis illos caesos, significat quod non ex propria intelligentia: quia si caelum [86] tuum moveris super illo, significat si ex proprio: et prophanabis illud, significat quod tunc nullus cultus: et non ascendes in gradibus super ad altare meum, significat non elevationem ad interiora quae coelestia: ut non reveletur nuditas tua super illo, significat ideam cogitationis de illis sic falsis plenam, quae tunc manifestabitur.

8935. Altare humi facies Mihi, quod significet repraesentativum cultus in genere ex bono, constat ex significatione Altaris, quod sit principale repraesentativum Domini, et inde cultus Ipsius, de qua n: 921. 2777. 2811. 4489. 4541; et ex significatione humi, quod sit bonum: quod humus sit bonum, est quia per humum significatur Ecclesia quae in bono, n: 566, inde est quod Adam dictus sit ab humo, Genes: II: 7. Cap: III: 19, nam per illum significabatur homo Ecclesiae coelestis, seu Ecclesia quae in bono, n: 478. 479. Sunt duo, ex quibus fit cultus Domini, Bonum et Verum; cultus ex bono repraesentabatur per Altare ex humo, at cultus ex Vero repraesentabatur per Altare ex lapidibus; de utroque Altari hic agitur; haec duo, ex quibus fit cultus, vocantur fides et Charitas; cultus ex Vero se refert ad fidem, et cultus ex bono ad charitatem. Cum cultu ex fide et ex charitate, seu ex vero et ex bono, ita se habet; homo antequam regeneratus est, in cultu est ex vero, at cum regeneratus est in cultu est ex bono; nam antequam homo regeneratus est, ducitur ille per Verum ad bonum, hoc est, per fidem ad charitatem, sed cum regeneratus est, in bono est et inde in vero, hoc est, in Charitate est et inde in fide, n: 8516. 8539.

8643. [87] 8648. 8658; hi bini cultus sunt, qui repraesentantur per Altaria ex humo et ex lapide. Quod Altare sit principale repraesentativum Cultus Domini, est quia super illo fiebant holocausta et sacrificia; et haec erant, in quibus principaliter consistebat cultus Divinus Gentis Hebraeae, et inde gentis Israëliticae ac Judaicae, n: 923. 1343. 2180. 2805. 2807. 2830. 3519. [88] 6905.

8936. Et sacrificabis super illo holocausta tua et eucharistica tua, quod significet cultum in specie secundum cujusvis statum vitae spiritualis, constat ex significatione holocaustorum et sacrificiorum, quod sint omnis cultus internus in genere, cum varietate secundum varia genera coelestium et spiritualium, hoc est, boni quod amoris et veri quod fidei in Dominum, n: 922. 923. 2165. 2180. 2805. 2807. 2830. 3519. 6905; ita secundum omnem statum vitae spiritualis in specie: inde erat quod tam varii generis sacrificia essent instituta, ut praeter quotidiana, sabbathorum, festorum, noviluniorum, inaugurationum, sanctificationum, etiam pro omni reatu, peccato, mundatione, sanatione, partu; inde etiam erat, quod secundum statum varia genera animalium adhiberentur, prout boves, juvenci, agni, arietes, caprae, hirci, per quae in specie significabantur varia bona quae vitae spiritualis.

8937. Greges tuos et armenta tua, quod significet bona interna et externa, constat ex significatione gregum, quod sint bona interna, et ex significatione armentorum, quod sint bona externa, de quibus n: 2566. 5913: quod per greges significentur bona interna, est quia ad greges pertinent Agni, Oves, hoedi, caprae, arietes, hirci, per quos significantur talia quae sunt innocentiae, amoris coelestis et spiritualis in interno homine; et quod per armenta significentur bona externa, erat quia ad armenta pertinent boves, juvenci, vituli, per quos significantur talia quae sunt boni et veri in externo homine: quid boves significabant, videatur n: 2180. 2566. 2781; quid juvenci et vituli, n: 1824. 2830; quid Agni, n: 3519. 3994. 3519. 7840; quid oves, n: 4169; quid haedi et caprae, n: 3519. 4005. 4006. 4871; quid arietes, n: 2830. 4170; et quid hirci, n: 4169 fin: 4769.

8938. In omni loco in quo memoriam posuero Nominis

mei, quod significet statum fidei apud unumquemvis, constat ex significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387. 3404. 4321. 4882. 5605. [27] 7381, ita omnis locus est status unius cujusvis seu apud unumquemvis; quod sit status fidei, est quia Nomen Jehovae significat omne in uno complexu per quod colitur Dominus, ita omnia fidei et charitatis, n: 2724. 3006. 6674; proinde memoriam ponere Nominis Jehovae Dei, est apud quem seu in cujus corde charitas et fides est a Domino. Secundum sensum literae est, quod sacrificaturi essent holocausta et eucharistica, ita greges suos et armenta sua in Hierosolyma, quae erat locus, quem elegit Dominus ad cultum sui, ita in quo posuit memoriam Nominis sui; sed secundum sensum internum non intelligitur locus, sed unusquisque homo apud quem fides et charitas, nam per locum non significatur locus in sensu interno sed status, nec per nomen nomen, sed fides et cultus, ita intelligitur homo, qui in statu receptionis fidei est a Domino: praeterea in Hierosolyma, quae erat locus in quo Dominus per holocausta et eucharistica colebatur, repraesentabantur omnia quae Ecclesiae; inde per Hierosolymam in Verbo, et per Novam Hierosolymam in Apocalypsi, significatur Ecclesia Domini; et Ecclesia Domini est apud unumquemvis qui in statu receptionis charitatis et fidei est a Domino, ipse enim homo est Ecclesia, et plures, apud quos Ecclesia, faciunt Ecclesiam in communi; inde quoque patet, quod per in omni loco, quo posuero memoriam Nominis Mei, significetur status fidei apud unumquemvis.

8939. Veniam ad te et benedicam tibi, quod significet praesentiam Divini tunc et influxum, constat ex significatione venire ad aliquem, cum dicitur a Jehovah, quod sit praesentia, ut quoque n: 5934. 6063. 6089; et ex significatione benedicere, cum a Jehovah, quod sit donari fide et charitate, de qua n: 2846. 3406. 4981. 6091. 6099. 8674, ita quoque influere, nam fides et charitas a Domino apud hominem influunt; haec sunt benedictio in sensu interno, nam sunt quae hominem beatum et felicem reddunt in aeternum; ab homine cum in mundo vivit, benedictio vocantur quae eum [89] beatum et felicem reddunt in tempore, et sunt opes et honores; verum non sunt temporaria, quae in Verbi sensu interno intelliguntur, sed

sunt aeterna, ad quae temporaria respective nihili sunt; nam nulla ratio est inter temporarium et aeternum, ne quidem aliquot millia aut aliquot myriades annorum, nam haec finem habent, aeternum autem nullum; quapropter aeternum *Est*, quod enim absque fine est, id *Est*, habet enim *Esse* a Divino, quod Infinitum, Infinitum quoad tempus est Aeternum; at quod temporarium est, respective non Est, quia cum finitum est, non amplius est; inde quoque patet, quod Benedictio in spirituali sensu sit quae in se habet Esse a Divino, ita quae sunt vitae aeternae, proinde quae sunt charitatis et fidei: quod Benedictio mundana nihil sit respective ad Benedictionem coelestem quae aeterna, ita docet Dominus apud Matthaeum « *Quid prodest homini si totum mundum lucratus fuerit, animae autem jacturam fecerit* » XVI: 26: sed homo qui in mundanis et terrestribus est, non capit hoc Verbum, nam mundana et terrestria suffocant, et faciunt ut ne quidem credatur quod vita aeterna sit: at asseverare possum, quod homo, ut primum moritur, in altera vita sit, et vivat spiritus inter spiritus; et quod tunc sibi et reliquis ibi appareat prorsus sicut homo in mundo, praeditus omni sensu interno et externo, n: 1881; proinde quod mors corporis sit modo abjectio talium quae inserviverant pro usu et functione in mundo, ac praeterea quod ipsa mors sit continuatio vitae, sed in alio mundo, qui inconspicuus est coram oculis corporis terrestris, sed conspicuus ibi in luce quae millies excedit lucem meridianam mundi; hoc quia scio a tot annorum viva experientia adhuc continuata, ideo id assevero; loquor adhuc et loquutus sum paene cum omnibus quos notos habui in mundo, ac mortui sunt; cum quibusdam post binos aut tres dies ab obitu; plerique illorum indignati sunt valde, quod non crediderint aliquid vitae mansurae post mortem: cum illis loquutus sum non per diem, sed per menses et annos; et quoque datum est videre status vitae illorum succedaneos seu progredientes vel ad infernum vel ad coelum: quare qui vult felix esse in aeternum, sciat et credat quod victurus sit post mortem, id cogitet et ejus recordetur, nam veritas est: sciat etiam et credat, quod Verbum sit unica doctrina, quae docet quomodo victurus est homo in mundo, ut in aeternum felix sit.

8940. Et si altare lapidum facias Mihi, quod significet re-

praesentativum cultus in genere ex veris, constat ex significatione Altaris, quod sit repraesentativum cultus Divini in genere, de qua n: 921. 2777. 2811. 4489; et ex significatione lapidum, quod sint vera, de qua n: 643. 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798. 6426. 8609. Est cultus Domini ex bono, et est ex Vero; cultus Domini ex bono repraesentabatur per Altare ex humo, et cultus ex Vero per altare ex lapide; de uno et altero cultu videatur supra n: 8935. Quia altare ex lapide, significabat cultum ex Vero, idcirco mandatum erat, ut tale Altare erigeretur, cum primum transirent Jordanem, et venirent in terram Canaanem, et super illo scriberentur praecepta legis, hoc est, Vera Divina e coelo, nam per decem praecepta significantur omnia Vera Divina in summa, de altari illo ita apud Moschen „Cum transiveris Jordanem, eriges tibi lapides magnos, et incrustabis eos calce; deinde scribes super illos omnia verba Legis: post *aedificabis ibi Altare* Jehovae Deo tuo, *Altare lapidum, super quos non impelles ferrum;* ex lapidibus integris aedificabis Altare Jehovae Dei tui, et facies ascendere super eo holocausta et eucharistica; et scribes super lapides Altaris verba Legis probe exprimendo" Deut: XXVII: 1 ad 8. Josch: VIII: 30. 31. 32; quod scriberentur verba Legis super lapidibus Altaris, erat causa, quia per lapides significabantur Vera, et per Altare lapidum cultus ex veris; illa etiam causa fuit, quod decem praecepta, quae significabant Divina Vera in complexu, inscripta fuerint tabulis lapideis: quod id fieret, ut primum transiverunt Jordanem, erat causa, quia Jordanes, qui a parte deserti, erat terminus terrae Canaanis primus et ultimus, significabat introductionem in Ecclesiam seu coelum, quae fit per cognitiones veri et boni, ita per vera, ex Verbo, n: 4255; [90] omnes enim fluvii, qui erant termini illius terrae, significabant prima et ultima Regni Domini, n: 4116. 4240. Per lapides Altaris etiam significantur vera fidei apud Esaiam „Removebit peccatum, cum *posuerit omnes lapides Altaris* sicut *lapides calcis* dispersos" XXVII: 9; ibi de Vastatione Ecclesiae; lapides altaris sicut lapides calcis dispersi, pro quod ita vera fidei quae cultus. Quod Altaria in genere attinet, erant illa ex humo, ex lapidibus, ex aere, ex ligno, et quoque ex auro; ex aere, ligno et auro, quia haec significabant bonum; de altari

ex aere, videatur Ezech: IX: 2; de Altari ex ligno, Ezech: XLI: 22: et de Altari ex auro, quod erat altare suffitus, I Reg: VI: 22. Cap: VII: 48. Apoc: VIII: 3; quod [aes] significet bonum, videatur n: 425. 1551; quod lignum, n: 643. 2784. 2812. [91] 3720. 8354; tum quod Aurum, n: 113. 1551. 1552. 5658.

8941. Non aedificabis illos caesos, quod significet quod non ex propria intelligentia, constat ex significatione lapidum caesorum, quod sint talia quae ex propria intelligentia; lapides enim sunt vera, n: 8940, et illos secare seu aptare, est vera seu talia quae veris similia sunt excludere aut fingere ex proprio, seu ex propria intelligentia; quae enim ex proprio seu ex propria intelligentia excluduntur aut finguntur, vitam habent ex homine, quae vita est nulla vita, nam proprium hominis non est nisi quam malum, n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1047. 5660. 5786. 8480; at quod [92] non ex proprio sed ex Divino, id vitam in se habet, nam a Divino est omnis vita: agitur hic de Cultu Domini ex vero, nam is cultus per Altare lapidum significatur, n: 8940; Vera, ex quibus colendus est Dominus, non nisi quam ex Verbo sumenda sunt, nam in singulis ibi est vita a Divino: quando vera ex proprio sumuntur, spectant illa et pro fine habent dignitatem et eminentiam super omnes in mundo, et quoque possessiones terrae ac opulentiam super omnes, quare in se habent amorem sui et mundi, ita omnia mala in complexu, n: 7488. 8318; at vera quae ex Verbo spectant et pro fine habent vitam aeternam, et in se habent amorem in Dominum et amorem erga proximum, ita omnia bona in complexu: quando vera ex proprio seu ex propria intelligentia excluduntur, dominantur illa super vera quae a Divino, nam applicantur haec ad confirmanda illa; cum tamen contrarium erit, quod nempe Vera a Divino dominatura sint, et quae ex propria intelligentia servitura. Quae ex proprio seu ex propria intelligentia, dicuntur vera, sed non sunt vera, modo apparent ut vera in externa forma, nam per applicationes ex sensu literali Verbi, et per ratiocinia, redduntur Veris similia; in interna autem forma sunt falsa; quaenam et qualia sunt illa, videatur supra n: 8932. Sunt in mundo bina religiosa, quae sunt ex propria intelligentia; unum in quo amor sui et mundi omne est; hoc religiosum in Verbo vocatur Babel; est intus

prophanum ex amore sui et mundi, et extus est sanctum ex Verbo, quod applicuerunt ad confirmandum: Alterum religiosum est, in quo lumen naturae omne est; qui in illo sunt, nihil agnoscunt pro Vero quod non capiunt; quidam ex hoc religioso agnoscunt Verbum, sed applicant ad confirmandum, ita ad serviendum; quidam autem non agnoscunt Verbum, sed hi Divinum ponunt in natura, nam lumen eorum quia est naturae, in naturam cadit, nec illustrari potest a luce coeli, quia Verbum, unde omnis illustratio, rejiciunt: qui ex hoc aut illo religioso sunt, in inferno sunt, quia expertes vitae coelestis sunt, quam nec recipere possunt, quia rejecerunt Verbum; et qui eorum applicuerunt Verbum ad confirmandum, Verbum nihili fecerunt in corde, sed quia valuit auctoritate in vulgo, usi sunt eo pro illo servitio, ut figmenta ex propria intelligentia per id valerent. Ex his constare potest, quid in sensu spirituali significat, quod Altare non ex lapidibus caesis aedificandum esset. Per lapidem caesum etiam significatur id quod ex propria intelligentia in sequentibus locis; apud Esaiam „Ut cognoscant populus Ephraim, et habitator Samariae, propter elationem et superbiam cordis, dicendo, láteres ceciderunt, et *lapide caeso aedificabimus*" IX: 8. 9. Apud Jeremiam „Etiamsi clamo et vociferor, obstruit preces meas, *circumsepsit vias meas lapide caeso*, semitas meas evertit" Thren: III: 8. 9. Apud Amos „Quoniam conculcatis attritum, et onus frumenti rapitis ab eo, *domos lapidis caesi aedificabitis*, sed non habitabitis in iis" V: 11: ibi lapis caesus pro talibus in rebus fidei quae ex propria intelligentia. Quia illa per lapidem caesum significabantur, idcirco Altare primo exstructum in terra Canaane a filiis Israëlis postquam transiverunt Jordanem, a lapidibus non caesis exstructum est; nam per transitum super Jordanem repraesentabatur introductio in Regnum Domini, quae fit per vera fidei; de illo Altari ita apud Joschuam „Aedificavit Jehoschua Altare Deo Israëlis in monte Ebal, quemadmodum praecepit Moscheh servus Jehovae filiis Israëlis; *Altare lapidum integrorum, super quos non moverat ferrum*" VIII: 30. 31. Deut: XXVII: 1 ad 8. Templum Hierosolymae pariter ex lapidibus integris non caesis aedificatum est; de quo ita in Libro Primo Regum „Quoad ipsam domum, cum aedificaretur, *Lapide integro, prout*

allatus, aedificata est; nam malleus aut securis, ulla instrumenta ferri, non audita sunt in domo cum aedificaretur » VI: 7; per Templum enim Domini repraesentatus est Dominus quoad Divinum Verum; quod Dominus per Templum repraesentatus sit, docet Ipse, Joh: II: 19. 21. 22; et quod quoad Divinum Verum, erat quia id ibi docebatur; quare etiam aedificatum est ex lapidibus, nam per lapides significabatur Divinum Verum, n: 8940; inde etiam Ipse Dominus vocatus est Lapis Israëlis, n: 6426. Ex his nunc patet, quid lapis altaris, ut et quid lapis templi significabat, tum quid quod lapides integri essent, et non caesi; quod nempe Religio formanda sit a Veris ex Domino, ita ex Verbo, et non ex propria intelligentia. Quae ex propria intelligentia sunt, ita quoque describuntur apud Esaiam « Sculptile fundit Artifex, et conflator auro obducit illud, et catenas argenti conflat; artificem intelligentem quaerit ad praeparandum sculptile » XL: 19. 20; sculptile pro religioso quod ex proprio, quod datur adorandum sicut Divinum, n: 8869; artifex pro illis qui ex proprio excludunt et fingunt; ut appareant veris similia, describitur per quod auro obducat illud, catenas ex argento conflet, et artificem intelligentem quaerat. Apud Eundem « Formatores sculptilis omnes vanitas; omnes socii ejus pudefient, et fabri ipsi: fabricat ferrum forcipe, et operatur carbone, et malleis acutis format illud; sic operatur illud per brachium roboris sui: fabricat ligna, extendit filum, et describit illud amussi, facit illud in angulos suos, et circulo definit illud, ut faciat in forma viri, juxta pulchritudinem hominis, ad habitandum in domo » XLIV: 9. 11. 12. 13; [93] etiam hic describitur religiosum quod ex propria intelligentia. Similiter apud Jeremiam « Statuta gentium vanitas illa; siquidem lignum de sylva excidit, opus manuum fabri per securim; argento et auro exornat illud; clavis et malleis firmat » X: 3. 4: et quoque apud Hoscheam « Nihilominus nunc addunt peccare; et faciunt sibi fusile ex argento; in intelligentia sua idola, opus artificum totum » XIII: 2. Religiosum quod ex propria intelligentia excluditur, et non ex Verbo, intelligitur in sensu interno per Idola, Deos alienos, per Fusilia, et per Sculptilia; nam quae ex proprio, non aliud sunt; sunt enim in se mortua, et quoque adorantur sicut viva.

8942. Quia si caelum [86] tuum moveris super illo, quod significet si ex proprio, constat ex significatione caeli, [86] quod sit verum fictum, ita ex proprio; caelum [86] enim est ferrum, per quod lapides secantur et aptantur in formam; hic itaque est proprium hominis, nam hoc aptat, ut illa, quae religionis erunt, appareant in forma veri: pro caelo [86] alibi dicitur ferrum, alibi securis, ut Deut: XXVII: 5. Josch: VIII: 30. 31. I Reg: VI: 7. Es: XLIV: 10. 11. [12.] Hosch: [XIII: 2. Jerem:] X: 3. 4; et per illa instrumenta significantur talia quae propriae intelligentiae sunt et fingunt.

8943. Et prophanabis illud, quod significet quod tunc nullus cultus, constat ex significatione prophanare, quod sit facere ut non sit aliquis cultus; quod enim ex propria intelligentia est, hoc in se expers vitae est, imo spiritualiter mortuum; nam proprium hominis non est nisi quam malum; quapropter si ex eo fit cultus Divinus, is cultus non aliud est quam sicut cultus idoli, sculptilis seu fusilis, in quibus non spiritus, hoc est, non vita: at quod ex Verbo est, id solum pro cultu Divino inservit, est enim id in se vivum; intus enim in singulis Verbi est sensus spiritualis, qui agit de Regno Domini, et intus in illo sensu est Divinum, nam Verbum in intimo suo sensu agit de solo Domino; inde est sanctitas et vita Verbi, et non aliunde: Verbum est sicut Divinus homo, sensus literalis est ejus quasi corpus, at sensus internus est ejus quasi anima; inde patet, quod vivat sensus literalis per sensum internum. Apparet, sicut sensus literalis evanescat seu moriatur per sensum internum; sed contrarium est, non evanescit, minus moritur, sed per sensum internum vivit. Ex his nunc constat, quod ex illis, quae sunt Verbi, existat cultus vere Divinus, et nullatenus ex illis quae sunt intelligentiae propriae: inde est, quod per si moveris caelum [86] super altari, prophanabis illud, significetur, si non ex Verbo, sed ex propria intelligentia finxeris talia quae cultus Divini erunt, quod nullus cultus sit.

8944. Creditur in mundo, quod homo ex naturae lumine, ita absque revelatione, scire possit plura quae religionis sunt, sicut quod Deus sit, quod ille colendus, et quoque quod amandus, tum quod homo victurus sit post mortem, et plura alia, quae ab illis pendent; et tamen ea sunt quae ex propria intelli-

gentia; sed instructus sum per multam experientiam, quod homo ex se prorsus nihil sciat de Divinis, et de illis quae vitae coelestis ac spiritualis sunt, absque revelatione; homo enim nascitur in mala amoris sui et mundi; quae sunt talia quae praecludunt influxum e coelis, et aperiunt influxum ab infernis, ita quae occaecant hominem, et ponunt in negativo quod Divinum sit, quod coelum et infernum, quodque vita post mortem: hoc patet manifeste ex eruditis orbis, qui lumen suae naturae per scientias evexerunt supra lumen aliorum; quod hi prae aliis negent Divinum, et pro Divino agnoscant naturam, notum est; et quoque quando ex corde et non ex doctrina loquuntur, quod negent vitam post mortem, tum coelum et infernum; consequenter omnia quae fidei sunt, quae vocant vincula pro vulgo; inde patet, quale est lumen naturae absque revelatione; ostensum quoque est, quod plures qui Theologiam Naturalem scripserunt, et ex lumine suae naturae dextre confirmaverunt illa quae doctrinae Ecclesiae suae fuerunt, in altera vita prae reliquis corde eadem negent, et quoque ipsum Verbum, quod prorsus destruere conantur; nam in altera vita corda loquuntur; ostensum quoque est, quod iidem nihil influxus e coelo possint recipere, sed solum ab infernis: inde patuit quale lumen naturae est absque revelatione, proinde quale id quod ex propria intelligentia. Sed duo obvenerunt, quae de ea re mentem in dubio ponebant; primum quod Antiqui, qui gentiles, usque noverint quod Divinum sit, quod Hoc colendum, quodque homo quoad Animam immortalis sit; alterum, quod etiam illa sciant plures gentes hodie, apud quas nulla revelatio: sed quod Antiquos concernit, illi non ex lumine suae naturae id sciverunt, sed ex revelatione, quae usque ad illos ab Ecclesia emanavit; Ecclesia enim Domini ab Antiquissimis temporibus fuerat in terra Canaane, n: 3686. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136. 6516; inde emanaverunt talia, quae cultus Divini erant, ad gentes circumcirca, et quoque ad Graecos vicinos, et ab his ad Italos seu Romanos; inde his et illis cognitiones de summo Numine, et de immortalitate Animae, de quibus Eruditi illorum scripserunt: Quod attinet Gentes hodie, quae etiam sciunt quod Divinum sit, et quod Vita post mortem, id non habuerunt ex lumine Naturae suae, sed ex religioso quod ab Antiquis temporibus traxerunt, quod

T*

fundatum est super talibus, quae per varias vias emanaverunt ab Ecclesia, ubi Revelatio; hoc ex Divina Domini Providentia fuit; et quoque qui illorum ex religioso suo agnoscunt Divinum super omnia, et ex religioso suo praestant charitatis officia proximo, quod in altera vita, cum instruuntur, recipiant vera fidei, et salventur, n: 2589 ad 2604.

8945. Et non ascendes in gradibus super ad Altare meum, quod significet non elevationem ad interiora, quae coelestia, constat ex significatione ascendere per gradus, quod sit elevare se ad superiora seu ad interiora; sive dicas interiora sive superiora, idem est, nam interiora apparent sicut superiora, n: 2148. 3084. 4210. 4599; et ex significatione Altaris, quod sit principale repraesentativum Domini, de qua n: 921. 2777. 2811; ita per ascendere in gradibus super ad altare meum, est se elevare ad Dominum, proinde ad interiora quae coelestia, nam Dominus praesentior est in interioribus; coelestia dicuntur quae in intimo coelo, spiritualia autem quae in medio; Coelum enim distinctum est in bina Regna, nempe in Regnum coeleste et in Regnum spirituale; qui in Regno coelesti sunt, in intimo seu tertio coelo sunt, ita proximi Domino; qui enim ibi sunt, in amore in Dominum sunt, et in innocentia, proinde in sapientia prae omnibus reliquis; at qui in Regno spirituali sunt, in medio seu secundo coelo sunt, ita remotiores a Domino; qui ibi sunt, in charitate erga proximum sunt, et per Charitatem apud Dominum: de binis illis Regnis, et de illorum differentia, videatur n: 2048. 2088. 2227. 2507. 2669. 2708. 2715. 2718. 3235. 3246. 3374. 3887. 4448. 4585. 4938. 4939. 5113. 5922. 6367. 6435. 7877. Paucis explicandum est, quomodo se habet cum elevatione versus interiora, ita ad coelestia, quae significantur per ascendere in gradibus super ad altare; non conceditur alicui in altera vita altius in coelum elevari quam ad gradum boni in quo est; nam si altius, tunc manifestantur spurca ejus, hoc est, mala amorum ejus, et falsa inde; quo enim interius est, eo purius et sanctius est in coelo; qui in impuriori statu sunt, illi tenentur in sphaera inferiore, ubi impura non percipiuntur nec apparent, sunt enim in bono crassiori et in Vero obscuriori. Quandoque evenit, quod qui in coelum veniunt, cupiant venire in coelum interius, credunt quod sic fruituri ma-

jori gaudio; ut cupido illa, quae inhaeret, auferatur, elevantur etiam in coelum interius; sed cum eo veniunt, tunc incipiunt angi ex malis amorum suorum, quae tunc ad perceptionem veniunt, et quoque fiunt deformes ex falsis quae ex malis apud illos; his perceptis, ex interiori coelo se dejiciunt, et non prius ad statum tranquillum et pacificum, quam cum in stationem suam priorem, redeunt: haec sunt, quae significantur per quod non ascendes [94] in gradibus super ad Altare meum, ut non reveletur nuditas tua super illo. Similiter se habet cum illis qui infra coelum sunt, illi si antequam praeparati cupiunt ascendere in coelum, cum illuc elevantur, sentiunt cruciatum paene infernalem, et apparent sibi sicut cadavera; laborat etiam ipsa vita apud illos, sicut vita apud illos qui in agone mortis sunt; quare se praecipites inde dejiciunt; et postea non amplius cupiunt ascendere supra statum vitae in qua sunt. Sciendum est, quod in altera vita nemini coelum a Domino negetur, et quod admitti queant quotcunque volunt; (Coelum consistit ex societatibus angelorum, qui in bono amoris erga proximum, et amoris in Dominum) in talium societates intromittuntur cum in coelum; sed cum sphaera vitae eorum, hoc est, cum vita amoris illorum non concordat, tunc fit conflictus, inde angor illis, et dejectio: ita instruuntur de vita coeli, et de suaemet vitae statu respective, tum de eo quod coelum non sit alicui per quod recipiatur aut intromittatur, prout communis opinio est in mundo, ut et quod homo per vitam in mundo talis fiet, ut possit cum illis esse, qui in coelo sunt; sed [95] videantur quae de his ab experientia prius dicta et ostensa sunt, n: 3938. 4225. 4226. 4299. 4674. 5057. 5058. 7186. 7519. 8794. 8797. Haec sunt quae significantur per hoc statutum, quod non in gradibus ascendent super ad Altare, ne reveletur nuditas tua super eo: tum per simile Exod: XXVIII: 42. 43. Ascendere in Gradibus dicitur, ex causa quia elevatio ad interiora apparet in mundo spirituum, ubi coelestia et spiritualia sistuntur in formis mundanarum similibus, sicut ascensus per gradus; hoc repraesentativum datum est saepius videre: inde quoque erat, quod Jacobo in somno visi sint Angeli ascendere ad Dominum per gradus scalae, Genes: XXVIII: 12; ideo quoque per gradus in Verbo significatur ascensus ad superiora, hoc est, interiora; ut apud Ezechielem Cap: XL: 6. 22.

26. 31. 34: et apud Amos „Dominus Jehovih Zebaoth *aedificat in coelis gradus suos*" IX: 6.

8946. Ut non reveletur nuditas tua super illo, quod significet ideam cogitationis de illis sic falsis plenam, quae tunc manifestabitur, constat ex significatione nuditatis, quod sit destitutum veris, de qua n: 5433, ita idea cogitationis falsis plena; et ex significatione revelari, quod sit manifestari. Quomodo cum hoc se habet, mox supra n: 8945, explicatum est, quod nempe homo, spiritus seu angelus, appareat qualis est quoad utramque vitam, quoad vitam cogitationis de veris, et quoad vitam voluntatis de bonis, si interius in coelum elevatur; nam quo interius in coelis, eo purius bonum et purius verum; ne itaque appareant falsa quae cogitationis et mala quae voluntatis, sed abscondantur, ideo tenentur in inferioribus, ubi in obscuriore luce sunt respective. Ex his quoque constare potest, quid intellectum fuit per quod nemo possit videre Jehovam, et vivere, nam Jehovah est purus Amor, et ab Ipso est pura lux, in illis videri est perire; idcirco etiam ipsi angeli in coelo nube teguntur, n: 6849; et idcirco omnes, qui in inferno, obvelantur densis nimbis, n: 3340. 8137. 8138. 8814. 8819; nam nimbi sunt falsa.

De Spiritibus et Incolis Planetae Saturni.

8947. *Spiritus ex illa Tellure, et quoque ipsa Tellus, apparet antrorsum ad insignem distantiam, in plano inferioris partis genuum; et cum aperitur illuc oculus, in conspectum venit multitudo spirituum, qui omnes sunt ex illa Tellure; conspiciuntur ab hac Telluris istius parte, et ad dextram.*

8948. *Datum etiam est cum illis loqui, et inde cognoscere quales sunt respective ad alios: sunt probi, et sunt modesti; et quia se parvos aestimant respective, ideo quoque in altera vita apparent parvi; nam ibi apparentia cujusvis est secundum animum ejus et secundum vitam.*

8949. *In Cultu sunt perquam humiles; nam in illo se pro nihilo aestimant; colunt Dominum nostrum, et ipsum pro Uni-*

co Deo agnoscunt; Dominus enim apparet quandoque illis qui in Tellure illa sub forma Angelica, et sic ut homo; et tunc Divinum elucet ex facie, et afficit animum. Incolae etiam, cum ad aetatem perveniunt, loquuntur cum spiritibus, a quibus instruuntur de Domino, et quomodo colendus, tum quomodo vivendum.

8950. *Spiritus illius telluris, quando aliqui illos volunt seducere, et a fide in Dominum abstrahere, aut ab humiliatione erga Ipsum, et a probitate vitae, dicunt se mori velle; apparent tunc in manibus illorum parvi cultri, per quos pectora sua percutere velle videntur: cum interrogantur cur ita faciunt, dicunt, quod potius mori velint, quam abduci a Domino. Spiritus nostrae telluris quandoque irrident illa, et infestant interrogationibus cur ita faciunt; sed tunc respondent, se probe scire quod semet non interimant, sed quod hoc solum apparentia sit effluens ex voluntate animi illorum, quod potius mori velint, quam abstrahi a cultu Domini.*

8951. *Sunt quoque in Tellure illa qui Lumen nocturnum, quod magnum est, vocant Dominum; sed illi separantur a reliquis, et inter illos non tolerantur. Lumen illud nocturnum, ex magno illo cingulo, quod ad distantiam ambit Tellurem illam, et a lunis, quae satellites Saturni vocantur, effunditur.*

8952. *Interrogati sunt de magno illo cingulo, quod e nostra Tellure apparet se elevare supra horizontem planetae istius, et variare situs; dicebant quod id illis non appareat ut cingulum, sed solum ut niveum in coelo varia directione.*

8953. *Incolae et spiritus illius Telluris, referunt id in homine, quod medium est inter sensum spiritualem et sensum naturalem, at recedunt a naturali, et accedunt ad spiritualem. Inde est quod spiritus illi sibi videantur saepe auferri aut rapi in coelum, ac postea remitti, et ita alternis; nam quicquid sensus spiritualis est, hoc in coelo est; at quicquid sensus naturalis est, hoc infra coelum est.*

8954. *Non ibi Urbes, nec regna sunt, sed vivunt distincti in familias, unaquaevis familia separata ab alia; ita vir et uxor cum suis liberis; hi cum conjugia jungunt, separantur a domo parentum, nec eam amplius curant: quapropter spiritus ex illa Tellure apparent bini et bini.*

8955. *Omnes in illa Tellure, secus ac in nostra, sciunt quod victuri sint post mortem; quapropter etiam corpora sua nihili faciunt, modo quantum propter vitam, quam dicunt permansuram et servituram Domino: ideo quoque corpora mortuorum non sepeliunt, sed projiciunt, et tegunt ramis arborum e sylva.*

8956. *De victu et vestitu etiam parum solliciti sunt, vescuntur fructibus et leguminibus varii generis, quae Tellus eorum producit; et vestiuntur leviter, nam crassa cute seu tunica, quae repellit frigus, cincti sunt.*

8957. *Continuatio de spiritibus et incolis Telluris Saturni, ad finem Capitis sequentis.*



EXODI

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Doctrina Charitatis.

8958. Qui regenerantur, Tentationes subeunt.

8959. Tentationes sunt pugnae spirituales apud hominem; nam sunt pugnae inter malum quod in illo ab inferno, et inter bonum quod in illo a Domino.

8960. Tentatio inducitur a malis spiritibus, qui apud hominem in ejus malis et falsis habitant, hi excitant mala ejus, et incusant eum; at Angeli a Domino, qui in ejus bonis et veris habitant, evocant vera fidei quae apud ipsum, et defendunt.

8961. In Tentationibus agitur de dominio mali, quod apud hominem ab inferno, et boni quod apud illum a Domino: malum quod dominari vult, est in naturali seu externo homine, at bonum est in spirituali seu interno: inde est, quod etiam in tentationibus agatur de dominio unius super alterum: si malum vincit, tunc naturalis homo dominatur super spiritualem; si bonum vincit, tunc spiritualis homo dominatur super naturalem.

8962. Pugnae illae fiunt per vera fidei quae ex Verbo, ex illis pugnabit homo contra mala et falsa; si ex aliis quam ex illis, non vincit, quia in aliis non est Dominus.

8963. Quia pugna fit per vera fidei quae ex Verbo, idcirco homo non prius in pugnam admittitur, quam cum in veri et boni cognitionibus est, et inde aliquam vitam spiritualem adeptus est: quapropter pugnae illae non prius apud hominem existunt, quam cum is aetate adoleverat.

8964. Qui non habet apud se vera fidei ex Verbo, per quae pugnet, ita qui non habet aliquam vitam spiritualem in se ex illis, is non admittitur in aliquam pugnam, quoniam succumbit: et si homo succumbit, fit status ejus post tentationem pejor statu ejus ante illam: quippe malum tunc acquisivit sibi potentiam super bonum, et falsum super verum.

8965. Quia hodie fides rara est, est enim Ecclesia in suo fine, idcirco pauci hodie aliquas tentationes spirituales subeunt; inde est, quod vix sciatur quid sunt, et ad quid conducunt.

8966. Tentationes conducunt ad confirmanda vera fidei, tum ad implantanda illa, et ad insinuanda in voluntatem, ut fiant bona charitatis: homo enim, ut prius dictum est, pugnat ex veris fidei contra mala et falsa, et quia tunc mens ejus est in veris, cum vincit, confirmat se in illis, ac implantat ea; et quoque mala et falsa, quae impugnarunt, pro hoste habet, et a se rejicit. Per tentationes etiam concupiscentiae, quae sunt amorum sui et mundi, domantur, et homo humiliatur; ita aptus redditur ad recipiendum vitam coeli a Domino; quae vita est vita nova qualis est regenerato.

8967. Quia per tentationes confirmantur vera fidei, et implantantur bona charitatis, et quoque domantur concupiscentiae mali, sequitur quod per tentationes dominium acquiratur spirituali seu interno homini super naturalem seu externum, ita bono quod charitatis et fidei super malum quod amoris sui et mundi. Quo facto, homini fit illustratio et perceptio quid verum et quid bonum, tum quid malum et falsum; et inde intelligentia et sapientia, quae postea indies crescunt.

8968. Homo cum per vera fidei introducitur ad bonum charitatis, tunc tentationes subit; at cum in bono charitatis est, cessant tentationes; tunc enim in coelo est.

8969. In tentationibus pugnare debet homo contra mala et falsa sicut ex se, sed usque credet quod ex Domino; si non credit id in ipsa tentatione, quia tunc ei obscurum est, usque credet post illam. Si homo post tentationem non crediderit, quod Dominus solus pugnaverit pro illo, et vicerit pro illo, tunc tentationem modo externam subiverat; quae tentatio non alte penetrat, nec aliquid fidei et charitatis irradicat.

CAPUT XXI.

1. Et haec judicia, quae pones coram illis.

2. Cum emeris servum Hebraeum, sex annis serviet, et in septimo exibit ad liberum gratis.

3. Si in corpore suo venerit, in corpore suo exibit; si dominus mulieris, et exibit mulier illius cum illo.

4. Si dominus ejus dederit ei mulierem, et pepererit ei filios aut filias, mulier et nati hujus erit domino ejus, et ille exibit in corpore suo.

5. Et si dicendo dixerit servus, diligo dominum meum, mulierem meam, et liberos meos, non exibo liber.

6. Et adducet illum dominus ejus ad Deum, et adducet illum ad januam vel ad postem, et perforabit dominus ejus aurem ejus subula, et serviet illi in perpetuum.

7. Et cum vendiderit vir filiam suam ad ancillam, non exibit secundum exire servorum.

8. Si mala in oculis domini sui, ut non desponset eam, et redimatur; populo alienigenae non potestatem habebit vendendi eam; perfide agendo illum in eam.

9. Et si filio suo desponsaverit eam, secundum judicium filiarum faciet ei.

10. Si alteram acceperit sibi, victum ejus, tegumentum ejus, et debitum conjugiale ejus non diminuet.

11. Et si tria haec non fecerit ei, et exibit gratis nullo argento.

12. Percutiens virum et moriatur, moriendo morietur.

13. Et qui non insidiatus est, et Deus occurrere fecerit ad manum illius, et ponam tibi locum quo fugiat illuc.

14. Et cum ex proposito egerit vir contra socium suum ad occidendum illum dolo, a cum Altari meo sumes illum ad moriendum.

15. Et percutiens patrem suum et matrem suam, moriendo morietur.

16. Et furans virum, et vendens illum, et inventus fuerit in manu illius, moriendo morietur.

17. Et maledicens patri suo et matri suae, moriendo morietur.

18. Et cum litigaverint viri, et percusserit vir socium suum lapide vel pugno, et non moritur, et decumbit in lecto.

19. Si surrexit et ambulaverit foris super scipione suo, insons erit percutiens; tantum cessationem ejus dabit, et curando curabit.

20. Et cum percusserit vir servum suum aut ancillam suam baculo, et moriatur sub manu ejus, vindicando vindicabitur.

21. Attamen si diem vel biduum steterit, non vindicabitur, quia argentum ejus ille.

22. Et cum rixati fuerint viri, et plaga affecerint mulierem gravidam, et exiverint partus ejus, et non fit damnum, mulctando mulctabit, quemadmodum imposuerit super illum dominus mulieris, et dabit in judices.

23. Et si damnum fuerit, et dabis animam pro anima.

24. Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.

25. Ustionem pro ustione, vulnus pro vulnere, plagam pro plaga.

26. Et cum percusserit vir oculum servi sui, vel oculum ancillae suae, et corruperit eum, ad liberum mittet illum pro oculo ejus.

27. Et si dentem servi sui, vel dentem ancillae suae, excusserit, ad liberum mittet illum pro dente ejus.

28. Et cum cornu ferierit bos virum aut mulierem, et moriatur, lapidando lapidabitur bos, et non comedetur caro ejus, et dominus bovis insons.

29. Et si bos cornupeta ille ab heri nudius tertius, et testatum domino ejus, et non custodiverit eum, et occiderit virum aut mulierem, bos lapidabitur, et etiam dominus ejus morietur.

30. Si expiatio posita sit super illum, et dabit redemtionem animae suae, secundum omne quod positum super illo.

31. Aut filium cornu ferierit, aut filiam cornu ferierit, secundum judicium hoc fiet ei.

32. Si servum cornu ferierit bos vel ancillam, argentum triginta siclorum dabit domino illius, et bos lapidabitur.

33. Et cum aperuerit vir foveam, vel cum foderit vir foveam, et non operuerit illam, et ceciderit illuc bos vel asinus.

34. Dominus foveae rependet, argentum reddet domino ejus, et mortuum erit sibi.

35. Et cum plaga affecerit bos viri bovém socii sui, et moriatur, et vendent [1] bovem vivum, et divident argentum ejus, et etiam mortuum divident.

36. Vel notum, quod bos cornupeta ille ab heri nudius tertius, et non custodiverit eum dominus ejus, rependendo rependet bovem pro bove, et mortuus erit sibi.

37. Cum furatus fuerit vir bovem vel pecudem, et mactaverit illud, vel vendiderit illud, quinque boves rependet pro bove, et quatuor pecudes pro pecude.

CONTENTA.

8970. Agitur in hoc Capite in sensu interno de illis qui laedunt aut destruunt verum fidei vel bonum charitatis apud se vel apud alios; quae poena, et quae restitutio: talia involvunt judicia seu leges ibi de servis, de nece aut damno sociis aut servis illatis; tum de bobus cornupetis, et de fovea.

SENSUS INTERNUS.

8971. Quod Verbum sit sanctum, imo sanctissimum, cuivis intra Ecclesiam notum est; hoc non modo agnoscunt, sed etiam appercipiunt illi qui in Veris fidei sunt et in vita secundum illa, nam hi tenentur continue in idea sancti cum legunt Verbum: at qui non in veris fidei sunt et in vita secundum illa, non agnoscunt, minus appercipiunt aliquid sancti in Verbo; hi cum legunt illud, non vident aliquid sublimius in illo, quam in alio quodam scripto; et qui negant corde suo Verbi sanctitatem, etiam secum dicunt, cum legunt illud, quod scripta hominum elegantiora sint, quia elegantiori stylo quoad sensum literalem concinnata; hoc per vivam experientiam testatum mihi factum est ab illis in altera vita, qui corde suo negaverunt Verbum inspiratum a Divino esse; at quum illis dictum est, quod Verbum sanctum et Divinum esset quoad omnem ibi jotam, ac quoad

omnium minimum ibi apicem, tunc steterunt et mirati sunt unde id; et cum illis ulterius dictum, et quoque ad vivum ostensum, quod omnia quae in Verbo sunt, in se sensum spiritualem qui non apparet in litera, contineant, et quod ille sensus Verbi sit Angelis in coelo, quando ab homine legitur Verbum, tunc agnoverunt, quia ostensum, sed dixerunt, quod hoc non in mundo sciverint, et quia non sciverunt, quod absque culpa sint: sed cum iidem explorati sunt, animadversum est, quod illi vixerint ad omnem lubitum, absque ullis fraenis a conscientia, et quod ideo corde suo negaverint Divinum, Coelum et infernum, vitam post mortem, et reliqua fidei, et quod hoc fuerit causa quod sanctitatem Verbi non agnoverint; et ulterius testatum est, quod omnes illi qui in veris fidei fuerunt, et in vita secundum illa, Verbum pro sancto habuerint, et quoque apud se id perceperint cum legerunt; inde evicti sunt, quod causa non fuerit in Verbo, sed in ipsis: illis enim, qui in vita boni sunt, interiora aperta sunt in coelum, unde influit sanctum Verbi ab angelis; at qui in vita mali sunt, interiora clausa sunt versus coelum, sed aperta in infernum, unde influit contrarium. Sint pro exemplo judicia seu leges in hoc Capite de servis, de ancillis, de bobus; qui sanctitatem Verbi negant, quia in vita mali sunt, illi dicturi sunt, quod in illis judiciis seu legibus non aliquid Divinum videant; sicut, quod servus, qui non vult exire liber, adduceretur ad januam seu postem, et dominus ejus perforaret aurem ejus subula, et sic serviret in aeternum: tum, si servus percussus vixerit diem vel biduum, dominus percussor non puniretur, quia argentum ejus ille: ut et quod servus liber esset pro oculo et pro dente; quod bos cornupeta lapidaretur; praeter reliqua quae ibi: qui Verbi sanctitatem negant corde suo, illi haec vident sicut non digna Verbo, minus digna quod ab Ipso Jehovah in monte Sinai dictarentur; similiter reliqua in Verbo tam Historico quam Prophetico: sed causa cur illa ita videant, est quia illis coelum est clausum propter vitam mali, inde eis perceptio contraria; aliter prorsus eis qui in vita boni sunt. Unde sanctitas Verbi, quae influit e coelo, constat ex omnibus illis quae de sensu interno Verbi hactenus dicta et ostensa sunt, quod nempe soli Verbo sit sensus internus, et quod ille sensus agat de talibus quae sunt coeli, quae sunt vitae

aeternae, et quod intime de solo Domino, ita de rebus sanctis, imo de ipsis divinis quae sanctissima; et quod ille sensus sit angelis, qui apud hominem cum legitur Verbum, consequenter quod inde influxus sancti, et perceptio ejus apud illos qui in vita fidei et charitatis sunt. Quod attinet judicia seu leges de servis, ancillis, bobus, in hoc Capite, illa in sensu interno continent talia quae sunt ordinis Divini de illis qui in Vero fidei sunt, tum de illis qui laedunt aut destruunt ea quae fidei et charitatis sunt, et ea quae amoris in Dominum, ac in sensu intimo quae Ipsum Dominum: inde cuivis constare potest, quam sancta in se sunt, utcunque non ita in litera apparent.

8972. Vers: 1. *Et haec judicia quae pones coram illis*, significat vera exteriora, qualia erunt in statu civili ubi ecclesia repraesentativa, quae fluunt ex veris internis quae sunt ordinis in coelis; quod haec significentur per judicia quae ponerentur coram filiis Israëlis, constat ex significatione judiciorum, quod sint vera, de qua n: 2235. 6397. 7206. 8685. 8695. Quod judicia sint vera, est quia omne judicium fit per vera, inde per facere judicium in Verbo significatur facere verum, hoc est, judicare secundum vera. At per judicia in plurali significantur leges civiles, ita vera exteriora qualia sunt in statu civili: ubi ecclesia repraesentativa dicitur, ex causa quia interius in se continent et involvunt illa vera quae sunt ordinis in coelis, prout constare potest a sensu interno illorum. Leges quae a Domino latae et mandatae sunt filiis Israëlis, distinguebantur in *Praecepta, Judicia*, et *Statuta;* praecepta dicebantur quae erant vitae, judicia quae erant status civilis, et statuta quae erant cultus. Quod judicia in specie attinet, sunt talia quae continentur in hoc capite, et quoque in aliquibus sequentibus; serviverant illa pro legibus in ecclesia, ubi interna, quae sunt coeli et ecclesiae, per externa repraesentabantur; non autem serviunt pro legibus in ecclesia, ubi interna per externa non amplius repraesentantur, ut in Ecclesia Christiana; causa est, quia homini hujus ecclesiae interna revelata sunt, et ideo per interna fit communicatio cum coelo, non autem per externa, ut prius: ea causa est, quod homo ecclesiae christianae non teneatur observare illa quae judicia et statuta vocantur in externa forma, sed in interna: Sanctitas usque illis manet, quia in se continent sancta;

sicut etiam omnibus et singulis in Verbo quae de sacrificiis mandata sunt; haec tametsi abrogata sunt, usque sancta Verbi sunt ex divinis quae in illis et quae repraesentabant; nam cum leguntur ab homine christiano, divina quae in illis et quae repraesentabantur, appercipiuntur in coelis, ac implent angelos sancto, et tunc simul hominem qui legit per influxum ab angelis, et magis si ipse homo tunc simul cogitat de divinis quae in illis: inde patet, quod Verbum etiam Veteris Testamenti sanctissimum sit. Quod Leges a Domino latae et mandatae filiis Israëlis, distinctae fuerint in Praeçepta quae Vitae, in Judicia quae status civilis, et statuta quae cultus, patet apud Moschen, „Jehovah dixit ad Moschen, abi dic illis, redite vobis in tentoria vestra, tu autem hic sta mecum, *ut loquar ad te omnia Praecepta, et statuta, et judicia*, quae docebis eos, ut faciant ea" Deut: V: 28. Apud Eundem „Caeterum haec sunt *Praecepta, Statuta*, et *Judicia*, quae praecepit Jehovah Deus vester, ad docendum vos," Deut: VI: 1. Apud Eundem, „Ideo custodies *Praecepta* et *Statuta* et *Judicia*, quae ego praecipiens tibi hodie ad faciendum ea," Deut: VII: 11. Apud Davidem, „Si deserent filii ejus Legem meam, et *in Judiciis meis*, non ambulant, si *Statuta mea* prophanant, et *Praecepta mea* non servant; visitabo virga praevaricationem eorum," Ps: LXXXIX: 31. 32. 33. Praeterea omnes Leges, quatenus Ecclesiae Repraesentativae erant, in genere vocabantur Judicia et Statuta; ut apud Moschen, „Jam ergo Israël, audi *Statuta* et *Judicia*, quae ego docturus vos ut faciatis: quae gens magna, cui *Statuta* et *Judicia* justa, sicut omnis lex haec, quam ego daturus coram vobis hodie," Deut: IV: 1. [8.] Cap: V: 1. Apud Ezechielem, „Hierosolyma mutavit *Judicia mea* in impietatem prae gentibus, et *statuta mea* prae terris, quae circum eam; nam *Judicia mea* repudiarunt, et in *statutis meis* non ambularunt," V: 6. 7. Apud Eundem, „In *statutis meis* ambulent, et *judicia mea* custodiant, ad faciendum veritatem," XVIII: 9; praeter pluries alibi, ut Levit: XVIII: 5. Cap: XIX: 37. Cap: XX: 22. Cap: XXV: 18. Cap: XXVI: 15. Deut: XXVI: 17. Ezech: XI: 12. 20. Cap: XX: 11. 13. 25. Cap: XXXVII: 24.

8973. Vers: 2. 3. 4. 5. 6. *Cum emeris servum Hebraeum, sex annis serviet, et in septimo exibit ad liberum gratis. Si in*

corpore suo venerit, in corpore suo exibit, si dominus mulieris ille, et exibit mulier illius cum illo. Si dominus ejus dederit ei mulierem, et pepererit ei filios aut filias, mulier et nati hujus erit domino ejus, et ille exibit in corpore suo. Et si dicendo dixerit servus, diligo dominum meum, mulierem meam, et liberos meos, non exibo liber. Et adducet illum dominus ejus ad Deum, et adducet illum ad januam vel ad postem, et perforabit dominus ejus aurem ejus subula, et serviet illi in perpetuum. Cum emeris servum Hebraeum, significat illos intra Ecclesiam qui in veris doctrinae, et non in bono secundum illa: sex annis serviet, significat statum laboris et alicujus pugnae, et inde confirmationes veri: et in septimo exibit ad liberum gratis, significat statum confirmati veri absque ejus opera: si in corpore suo venerit, significat verum absque jucundo: in corpore suo exibit, significat statum veri absque jucundo etiam post pugnam: si dominus mulieris ille, significat verum cum adjuncto jucundo: et exibit mulier illius cum illo, significat statum veri cum jucundo conjuncto etiam post pugnam: si dominus ejus dederit ei mulierem, significat a spirituali adjunctum bonum vero cum in pugna: et pepererit ei filios aut filias, significat inde vera et bona derivata: mulier et nati hujus erit domino ejus, significat quod bonum vero a spirituali adjunctum cum bonis et veris inde derivatis non Vero erit appropriatum: et ille exibit in corpore suo, significat statum post pugnam, qui est solum confirmati et implantati veri: et si dicendo dixerit servus, significat cogitationem tunc ex vero implantato: diligo dominum meum, mulierem meam, et liberos meos, significat jucundum recordationis bonorum spiritualium: non exibo liber, significat jucundum obedientiae: et adducet illum dominus ejus ad Deum, significat statum in quem tunc intrat secundum ordinem Divinum: et adducet illum ad januam vel ad postem, significat statum communicationis veri confirmati et implantati cum bono spirituali: et perforabit Dominus ejus aurem ejus subula, significat repraesentativum obedientiae: et serviet illi in perpetuum, significat in aeternum.

8974. Cum emeris servum Hebraeum, quod significet illos intra Ecclesiam qui in veris doctrinae et non in bono secundum illa, constat ex significatione emere, quod sit sibi comparare et

appropriare, de qua n: 4397. 5374. 5397. 5406. 5410. 5426. 7999; et ex significatione servi Hebraei, quod sint illi intra Ecclesiam qui in veris doctrinae et non in bono vitae secundum illa sunt; servus enim praedicatur de illis qui in vero sunt et non in bono correspondente, et in genere de vero respective ad bonum, n: 3409; et Hebraeus de illis quae sunt Ecclesiae, et de illis quae sunt alicujus servitii, quod de illis quae sunt Ecclesiae, videatur n: 5136. 5236. 6675. 6684, et quod de illis quae sunt alicujus servitii, n: 1703. 1741. 5013. Quia in nunc sequentibus agitur de servis et ancillis ex filiis Israëlis, dicendum est, quid illa in sensu interno involvunt; quisque videre potest, quod in se contineant arcana coeli, quia a Jehovah in monte Sinai oretenus Moschi dicta et mandata sunt, et quia proxime sequuntur post verba decalogi; absque talibus arcanis forent duntaxat leges civiles ac forenses instar aliarum gentium in terris, quibus nullum arcanum coeli inest: sed arcana, quae continent, non patent nisi Angelis in coelis, proinde non hominibus nisi per sensum internum, hic enim sensus docet quomodo Angeli percipiunt Verbum, proinde docet arcana quae insunt Verbo: quae et qualia arcana sunt, patebit in sequentibus ab explicatione singulorum. Ut communis idea habeatur, paucis dicendum est, quid in specie per servos Hebraeos in sensu interno intelligitur: in Ecclesia spirituali, quam filii Israëlis repraesentabant, sunt duplicis generis homines, sunt qui in Vero fidei sunt et non in bono vitae correspondente, et sunt qui in bono charitatis et in vero fidei correspondente; qui in bono charitatis et in vero fidei correspondente, sunt qui ipsissimam Ecclesiam constituunt, et sunt homines Ecclesiae Internae; in Verbi sensu interno sunt hi qui vocantur filii Israëlis; hi sunt ex se liberi, quia in bono sunt, nam qui per bonum a Domino ducuntur, liberi sunt, n: 892. 905. 2870 ad 2893; qui autem in Vero fidei sunt, et non in bono vitae correspondente, sunt homines Ecclesiae spiritualis Externae; hi sunt qui in Verbi sensu interno intelliguntur per servos Hebraeos; quod hi repraesententur per servos, est quia illa quae Externae Ecclesiae sunt, non aliud sunt quam servitia respective; similiter etiam Verum fidei respective ad bonum charitatis, nam Verum fidei inservit ad introducendum hominem Ecclesiae in bonum charitatis.

Praeterea sciendum est, quod qui ponit omne Ecclesiae, ita omne salutis, in Vero fidei, et non in bono charitatis, et quoque qui solum ex obedientia et non ex affectione quae amoris facit bonum, non regenerari possit, sicut illi qui in bono charitatis sunt, hoc est, qui ex affectione amoris faciunt bonum; reformari quidem possunt, sed non regenerari: de reformatione eorum agitur in sensu interno, hic in legibus de servis et de ancillis: Arcana reformationis istius hodie non alicui nota sunt, ex causa, quia ignoratur paene ubivis intra Ecclesiam quid verum fidei facit ad salutem, et quid bonum charitatis, imo ignoratur quid charitas, tum quod charitas et fides inter se conjugium facient, ut aliquid Ecclesiae in homine existat, nam conjugium boni et veri est ipsa Ecclesia, quia est coelum in homine, n: 2173. 2618. 2728. 2729. 2803. 3132. 3155. 4434. 4823. [2] 5194. 5502. 6179.

8975. Sex annis serviet, quod significet statum laboris et alicujus pugnae, et inde confirmationis veri, constat ex significatione sex annorum, quod sint status laboris et pugnae; quod sex significent laborem et pugnam, videatur n: 737. 900. 8888; [3] et quod anni status, n: 487. 488. 493. 893. 7839: quod etiam significetur confirmatio veri, est quia verum spirituale, quod verum fidei vocatur, per laborem et pugnam confirmatur: aliquid pugnae dicitur, quia illi qui in vero fidei et non in bono vitae correspondente sunt, non in aliquam pugnam gravem, hoc est, tentationem admittuntur, quoniam succumberent; nam non potest Dominus per bonum apud illos influere, et sic eos contra mala et falsa, quae in tentationibus invadunt, defendere; sunt modo externi homines, et quicquid a Domino influit, hoc per Internum hominem in Externum influet; cum non in bono charitatis sunt, non patet Internus homo, nam bonum est quod aperit eum, et id habitat ibi.

8976. Et in septimo exibit ad liberum gratis, quod significet statum confirmati veri absque ejus opera, constat ex significatione anni septimi, quod sit status conjunctionis boni et veri; per annum enim septimum simile significatur quod per diem septimum seu sabbathum; quod per hoc significetur conjunctio boni et veri, seu conjugium coeleste, ita status pacis, qui succedit post statum servitutis, videatur n: 8494. 8495. 8510. 8888.

8890. 8893; hic autem, quia agitur de illis qui in vero et non correspondente bono vitae sunt, per septimum annum significatur status confirmati veri: causa est, quia apud hos non est conjunctio veri et boni, sicut apud illos qui in bono charitatis sunt, et in sensu repraesentativo per filios Israëlis intelliguntur, sed pro illa est confirmatio veri; et ex significatione gratis, quod sit absque illorum opera; nam Verum fidei apud illos, cum in labore et aliqua pugna sunt, confirmatur a Domino absque ulla eorum opera; simile per gratis significatur apud Johannem „Ego sitienti dabo ex fonte aquae vitae *gratis*" Apoc: XXI: 6. Apud Eundem „Qui audit, dicito veni, et qui sitit venito, et qui vult sumito aquam vitae *gratis*" Apoc: XXII: 17: et apud Esaiam „Omnis sitiens, ite ad aquas, et cui non argentum ite, emite, et comedite; ite inquam, emite *sine argento* et *sine pretio* vinum et lac" LV: 1, aquae pro veris ex Verbo, Vinum pro Vero boni inde, et lac pro bono veri.

8977. Si in corpore suo venerit, quod significet verum absque jucundo, constat ex significatione corporis, quod sit solum verum, ita verum absque suo jucundo; per corpus enim intelligitur servus solus absque muliere, ita absque jucundo; nam mulier servi est jucundum vero conjunctum, ut patebit a sequentibus. Cum arcano hoc ita se habet; homines Ecclesiae Externae, qui repraesentabantur per servos Hebraeos, sunt qui discunt verum ex nullo jucundo, solum ob causam quia Verum Ecclesiae est, per quod credunt se posse salvari, haec necessitas est quae injungit discere et scire illud; hi sunt qui in sensu interno intelliguntur per servos qui veniunt in corpore suo, et exeunt in corpore suo; apud hos solum confirmatur Verum; tales in altera vita in introitu ad coelum sunt, et non in ipso coelo; vocantur cuticulares, quia in Maximo homine cuti correspondent, n: 5553 ad 5559: illi autem qui in Vero sunt, cui adjunctum est jucundum, sunt qui in sensu interno hic intelliguntur per servos qui veniunt cum muliere, mulier enim significat bonum quando Vir verum, hic autem jucundum, nam hoc pro bono est in Externae Ecclesiae homine; bonum quod huic est, non ex origine spirituali est, sed ex origine naturali, nam sapit ex jucundo vivendi et docendi id propter lucrum vel propter honorem, consequenter propter se; ea causa est quod di-

catur jucundum non autem bonum; apparet quidem ut bonum in externa forma, sed quia est bonum naturale, hoc est, quia trahit originem e mundo et non e coelo, vocatur jucundum: bonum autem ex origine spirituali intelligitur in sensu interno per mulierem, quam dominus dat servo suo, sed hoc non potest conjungi, quapropter statutum est, quod cum exiturus servus, mulier esset domini, et quoque ejus filii et filiae; bonum enim spirituale est bonum non propter lucrum aut propter honorem, sed propter Ecclesiam et propter salutem proximi; tale bonum non potest conjungi illis qui in externis Ecclesiae sunt, nam est ipsum bonum charitatis, et scaturit ex affectione quae amoris; qui enim in externis Ecclesiae sunt, non possunt affici veris fidei aliter quam principaliter propter se, et secundario propter Ecclesiam, et qui tales sunt, facere quidem possunt secundum vera, ita bonum, non ex affectione, sed ex obedientia; hi sunt qui in sensu interno intelliguntur per illos qui in perpetuum servire volunt. Haec sunt arcana, quae in sensu interno continentur in his statutis de servis; quae nullatenus capi possunt quam ab illis qui in bono charitatis sunt, non autem ab illis qui in Veris fidei absque illo bono; causa est, quia illi qui in bono charitatis sunt, in luce coeli sunt, et ex illa vident quae in luce mundi; at qui in vero fidei sunt, et non in bono charitatis, in luce mundi sunt, ex qua non videri possunt quae in luce coeli sunt, nam lux coeli est supra, hoc est, intra, at lux mundi est infra seu extra, a superiori aut interiori possunt videri inferiora aut exteriora, non autem vicissim; influere enim potest coelum in mundum, non autem mundus in coelum, n: 3721. 5119. 5259. 5779. 6322.

8978. In corpore suo exibit, quod significet statum veri absque jucundo etiam post pugnam, constat ex significatione corporis, quod sit verum absque jucundo, de qua mox supra n: 8977; et ex significatione exire, quod sit postquam servivit sex annis, ita status post pugnam; nam per servitium sex annorum significatur status laboris et pugnae, n: 8975: [4] quomodo cum hoc se habet, patet ex illis quae nunc supra n: 8977 dicta sunt.

8979. Si dominus mulieris ille, quod significet verum cum conjuncto jucundo, constat ex significatione domini, quod sit

verum, de qua sequitur; et ex significatione mulieris, quod sit bonum, hic autem jucundum, de qua etiam sequitur. Quod dominus sit verum, est quia per dominum hic intelligitur servus ut vir mulieris, et in sensu interno per servum, ut et per virum mulieris, significatur verum; quod per servum, videatur supra n: 8974, et quod per virum, n: 3134. 3309. 3459. 7716. Quod mulier sit jucundum, est quia per mulierem viri in sensu interno significatur bonum, n: 915. 2517. 4823. 6014. 8337; [5] sed quia per servum ex populo Israëlitico repraesentatur Externae Ecclesiae homo, cui quidem verum doctrinae est, sed non bonum correspondens, n: 8974, quia non facit verum propter verum, nec bonum propter bonum, sed ut remuneretur, idcirco in vero et bono quae facit est idea sui, haec idea non est boni sed est jucundi, nam non aliud in sensu spirituali dicitur bonum quam quod est amoris in Dominum, et amoris erga proximum; hoc bonum apparet quidem etiam ut jucundum in naturali homine, sed spirituale quod inest facit ut bonum sit. Ut sciatur ulterius, [6] quomodo cum hoc se habet, tenendum est, quod Internae Ecclesiae homo ex charitate agat, ita ex affectione quae amoris erga proximum; Externae autem Ecclesiae homo non ex bono charitatis agit, sed ex vero fidei, ita non ex affectione quae amoris erga proximum, sed ex obedientia, quia ita mandatum; inde fluit, quod Internae Ecclesiae homo liber sit, at Externae Ecclesiae homo respective servus, nam qui ex affectione quae amoris, is ex libero agit, n: 2870 ad 2893; at qui ex obedientia, is non ex libero agit, nam obedire non est liberum; haec causa est, quod qui ex bono charitatis agit, sit verus Ecclesiae spiritualis homo, is ideo in Verbo per Israëlem repraesentatur; at qui non ex bono charitatis, sed ex vero fidei agit, non sit verus Ecclesiae spiritualis homo, sed ejus servus respective; is ideo per servum, qui vocatus est servus Hebraeus, quia emtus ex filiis Israëlis, repraesentatus est.

8980. Et exibit mulier illius cum illo, quod significet statum veri cum jucundo conjuncto etiam post pugnam, constat ex significatione exire, nempe ex servitio, quod sit status post pugnam, n: 8975; et ex significatione mulieris, quod sit jucundum conjunctum, de qua mox supra n: 8979. Ex his patet, quinam hic per servos repraesentati sunt, quod nempe

illi qui in fide doctrinalium Ecclesiae suae sunt, et non in bono correspondente, sed in jucundo quod mentitur bonum correspondens; servitium illorum apud dominum suum significat statum illorum antequam in coelum possunt immitti, at exitus ex servitio significat statum illorum cum in coelum recipiuntur; sed quia solum in fide doctrinalium Ecclesiae suae sunt, et non in bono correspondente, ita non in vero boni, hoc est, in fide charitatis, ideo non ulterius in coelum intromitti queunt, quam ad introitum ibi; qui enim in introitu ad coelum sunt, communicant per verum quod fidei cum illis qui in coelo sunt, et per jucundum vero conjunctum cum illis qui extra coelum; non aliter ac faciunt cutes seu tunicae quae cingunt corpus, hae per sensum tactus communicant cum mundo, et per nexum fibrosum cum vita animae in corpore; inde est, quod qui in introitu ad coelum sunt, et repraesentantur per servos Hebraeos, cuticulares in maximo Homine dicantur, de quibus videatur n: 5552 ad 5559. Sed tales sunt plurium generum et specierum, sicut sunt cuticulae seu tunicae in corpore, hae sunt quae cingunt totum corpus, sunt quae cingunt interiora in communi, sicut peritonaeum, pleura, pericardium, et sunt quae in specie singula viscera ibi: omnes sunt respective servitia.

8981. Si dominus ejus dederit ei mulierem, quod significet a spirituali adjunctum bonum vero, cum in pugna, constat ex significatione domini, quod hic sit spirituale, per dominum enim hic intelligitur aliquis ex filiis Israëlis, et per filios Israëlis significantur illi qui veri spiritualis Ecclesiae homines sunt, hoc est, qui ex affectione quae amoris, seu quod idem, qui ex charitate faciunt bonum; quod filii Israëlis sint spiritualis Ecclesiae homines, videatur n: 6426. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. [7] 7201. 7215. 7223. 7957. [8] 8234. 8805; proinde per eosdem in sensu abstracto significantur vera et bona spiritualia, n: 5414. 5801. 5803. 5806. [9] 5812. 5817. 5819. 5833. 5879; inde est quod per dominum hic significetur spirituale; et ex significatione dare ei mulierem, quod sit adjungere vero bonum, nam dare cum dicitur de muliere, est adjungere, et servus est qui in vero doctrinae, et non in bono correspondente, n: 8974, et mulier est jucundum, n: 8980, hic autem bonum, quia est datum, hoc est, adjunctum a spirituali, omne enim id dicitur

bonum, quod venit a spirituali, quoniam ipsum spirituale est bonum charitatis; quod mulier sit bonum, videatur n: 915. 2517. 4823. 6014. 8337; [5] quod sit in pugna, est quia dicitur, si dominus ejus dederit ei mulierem, quod post servitium mulier esset domini, inde patet, quod mulier esset servi cum in servitio, et non postea, ita cum in pugna, et non post pugnam, nam per servitium sex annorum significatur labor et pugna, n: 8975. Quis non videre potest, quod in hoc statuto sit arcanum, quod non notum esse potest quam cui revelatum est; apparet enim in externa forma sicut contra justitiam Divinam, quod mulier data servo remaneret domini, cum ille ex servitio exiret, cum tamen mulier erit viri sui in perpetuum: talia sunt plura alia, quae a Jehovah mandata sunt filiis Israëlis, sicut quod illi peterent ab Aegyptiis vasa auri et argenti, ac vestes, et sic depraedarentur illos, praeter alia similia, de quibus in suis locis: sed illa, tametsi in externa forma, ut dictum, apparent contra Justitiam Divinam, usque tamen non ita sunt, fluunt enim ex legibus ordinis Divini in coelis, quae leges sunt ipsissimae leges justitiae; sed leges illae non patent, nisi evolvantur e sensu literae per sensum internum: Lex, ex qua fluit hoc statutum, est quod illis qui in externis Ecclesiae sunt ab infantia, non conjungi possit bonum spirituale, sed solum adjungi quamdiu sunt in pugna, et quod post pugnam recedat: ut pateat quomodo cum hoc se habet, est enim arcanum, paucis dicetur; qui ab infantia parum cogitarunt de vita aeterna, ita de salute animae suae, sed de vita mundana, et de ejus prosperitate, et usque vixerunt vitam moralem bonam, et quoque crediderunt veris doctrinae Ecclesiae suae, illi cum ad aetatem adultiorem veniunt, non possunt reformari aliter, quam per adjunctionem boni spiritualis, cum in pugna sunt, sed bonum illud usque non retinent, sed modo per illud confirmant suae doctrinae vera: causa quod tales sint, est quia in vita anteacta indulserunt amoribus mundanis; qui cum irradicati sunt, non sinunt [10] ut vero conjungatur bonum spirituale, nam illi amores huic bono prorsus repugnant; sed usque potest bonum spirituale occupare cogitationem, quando cessant amores illi, ut fit cum in anxietate sunt, in infortuniis, inque morbis, et similibus; tunc influit affectio benefaciendi ex charitate, sed ea affectio inservit modo pro con-

firmandis et altius irradicandis veris doctrinae, ea autem non potest conjungi vero; causa est, quia affectio illa charitatis influens implet modo mentis intellectuale, sed non intrat in voluntarium ejus, et quod non intrat in voluntarium, hoc non appropriatur, ita non conjungitur, nam conjunctio boni et veri apud hominem fit cum verum intrat voluntatem, proinde cum homo vult illud, et ex velle facit illud, tunc primum verum fit bonum, seu quod idem, fides fit charitas: hoc non fieri potest apud illos qui ab infantia indulserunt amoribus mundi, et tamen in vero doctrinae Ecclesiae suae sunt, nam voluntarium eorum est possessum ab amoribus illis, qui amores prorsus in opposito sunt, et rejiciunt bonum spirituale; admittunt id solum in mentis intellectuale, hoc est, in cogitationem, quando illi amores sopiti sunt, quod fit, ut dictum supra, in statu morbi, aut infortunii, aut in anxietate, proinde in labore ac in aliqua pugna. Hoc arcanum est, quod in hoc statuto latet reconditum; et quia hoc statutum sic fuit repraesentativum legis ordinis Divini de illis qui in vero doctrinae sunt et non in bono correspondente, idcirco in Ecclesia repraesentativa conveniens Justitiae Divinae fuit, etiam in forma externa.

8982. Et [peperit ei] filios et filias, quod significet inde vera et bona derivata, constat ex significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2803. 2813. 3373. 3704. 4257; et ex significatione filiarum, quod sint bona, de qua n: 489. 490. 491. 2362. 3024; quod sint vera et bona derivata, patet, quoniam per mulierem quae mater ex qua nati, significatur bonum spirituale, n: 8981, et per nativitates significantur derivationes in sensu interno, n: 1330. 3263. 3279.

8983. Mulier et nati hujus erit domino ejus, quod significet quod bonum vero a spirituali adjunctum cum veris et bonis inde derivatis non vero erunt appropriata, constat ex significatione mulieris, quod sit bonum spirituale vero adjunctum cum in pugna, de qua supra n: 8981; ex significatione natorum, quod sint vera et bona derivata, de qua mox supra n: 8982; [II] et ex significatione erit domino ejus, quod sit quod pertinebunt ad spirituale a quo, et non ad verum, dominus enim est spirituale, n: 8981, et servus verum absque bono correspondente, n: 8974, proinde quod non erunt huic vero appropriata; nam

per virum et mulierem in sensu interno significatur conjunctio veri et boni, conjugium enim in terris repraesentat conjugium coeleste, quod est boni et veri, et quoque amor conjugialis correspondet illi conjugio, n: 2727 ad 2759. 2803: at inter servum et mulierem a domino suo datam non est conjugium, sed copulatio qualis concubinae cum viro, quae copulatio non correspondet conjugio coelesti, quapropter etiam solvitur cum servus exit, nam tunc mulier cum natis fit domini: causa quod talis copulatio fit, est quia verum, quod per servum repraesentatur, est in Externo homine, et bonum quod per mulierem, est in Interno; et bonum Interni hominis non potest cum vero Externi conjungi, nisi prius conjunctio facta sit in Interno; hoc non fieri potest, quia servus repraesentat mere Externum hominem cui bonum correspondens non est, nec appropriari potest: quod bonum Interni hominis non possit cum vero Externi conjungi, nisi prius conjunctio facta sit in Interno, constare potest ex illis quae de Regeneratione hominis n: 3321. 3469. 3493. 3573. 3616. 3882. 4353, dicta sunt, nam regeneratio est conjunctio boni et veri.

8984. Et ille exibit in corpore suo, quod significet statum post pugnam, qui est solum confirmati et implantati veri, constat ex significatione exire, nempe e servitio, quod sit status post pugnam, de qua supra n: 8980; et ex significatione in corpore suo, quod sit cum vero absque bono, de qua etiam supra n: 8977. 8978; quod sit status veri confirmati et implantati, est quia per exire in septimo anno, id significatur, n: 8976, hic quia bonum spirituale, quod repraesentatur per mulierem, inserviverat ad confirmandum illud, et quoque ad implantandum novum, n: 8981.

8985. Et si dicendo dixerit servus, quod significet cogitationem tunc ex vero implantato, constat ex significatione dicere, quod sit cogitatio, de qua n: 7094. 7107. 7244; et ex significatione servi, quod sit verum absque bono correspondente, de qua n: 8974, hic verum illud confirmatum et implantatum, quia dicitur de illo servo cum exiturus, n: 8984. Dicitur, quod servus sit verum, sed intelligitur homo qui in vero est absque bono correspondente: causa quod servus dicatur verum, et non homo qui in tali vero, est quia loquela abstracta, hoc est, se-

parata ab homine, est loquela angelica; nam in coelo cogitatur de re absque persona: cum enim ibi etiam persona cogitatur, tunc exitatur societas quae in tali re, et sic determinatur cogitatio illuc, et figitur; nam in coelo ubi cogitatio ibi praesentia, et praesentia flecteret ad se cogitationes illorum qui in societate, et sic turbaret influxum a Divino ibi; aliter cum abstracte cogitant de re, tunc cogitatio se diffundit undequaque secundum formam coelestem, quam influxus procedens a Divino producit, et hoc absque ullius societatis turbatione; insinuat se enim in societatum sphaeras communes, et tunc non tangit aut movet aliquem in societate, ita non deflectit aliquem a libero cogitandi secundum influxum a Divino: verbo, [12] cogitatio abstracta pervadere potest universum coelum absque remoratione ullibi, at cogitatio determinata ad personam vel ad locum figitur et sistitur.

8986. Diligo dominum meum, mulierem meam, et liberos meos, significat jucundum recordationis bonorum spiritualium, constat ex significatione diligere, quod hic sit jucundum recordationis, de qua sequitur; ex significatione domini, quod sit bonum spirituale a quo, de qua supra n: 8981; ex significatione mulieris, quod sit bonum adjunctum a spirituali, de qua etiam supra n: 8981; et ex significatione liberorum, quod sint inde bona et vera derivata, de qua n: 8982; inde per dominum, uxorem, et liberos, in summa significantur bona spiritualia. Quod [13] jucundum recordationis illorum bonorum significetur per diligere, est quia illi, qui per servos Hebraeos repraesentati fuerunt, sunt qui intra Ecclesiam in veris doctrinae, et non in bono secundum illa sunt, n: 8974. 8976; tales non possunt affici vero propter bonum, sed propter jucundum; quapropter per diligere hic, quia de illis dicitur, significatur jucunditas recordationis.

8987. Non exibo liber, quod significet jucundum obedientiae, constat ex significatione exire liber, quod sit status post pugnam, qui est solum confirmati et implantati veri, de qua supra n: 8976. 8980. 8984; servitium enim, quod erat sex annorum, et dicitur septimana Gen: XXIX: 27. 28, significat laborem seu aliquam pugnam, qualis est apud illos qui in veris sunt et non in correspondente bono, qui per servos Hebraeos

in sensu spirituali intelliguntur; hi tales sunt ut non possint regenerari, sed modo reformari; *regenerari* enim dicitur de illis, qui per vera, quae fidei dicuntur, se perduci a Domino patiuntur ad bonum vitae spiritualis; at *reformari* de illis qui per vera quae fidei non ad bonum vitae spiritualis possunt perduci, sed solum ad jucundum vitae naturalis; qui *regenerari* se patiuntur, ex affectione agunt secundum praecepta fidei; at qui non regenerari se patiuntur, sed solum *reformari*, non ex affectione, sed ex obedientia, agunt: discrimen est, qui ex affectione agunt, illi ex corde agunt, ac ita ex libero; et quoque verum agunt propter verum, et bonum propter bonum, et sic charitatem exercent propter proximum; at qui ex obedientia agunt, illi non ita ex corde agunt, proinde non ex libero; si agere ex corde et ex libero sibi videntur, est propter aliquid gloriae sui, quae facit ut ita appercipiatur; nec agunt verum propter verum, nec bonum propter bonum, sed propter jucundum ex ista gloria; ita nec charitatem erga proximum exercent propter proximum, sed ut videantur, et ut remunerentur: ex his constat, quinam et quales sunt, qui per filios Israëlis, ac quinam et quales qui per servos Hebraeos, repraesentati sunt. Sed intra Ecclesiam hodie perierat cognitio de discrimine; causa est, quia Ecclesia hodie praedicatur et dicitur ex fide, et non ex Charitate; ac pauci sciunt quid Fides, credunt plerique quod fides sit scire illa quae doctrina Ecclesiae docet, et persuaderi quod ea vera sint, non autem quod sit vivere secundum illa; vitam secundum illa vocant vitam moralem, quam a Doctrina Ecclesiae separant, et appellant Theologiam moralem, docti autem credunt quod fides sit confidentia seu fiducia quod salventur per quod Dominus passus sit pro illis, et ab inferno eos redemerit, et qui hanc confidentiam habent, dicunt salvari, ita per solam fidem: sed hi non expendunt, quod non dari queat fidei confidentia, quam apud illos qui vitam charitatis vivunt. Hae causae sunt, quod cognitio perierit de discrimine inter illos qui in veris fidei sunt et non in correspondente bono vitae, et qui in bono vitae correspondente veris fidei sunt; et quia cognitio illa perierat, non potest aliter quam ut ea quae dicuntur de illis qui in veris sunt et non in bono, qui per servos Hebraeos significantur, appareant ut peregrina.

8988. Et adducet illum dominus ad Deum, quod significet statum in quem tunc intrat secundum ordinem Divinum, constat ex significatione adducere ad Deum, cum agitur de illis qui in veris sunt et non possunt in bono esse, quod sit facere ut intrent in statum secundum ordinem Divinum; per adducere enim significatur intrare, et per Deum ordo Divinus, de quo sequitur; quod haec significentur, patet a sequentibus in hoc Versu, nam ibi describitur status eorum qui in veris sunt, et non in correspondente bono, quod nempe sit status perpetuae obedientiae; qui enim in hoc statu sunt, in servitute sunt respective ad illos, qui in bono sunt correspondente veris; hi enim, quia ex bono, ex affectione agunt, et qui ex affectione ii ex voluntate agunt, ita a semet, nam quicquid est voluntatis apud hominem, id est ejus proprium, quippe esse vitae hominis est ejus voluntas; at qui solum ex obedientia agunt, ii non ex voluntate sua agunt, sed ex voluntate Domini sui, ita non a semet sed ab alio, idcirco in servitute sunt respective; ex veris agere et non ex bono, est solum ex intellectuali, nam vera se referunt ad intellectuale et bona ad voluntarium, et ex intellectuali agere et non ex voluntario, est ex eo quod stat foris et servit, intellectus enim datus est homini ut recipiat vera ac introducat in voluntatem, ut fiant bona, nam vera cum fiunt voluntatis audiunt bona. At servire Domino, faciendo secundum praecepta Ipsius, et sic obediendo, non est servus esse sed est liber esse, nam ipsissimum liberum hominis consistit in duci a Domino, n: 892. 905. 2870. 2872; inspirat enim Dominus in ipsam voluntatem hominis bonum, ex quo agere, tametsi est ex Domino, usque appercipitur sicut a semet, ita ex libero: hoc liberum est omnibus qui in Domino sunt, et est conjunctum cum felicitate ineffabili. Quod Deus hic sit ordo Divinus, est quia in Verbo Deus dicitur ubi agitur de Vero, et Jehovah ubi de Bono, n: 2769. 2807. 2822. 3921 fin: 4402. 7010. 7268. 8867; quapropter Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, est in supremo sensu Deus, ac Divinum ipsius bonum a quo Divinum Verum procedit, est Jehovah; causa est, quia Divinum Bonum est Ipsum Esse, et Divinum Verum est Existere inde, nam quod procedit, hoc existit inde: similiter se habet cum Bono et Vero in coelo, seu apud angelos, et similiter in Eccle-

sia apud homines; Bonum ibi est ipsum Esse, et Verum est Existere inde, seu quod idem, Amor in Dominum, et amor erga proximum, est ipsum Esse Coeli et Ecclesiae, at fides est existere inde: ex his liquet, unde est, quod Deus etiam sit Divinus ordo, est enim Divinum Verum procedens a Domino quod facit ordinem in Coelo, adeo ut Illud sit ipse ordo; quod Divinum Verum sit ordo, videatur n: 1728. 1919. 7995. 8700: quapropter cum homo aut angelus recipit Divinum Verum a Domino in bono, est apud illum ordo qui est in coelis, proinde est Domini, coelum seu regnum, in particulari; et in tantum in quantum ex veris in bono est, et postmodum in quantum in veris ex bono: et quod arcanum est, ipsi angeli apparent in forma humana in coelis prorsus secundum vera quae apud illos in bono, pulchritudine et splendore secundum quale boni ex veris; homines Ecclesiae similiter quoad animam in coelo; ipsum Divinum Verum procedens a Domino, inducit hoc, ut constare potest ex illis quae de Coelo ut Maximo Homine, et de ejus correspondentia cum singulis in homine, ad finem plurium Capitum, ostensa sunt: hoc arcanum est quod intelligitur per haec verba apud Johannem in Apocalypsi « Mensus est murum sanctae Hierosolymae centum quadraginta quatuor cubitorum, quae est mensura hominis, hoc est, Angeli » XXI: 17; quis unquam ea verba intellecturus est, qui non scit quid significat sancta Hierosolyma, quid murus ejus, quid mensura, quid numerus 144, et sic quid homo, hoc est, Angelus; per novam ac sanctam Hierosolymam significatur nova Domini Ecclesia, quae Christianae quae hodie est successura est, n: 2117; [14] per murum significantur vera fidei quae illam Ecclesiam defendent, n: 6419; per metiri et mensuram significatur status quoad verum, n: 3104; per numerum 144 significatur simile quod per 12, nam 144 est numerus compositus ex 12 multiplicatis in 12; quod per illos numeros significentur omnia vera in complexu, videatur n: 7973; inde liquet quid per mensuram hominis, hoc est, Angeli, significatur, quod nempe ipsum verum procedens a Domino in sua forma quae est homo angelus in coelo, ut supra dictum; inde patet arcanum, quod ea verba involvunt, quod scilicet per ea describantur vera illius Ecclesiae, quae successura est Christianae quae hodie est: quod sint vera ex bono,

describitur in Versu proxime sequente ibi, his verbis „Erat structura muri ejus jaspis, at urbs aurum purum similis vitro puro" Vers: 18; per jaspidem significatur verum quale illius Ecclesiae futurum est, nam per lapides in genere significantur vera, n: 1298. 3720. 6426, et per lapides pretiosos vera quae a Domino, n: 643; per aurum significatur bonum amoris et sapientiae, n: 113. 1551. 1552. 5658: quis usquam divinaturus est, quod talia involvantur illis verbis; et quis non ex his videre potest, quod innumerabilia arcana lateant in Verbo, quae nusquam alicui apparent, nisi per sensum internum; et quod per eum, ut per clavem, aperiantur vera Divina qualia sunt in coelo, proinde Coelum et Ipse Dominus, Qui est omne in omnibus Verbi in sensu ejus intimo.

8989. Et adducet illum vel ad januam vel ad postem, quod significet statum veri confirmati et implantati cum bono spirituali, constat ex significatione januae, quod sit introductio veri ad bonum, de qua n: 2356. 2385, hic veri confirmati et implantati, quod per servum Hebraeum post servitium sex annorum significatur, n: 8976. 8984; et quia janua est introductio, est quoque communicatio, nam per januam communicatur unum conclave cum altero; et ex significatione postis, quod sit conjunctio veri istius cum bono, nam postis est inter duo conclavia, et conjungit illa; Quis non videre potest, quod rituale hoc de servis manentibus arcanum in se contineat, et quidem arcanum Divinum; a Jehovah enim e monte Sinai dictatum et mandatum est: qui non credunt aliquid sanctius ac Divinius in Verbo esse, quam quod apparet in litera, miraturi sunt, quod haec et plura quae in hoc Capite et in sequentibus continentur, dictata sint viva voce a Jehovah; apparent enim in litera velut talia, quae in legibus gentium sunt; sicut hoc de servis, quod qui eorum non exire e servitio vult, adduceretur ad januam seu ad postem, et a Domino ejus perforaretur auris ejus subula; hoc in sensu literae Divinum non sapit, sed usque est maxime Divinum; verum hoc non patet nisi per sensum internum: sensus internus est, quod qui in solis veris sunt, et non in bono correspondente, at usque in jucundo recordationis bonorum spiritualium, n: 8986. 8987, aliquam communicationem et conjunctionem habeant cum bono spirituali; hoc repraesentatum

est per quod servi auris ad januam vel ad postem perforaretur a Domino suo, janua enim est communicatio, postis est conjunctio, auris est obedientia, et perforare eam subula, est repraesentativum status in quo mansurus; [15] ita percipiunt haec angeli qui apud hominem qui legit hoc verbum; Angeli enim non cogitant de janua, nec de poste, nec de aure, et de ejus perforatione, et ne quidem de servo, sed loco eorum de dicta communicatione ac conjunctione; sunt enim Angeli in intelligentia talium, quia sunt in luce; et non obveniunt illis nisi quam spiritualia, et coelestia, non autem naturalia et mundana, qualia sunt in sensu literae Verbi; nam sensus literae Verbi est naturalis et mundanus, sensus autem internus ejus est spiritualis et coelestis; ille est pro hominibus, hic pro Angelis, inde per Verbum est communicatio et conjunctio coeli cum homine; ut arcana quae in hoc processu cum servis manentibus apud dominum suum, ulterius pateant, dicendum est unde est quod janua et postis significent communicationem et conjunctionem; sunt angelis et spiritibus habitacula, quae apparent prorsus sicut ea quae in mundo, n: 1116. 1626. 1627. 1628. 1631. 4622; et quod arcanum est, omnia et singula, quae in habitaculis eorum apparent, sunt significativa spiritualium; profluunt etiam ex spiritualibus quae in coelo, et quae inde in mentibus eorum; communicationes veri cum bono sistuntur ibi per januas, et conjunctiones per postes, et alia per ipsa conclavia, per atria, per fenestras, et per varia decoramenta: quod ita sit, homo, hodie, praecipue qui mere naturalis est, non potest credere, quia non patent coram sensibus eorum corporis, sed usque quod talia visa sint prophetis, cum interiora eorum aperta sunt in coelum, constat ex Verbo; mihi quoque millies appercepta et visa sunt; audivi etiam pluries eos dicentes, quod januae conclavium eorum apertae sint cum communicabantur cogitationes eorum mecum, et quod clausae cum non communicabantur; inde est quod januae in Verbo nominentur, ubi agitur de communicatione; ut apud Esaiam „Abi populi mi, intra in cubicula tua, *et claude januam tuam post te*, occulta te sicut parum momenti, usque dum transeat ira" XXVI: 20, claudere januam post se, usque dum transeat ira, pro non communicatione cum malis, quae sunt ira, n: 3614. 5034. 5798. 6358.

6359. 6997. 8284. 8483. Apud Malachiam „Num recipiet a vobis facies, dixit Jehovah Zebaoth; quis etiam inter vos *claudat potius januas*, nec lucem accendatis super altari meo frustra" I: 9. 10, claudere januas pro non communicare cum rebus sanctis seu Divinis. Apud Sachariam „*Aperi Libane januas tuas*, ut comedat ignis cedros tuas" XI: 1; aperire januas pro dare aditum seu communicationem. Apud Davidem „Praecepit aetheribus desuper, *januas coelorum* patefecit" Psalm: LXXVIII: 23, patefacere januas coelorum, pro communicationem dare cum veris et bonis quae a Domino in coelis. Apud Eundem „*Elegi ad januam stare in domo Dei mei*, quam habitare in tentoriis impietatis" Psalm: LXXXIV: 11, ad januam stare pro communicare foris cum bono, quod est domus Dei, n: 3720. Apud Eundem „Attollite portae capita vestra, extollimini *ostia mundi*, ut ingrediatur Rex gloriae" Psalm: XXIV: 7. 9, extolli ostia mundi, pro aperire et elevare corda ad Dominum, qui est rex gloriae, et sic dare communicationem, hoc est, ut influat cum bono charitatis et vero fidei; Dominus Rex gloriae vocatur ex Vero quod ex bono. Apud Esaiam „Dixit Jehovah uncto suo Choreschо, cujus apprehendi dextram, ad subjiciendum coram eo gentes, ut lumbos regum solvam, *ad aperiendum coram Illo januas, et portae non claudantur:* Ego ante Te ibo, et tortuosa rectificabo, et dabo Tibi thesauros tenebrarum, et occultas opes latebrarum, ut cognoscas quod Ego Jehovah, Qui vocaverim Te nomine tuo, Deus Israëlis" XLV: 1. 2. 3, hic de Domino quoad Humanum, qui in sensu repraesentativo est Choreschus; aperire coram Illo januas est dare aditum ad Ipsum Divinum, inde est quod etiam quoad Humanum dicatur Deus, hic Deus Israëlis. Apud Johannem „*Ecce dedi coram te januam apertam*, quam nemo potest claudere, quia exiguam habes potentiam, et servasti verbum meum" Apoc: III: 8, dare januam apertam pro communicationem cum coelo. Apud Eundem „Post haec vidi, et *ecce janua aperta in coelo;* audivi, ascende huc ut ostendam tibi quae oportet fieri posthac" Apoc: IV: 1, janua manifeste ibi pro communicatione, quia agitur de revelatione quam accepturus e coelo; inde quoque patet, quod communicatio repraesentetur ibi per januam, ut supra dictum. Apud Eundem „*Ecce*

constiti ad januam, et *pulso*, si quis audiverit vocem meam, et *aperuerit januam*, ingrediar ad illum, et coenabo cum illo, atque ille Mecum» Apoc: III: 20, hic etiam janua manifeste pro aditu et communicatione cum coelo, ubi Dominus, ac ita cum Domino: similiter apud Matthaeum „Venit Sponsus, et virgines ingressae sunt ad nuptias, et *janua clausa est:* tandem venerunt reliquae virgines, dicentes Domine, Domine, *aperi nobis;* Ille vero respondens dixit, amen dico vobis non novi vos» XXV: 10. 11. 12, quid haec in sensu interno significant, videatur n: 4635 ad 4638, quod nempe virgines sint qui intra Ecclesiam sunt, habere oleum in lampadibus est bonum charitatis in veris fidei; et non habere oleum in lampadibus, est habere vera fidei et non in illis bonum charitatis; pro his janua clausa dicitur, quia non communicant cum coelo, hoc est, per coelum cum Domino, communicatio cum coelo, et per coelum, fit per bonum charitatis et amoris, non autem per vera, quae fidei vocantur, absque bono in illis; quapropter hi vocantur virgines stultae, illi autem virgines prudentes. Apud Lucam „Multi quaerent intrare, sed non poterunt; ex quo surrexerit Paterfamilias et *occluserit januam*, tunc incipietis foris stare, et *pulsare januam*, dicentes, Domine, Domine, *aperi nobis*, sed respondens dicet vobis, non novi vos unde sitis: tunc incipietis dicere, edimus coram te et bibimus, et in plateis nostris docuisti; sed dicet vobis, non novi vos unde sitis, discedite a Me omnes operarii iniquitatis» XIII: 25. 26. 27: hic quoque manifeste janua pro aditu et communicatione, ut supra; quod illi, quibus occlusa est janua, et qui pulsant illam, et non intromittuntur, sint qui in veris fidei sunt ex Verbo, et non in bono charitatis, significatur per edere coram Domino ac bibere, et audire Dominum in plateis docentem, et tamen non vivere vitam fidei; nam qui hanc non vivunt, sunt operarii iniquitatis. Apud Johannem „Amen, amen, dico vobis, *qui non est ingrediens per januam in caulam ovium*, sed ascendit aliunde, is est fur et latro; *qui vero ingrediens est per januam*, pastor est ovium: *Ego sum janua*, per Me si quis introiverit, salvabitur» X: 1. 2. 9, ingredi per januam, est per verum quod fidei ad bonum charitatis et amoris, ita ad Dominum, nam Dominus est Ipsum Bonum, etiam est Verum quod introducit, ita

quoque janua, nam fides est ab Ipso. Quod per januam significetur communicatio, apparet sicut loquutio metaphorica seu comparatio; sed in Verbo non sunt loquutiones metaphoricae seu comparationes, sed sunt reales correspondentiae, etiam comparationes ibi fiunt per talia quae correspondent; ut constare potest ex illis, quae de janua dicta sunt; quod nempe januae apud angelos et spiritus in coelo actualiter appareant, et earum aperitio et occlusio, secundum communicationes: ita quoque in reliquis.

8990. Et perforabit dominus ejus aurem ejus subula, quod significet repraesentativum obedientiae, constat ex significatione auris, quod sit obedientia, de qua n: 2542. 3869. 4551. 4652 ad 4660: et ex significatione perforare subula, nempe ad januam seu ad postem, quod sit affigere, hic, quia agitur de obedientia, est addicare; quare sequitur, quod serviet illi in perpetuum, hoc est, obediet: inde patet, quod perforatio auris subula ad januam seu ad postem a domino suo, sit repraesentativum obedientiae. Quomodo cum his se habet, ex praecedentibus potest constare, quod nempe illi qui in solis veris sunt et non in bono correspondente, hoc est, qui in fide et non in charitate, non liberi sint, sed servi; nam qui ex bono seu charitate agunt, liberi sunt, ex se enim agunt, quia ex bono seu charitate agere est ex corde, hoc est, ex voluntate, ita ex suo, nam id hominis est quod est voluntatis ejus; et quod ex voluntate fit, hoc dicitur exire ex corde; at qui solum in veris fidei sunt, et non in bono charitatis, respective servi sunt, nam non agunt ex se, quia non bonum habent in se, ex quo agant, sed extra se, et agunt quoties ejus recordantur: hi qui tales sunt usque ad finem vitae, post mortem permanent in eo statu, nec possunt perduci ad statum ut ex affectione charitatis, ita ut ex bono agant, sed ex obedientia. Hi in Maximo Homine, qui est Coelum, constituunt illa quae interioribus serviunt, sicut membranas et cutes, n: 8977. 8980. Ex his constare potest, quomodo se res habet cum sola fide, ita cum illis qui ex doctrina fidem ponunt primo loco, et bonum charitatis secundo, imo ultimo; qui actualiter, hoc est, in ipsa vita, ita ponunt, illi sunt servi Hebraei in sensu repraesentativo; ex his etiam concludi potest, quomodo se res habet cum illis, qui omne salutis ponunt

in veris fidei, et nihil in bono charitatis, nempe actualiter seu in ipsa vita, quod non possint intrare in coelum, nam bonum in coelo regnat, et non verum absque bono; nec verum est verum aut fides fides, quam apud illos qui in bono sunt. Quod perforatio auris subula a domino suo, sit repraesentativum obedientiae, patet etiam ex eo, quod affigere aurem januae, sit facere ut attentionem habeat ad illa quae Dominus ejus, qui in conclavi, imperat, ita jugiter audire, proinde obedire, hic in sensu spirituali quae bonum vult et mandat, nam per dominum servi repraesentatur bonum spirituale, n: 8981. 8986: quia auris auditionem quae obedientiae significat, inde ex origine e spirituali mundo influxit in loquelam humanam, *vellicare aurem* pro facere ut attendat ac ut recordetur; pariter alicui *audire* et *auscultare* pro obedire; nam interior sensus perplurium vocum ex correspondentiis e spirituali mundo effluxit; similiter ac quod dicatur *Lux spiritualis* et *visus inde*, quod sint quae fidei; ut et *ignis spiritualis* et *vita inde*, quod sint quae amoris. Quod perforatio auris fieret per subulam, erat quia per subulam simile significatur quod per paxillum vel clavum, nempe affixio seu adjunctio, et in sensu spirituali addicatio ad aliquid; at subula erat instrumentum ministerii, ideo inserviens repraesentandae addicationi ad perpetuam obedientiam apud servum. Quod paxilli seu clavi affixionem seu adjunctionem significent, constat ex locis ubi nominantur, ut apud Esaiam Cap: XXII: 23. Cap: XXXIII: 20. Cap: XLI: 7. Cap: LIV: 2. Jerem: X: 4. Exod: XXVII: 19. Cap: XXXVIII: 31. [16] Num: III: 37. Cap: IV: 32.

8991. Et serviet illi in perpetuum, quod significet in aeternum, constat ex significatione servire, quod sit obedire, nam servi sunt qui obediunt, et domini qui imperant; quod illi qui per servos repraesentati fuerunt, sint qui ex obedientia bonum egerunt, non autem ex affectione charitatis, ex praecedentibus constat; et ex significatione [in] perpetuum, quod sit in aeternum; perpetuum in sensu literae significat hic servitium apud dominum suum usque ad finem vitae suae, at in sensu interno seu spirituali significat aeternum, quia statum post mortem: in aeternum dicitur, quia illi qui bonum ex obedientia fidei et non ex affectione charitatis agunt, qui repraesentati sunt per servos,

in altera vita nusquam possunt perduci ad statum boni, hoc est, ut ex bono agant, nam vita unumquemvis manet post mortem; qualis homo est cum moritur, talis manet, secundum vulgare hoc, arbor quo cadit ibi jacet; non quod talis sit qualis est circa horas mortis, sed qualis ex toto vitae suae curriculo tunc cum moritur; quapropter qui imbuerant in vita in mundo solum ex obedientia agere bonum, et non ex charitate, illi manent tales in aeternum; perficiuntur quidem quoad obedientiam, sed non pertingunt ad aliquid charitatis.

8992. Vers: 7. 8. 9. 10. 11. *Et cum vendiderit vir filiam suam ad ancillam, non exibit secundum exire servorum. Si mala in oculis domini sui, ut non desponset eam, et redimatur; populo alienigenae non potestatem habebit vendendi eam; perfide agendo illum in eam: et si filio suo desponsaverit eam, secundum judicium filiarum faciet ei. Si alteram acceperit sibi, victum ejus, tegumentum ejus, et debitum conjugiale ejus non diminuet. Et si tria haec non fecerit ei, et exibit gratis nullo argento.* Et cum vendiderit vir filiam suam ad ancillam, significat affectionem veri ex jucundo naturali: non exibit secundum exire servorum, significat statum non similem vero absque affectione. Si mala in oculis domini sui, significat si affectio veri ex jucundo naturali non concordet cum vero spirituali: ut non desponset illam, significat ut conjungi nequeat: et redimatur, significat abalienationem ab illis veris: populo alienigenae non potestatem habebit vendendi illam, significat non illis qui non ex fide Ecclesiae: perfide agendo illo in eam, significat id contra leges ordinis Divini: Et si filio suo desponsaverit eam, significat si concordet cum vero aliquo derivato, ut possit ei conjungi: secundum judicium filiarum faciet ei, significat quod sicut affectio veri genuina erit: si alteram acceperit sibi, significat conjunctionem cum affectione veri ex alia stirpe: victum ejus, tegumentum ejus, et debitum conjugiale non diminuet, significat non deprivationem vitae interioris quae est victus, nec vitae exterioris quae est amictus, ita non deprivationem conjunctionis, quae est debitum conjugiale: si tria haec non fecerit ei, significat deprivationem illorum: exibit gratis nullo argento, significat abalienationem inde absque vero ei conjuncto.

8993. Et cum vendiderit vir filiam suam ad ancillam, quod

significet affectionem veri ex jucundo naturali, constat ex significatione filiae viri, quod sit affectio veri, per filiam enim significatur affectio, de qua n: 2362. 3963, per virum autem verum, n: 3134, ut quoque per Israëlitam, qui hic per virum intelligitur, n: 5414. 5879. 5951. 7957. [17] 8234; et ex significatione ancillae, quod sit affectio externa seu naturalis, de qua n: 2567. 3835. 3849; inde per filiam viri venditam in ancillam, significatur affectio veri ex jucundo affectionis naturalis. Per jucundum naturale intelligitur jucundum profluens ex amore sui et amore mundi; qui in affectione veri inde sunt, sunt qui doctrinalia Ecclesiae, quae vera fidei vocantur, discunt vel propter lucrum vel propter honores, et non propter vitam; tales affectiones veri, quae profluunt non ex bono spirituali, sed ex jucundo naturali, repraesentantur per filiam viri Israëlitici venditam in ancillam seu servam, nam omne id quod trahit originem ex amore sui aut amore mundi, non liberum est sed servum; quid liberum et quid servum, videatur n: 892. 905. 1947. 2870 ad 2893. 6205. Quomodo se habet cum affectionibus veri ex illis amoribus oriundis, in sensu interno describitur in nunc sequentibus. Tenendum, quod affectio veri genuina sit velle et desiderare scire ipsissima vera fidei propter usum bonum ut finem, et propter vitam, at affectio veri non genuina est velle et desiderare vera propter semet, ita ad captandos honores ac ad aucupanda lucra; qui in affectione veri ex hac origine sunt, non curant num vera genuina sint quae sciunt, modo sint talia quae pro veris possunt venditari, quapropter illi haerent solum in confirmandis doctrinalibus Ecclesiae suae in qua nati sunt, sive haec vera sint sive non vera; sunt quoque in tenebris quoad ipsa vera; fines enim mundani qui sunt lucra, et fines corporei qui sunt honores, prorsus occaecant; at qui in affectione veri genuina sunt, hoc est, qui desiderant scire vera propter usum bonum et propter vitam, illi quoque manent in doctrinalibus Ecclesiae usque dum perveniunt ad aetatem cum ex se cogitare incipiunt, tunc scrutantur scripturas, et supplicant ad Dominum de illustratione, et cum illustrantur, gaudent ex corde; sciunt enim, quod si nati fuissent ubi alia Ecclesiae doctrina, imo ubi maxima haeresis, absque scrutatione scripturae ex affectione veri genuina, mansissent in

ea; pro exemplo, si nati fuerint Judaei, vel si Sociniani. Inde patet, quinam et quales sunt, qui in affectione veri genuina sunt, et qui et quales qui in affectione veri non genuina; illi qui in affectione veri genuina sunt, in sensu repraesentativo sunt filiae virorum ex Israëlitis, at qui in affectione veri non genuina sunt, in sensu repraesentativo sunt ancillae ex filiabus Israëlis.

8994. Non exibit secundum exire servorum, quod significet statum non similem vero absque affectione, constat ex significatione exire, nempe e servitio, quod sit status post pugnam seu laborem, de qua supra n: 8980. 8984; et ex significatione servorum, quod sint qui in veris et non in correspondente bono, de qua n: 8974, ita qui in vero absque affectione, inde patet, quod per non exibit secundum exire servorum significetur status non similis vero absque affectione. Quomodo cum his se habet, paucis dicetur; sunt qui in vero et non in ejus affectione, et sunt qui in affectione sunt, illi repraesentati sunt per servos ex filiis Israëlis, hi autem per ancillas etiam ex filiis Israëlis; sed per ancillas non repraesentati sunt illi qui in genuina veri affectione, sed qui in non genuina sunt, ut videri potest ex illis quae mox supra n: 8993, [18] ostensa sunt: discrimen inter illos qui in vero absque affectione sunt, qui per servos repraesentati sunt, et qui in affectione veri, qui per ancillas, est qualis inter scire verum et velle verum; scire verum pertinet solum ad partem intellectualem, at velle verum ad partem voluntariam, quapropter discrimen est quale inter scientiam et affectionem; qui in scientia veri et boni sunt, ac in sensu repraesentativo sunt servi aut viri, illi non afficiuntur vero et bono, sed modo afficiuntur scientia eorum, proinde delectantur veris propter scientiam; at qui in affectione veri et boni sunt, ac in sensu repraesentativo sunt ancillae seu foeminae, illi non afficiuntur scientia, sed ipsis veris et bonis cum audiunt et percipiunt illa apud alios; talis affectio communis est apud foeminas bonas; sed affectio scientiarum veri communis est apud viros: inde est, quod qui in perceptione spirituali sunt, foeminas, quae afficiuntur veris, amant, at foeminas, quae in scientiis sunt, non amant; secundum ordinem enim Divinum est, ut viri sint in scientiis, at foeminae solum in affectionibus, et sic quod non

ament se ex scientiis sed viros, unde conjugiale: inde quoque est, quod a veteribus dictum sit, quod foeminae taceSunt in Ecclesia: quia ita est, ideo scientiae et cognitiones repraesentantur per viros, at affectiones per foeminas, hic affectiones veri quae scaturiunt ex jucundis amorum naturalium per ancillas; quae quia prorsus alia natura sunt, quam qui afficiuntur scientiis, idcirco prorsus aliter se habet cum ancillis quam cum servis: hoc nunc est, quod significatur per quod ancilla non exibit secundum exire servorum. Sed sciendum, quod ita se res habeat cum illis qui ex spirituali Regno Domini sunt, vicissim autem, cum illis qui ex coelesti Regno; in hoc sunt mariti in affectione, at uxores in cognitionibus boni et veri, inde apud hos conjugiale.

8995. Si mala in oculis domini sui, quod significet si affectio veri ex jucundo naturali non concordet cum vero spirituali, constat ex significatione ancillae, de qua dicitur quod sit mala, quod sit affectio ex jucundo naturali, de qua n: 8993. 8994: et ex significatione malae, cum de affectione illa respective ad verum spirituale, quod sit non concordare, de qua sequitur; ex significatione in oculis, quod sit in perceptione, de qua n: 2829. 3529. 4083. [19] 4339; et ex significatione domini, quod sit verum spirituale, de qua n: 8981. Quomodo cum his se habet, dicendum est; quod ancilla sit affectio veri ex jucundis amoris sui aut amoris mundi, supra n: 8993. 8994, dictum est; et quod ea affectio conjungi possit vero spirituali, constare [potest] ex eo, quod affectio veri spiritualis sit affectio interna, seu in interiori homine, at affectio veri ex jucundo naturali sit in externo homine; affectio interna, quae est spiritualis hominis, conjungitur jugiter cum affectione externa quae est naturalis hominis, sed usque ita, ut affectio veri interna sit dominans, et affectio externa sit serviens; nam secundum ordinem Divinum est, ut spiritualis homo dominetur super naturalem, n: 8961. 8967; et cum spiritualis homo dominatur, tunc spectat homo sursum, hoc repraesentatur per habere caput in coelo, at cum naturalis homo dominatur, tunc spectat homo deorsum, quod repraesentatur per habere caput in inferno; ut luculentius hoc pateat, ulterius dicendum est; plerique homines per vera quae discunt, et bona quae agunt, etiam cogitant de lucro inde in patria, aut de honore; sed si haec pro fine habentur, tunc na-

turalis homo dominatur, et spiritualis servit; si autem non pro fine habentur, sed solum pro mediis ad finem, tunc spiritualis homo dominatur, et naturalis servit, prorsus secundum illa quae n: 7819. 7820, dicta sunt; nam cum spectatur lucrum aut honor ut medium ad finem, et non ut finis, tunc non spectatur lucrum seu honor, sed finis, qui est usus: sicut qui divitias cupit et sibi comparat propter usum quem super omnia amat, tunc non delectatur divitiis propter divitias, sed propter usus: ipsi usus etiam faciunt vitam spiritualem apud homines, et divitiae solum serviunt pro mediis, videatur n: 6933 ad 6938. Inde videri potest, qualis naturalis homo erit, ut conjungi possit spirituali, ut nempe lucra et honores, ita divitias et dignitates, spectat pro mediis, et non pro fine; quod enim apud hominem spectatur pro fine, hoc ipsissimam ejus vitam facit, nam id super omnia amat, nam quod amatur id pro fine spectatur. Qui non scit quod finis, seu, quod idem, amor faciat vitam hominis spiritualem, proinde quod homo sit ubi ejus amor, in coelo si amor coelestis, in inferno si amor infernalis, non comprehendere potest quomodo cum his se habet; autumare potest, quod jucundum naturalium amorum, qui sunt amor sui et mundi, non possint concordare cum vero et bono spirituali; non enim scit, quod homo, cum regeneratur, prorsus invertendus sit, et quod, cum inversus est, sit capite in coelo, sed antequam inversus est, fuerit capite in inferno; capite in inferno fuit, cum jucunda amoris sui aut mundi pro fine habuit, at capite in coelo est, cum illa pro mediis ad finem sunt, nam finis, qui est amor, unice vivit apud hominem, media ad finem autem a se non vivunt, sed vitam accipiunt a fine, inde media a fine ultimo vocantur fines medii, qui quantum spectant finem ultimum, qui est principalis, tantum vivunt: inde est, cum homo regeneratus est, proinde cum pro fine habet amare proximum et amare Dominum, quod tunc pro mediis habeat amare [20] se et mundum; cum homo talis est, cum spectat ad Dominum, se pro nihilo habet, et quoque mundum, et si semet spectat pro aliquo, est ut servire possit Domino; prius autem fuerat is in contrarium, cum spectavit ad se, Dominum pro nihilo habuit, et si pro aliquo, fuit ut inde ei lucrum et honor. Ex his constare potest, quale arcanum latet in his quae de an-

cillis ex filiabus Israëlis statuta sunt, quod nempe, licet servae essent, usque si bonae, desponsatae fuerint domino a quo emtae sunt, vel ejus filio; at si malae, quod non desponsatae, sed vel redemtae, vel venditae, secundum ea quae in his Versibus continentur: desponsare etiam ancillas, aut illas pro concubinis habere, in Ecclesia repraesentativa, praesertim Judaica et Israëlitica, permissum fuit, ob causam quia uxor repraesentabat affectionem veri spiritualis, at ancilla affectionem veri naturalis; ita illa internum Ecclesiae apud hominem, haec autem externum; hoc repraesentatum fuit per Hagarem quae desponsata Abrahamo, tum per binas ancillas quae desponsatae Jacobo. Ex his nunc patet, quid per ancillam, si mala, ut non desponsari possit, in sensu repraesentativo interno intelligitur, quod nempe si affectio ex jucundo naturali, quae est ancilla, non corcordet cum spirituali, quod fit imprimis per id, quod dominari vellet, et quod eo animo et corde esset, ut non flecti posset ad amandum Dominum. Praeterea etiam concordantia aut discordantia affectionis ex jucundo naturali cum spirituali, se habet secundum utriusque quale; sed ea in suos numeros dispescere, foret prolixum nimis. Quod ancilla etiam sit medium affirmativum inserviens conjunctioni Externi et Interni hominis, videatur n: 3913. 3917. 3931.

8996. Ut non desponset illam, quod significet ut conjungi nequeat, constat ex significatione desponsari, quod sit conjungi; nam qui desponsantur, illi conjunguntur. Per desponsari in sensu interno proprie significatur convenientia animorum seu mentium, quae praecedit conjunctionem quae conjugii; et quia convenientia in spirituali mundo conjungit, et disconvenientia disjungit, ideo per desponsari hic significatur conjungi.

8997. Et redimatur, quod significet abalienationem ab illis veris, constat ex significatione redimi ab illo qui vendidit, vel ab alio, ita vendi a Domino, quod sit abalienatio ab illo vero spirituali; quod vendi sit abalienatio, videatur n: 4098. 4752. 4758. 5886, et quod Dominus sit verum spirituale, n: 8981. 8995.

8998. Populo alienigenae non potestatem habebit vendendi illam, quod significet non illis qui non ex fide Ecclesiae, constat ex significatione alienigenae, quod sit qui extra Ecclesiam,

ita qui non ex fide Ecclesiae, de qua n: 2049. 2115. 7996; et ex significatione vendere, quod sit abalienare, de qua nunc supra n: 8997. Cum his ita se habet; qui nati sunt intra Ecclesiam, et ab infantia imbuerunt principia veri Ecclesiae, non conjugia sociare debent cum illis qui extra Ecclesiam, et sic imbuerunt talia quae non Ecclesiae sunt; causa est, quia nulla conjunctio est inter illos in spirituali mundo, quisque enim in eo mundo consociatur secundum bonum et inde verum; et quia nulla inter tales conjunctio est in spirituali mundo, nec ulla conjunctio debet esse in terra; nam conjugia in se spectata sunt conjunctiones animorum et mentium, quarum vita spiritualis est ex veris et bonis fidei ac Charitatis; idcirco etiam in coelo pro nefandis habentur conjugia in terra inter illos qui diversae religionis sunt; et magis inter illos qui ab Ecclesia cum illis qui extra Ecclesiam; haec quoque causa fuit, quod prohibitum fuerit genti Judaicae et Israëliticae matrimonia contrahere cum gentibus, Deut: VII: 3. 4, et quod fuerit prorsus nefandum cum illis scortari, Num: XXV: 1 ad 9. Hoc patet adhuc evidentius ab origine amoris conjugialis, quod sit ex conjugio boni et veri, n: 2727 ad 2759, amor conjugialis cum inde descendit, est ipsum coelum in homine, hoc destruitur cum duo conjuges sunt dissimili corde ex dissimili fide. Inde nunc est, quod ancilla ex filiabus Israëlis, hoc est, ex illis qui ab Ecclesia, non vendenda esset populo alienigenae, hoc est, illis qui extra Ecclesiam sunt, nam hi dein desponsarent illam, hoc est, ei conjungerentur, et sic prophanarent illa quae Ecclesiae sunt, quapropter dicitur, quod id sit perfide agere.

8999. Perfide agendo illo in eam, quod significet id contra leges ordinis Divini, constat ex significatione perfide agere, quod sit contra Verum Divinum, seu quod idem est, contra leges ordinis Divini; quod id per agere perfide, significetur, patet ex illis quae nunc supra n: 8998, allata sunt. Leges ordinis Divini sunt vera in coelo, nam Divinus ordo est ex Divino Vero quod procedit a Domino, n: 8700. 8988. Perfide agere est solennis formula in Verbo, significans in sensu interno agere contra verum et bonum in coelo, seu quod idem, contra ordinem Divinum, ut Esai: XXI: 2. [21] Cap: XXXIII: 1. Cap: XLVIII: 8. Jerem: III: 20. Cap: V: 11. [22] Cap: XII: 1. 6.

Hosch: V: 7. Cap: VI: 7 Malach: II: 10. 11. 14. 15. Psalm: LXXVIII: 57. Psalm: CXIX: 158.

9000. Et si filio suo desponsaverit eam, quod significet si concordet cum vero derivato ut possit ei conjungi, constat ex significatione filii, quod sit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704. 4257, hic verum derivatum, quia per dominum qui pater, significatur principale verum, ex quo derivantur reliqua, n: 8981; et ex significatione desponsare, quod sit conjungi, de qua supra n: 8996.

9001. Secundum judicium filiarum faciet ei, quod significet quod sicut affectio veri genuina erit, constat ex significatione secundum judicium, quod sit simili jure; per judicium enim significatur verum externum seu jus quale in statu civili ubi Ecclesia repraesentativa, n: 8972; et ex significatione filiae, quod sit affectio veri, de qua n: 2362. 3024. 3963, hic affectio veri genuina, nam per ancillam significatur affectio veri ex jucundo naturali, n: 8993, ita non genuina antequam desponsata est vel domino vel filio; sed cum desponsata est, hoc est, conjuncta vero spirituali, quod per dominum et per filium significatur, tunc fit sicut genuina, nam tunc subordinatum est naturale vero spirituali, et cum subordinatum est, non amplius est sui juris sed veri spiritualis sub quo subordinatum est; inde fit naturale sicut spirituale, quia unum cum hoc agit; etiam vita veri spiritualis transfertur tunc in naturale, et hoc vivificat: sed desponsatio seu conjunctio cum ancilla differt a conjunctione cum filia in eo, quod haec conjunctio fiat in interiori homine, illa autem in externo.

9002. Si alteram [23] acceperit sibi, quod significet conjunctionem cum affectione veri ex alia stirpe, constat ex significatione accipere seu desponsare alteram, quod sit conjungi, ut n: 8996; matrimonium enim, quod hic intelligitur per desponsationem, in sensu spirituali est conjunctio unius vitae cum alterius; secundum ordinem Divinum est conjunctio vitae ex veris fidei cum vita ex bono charitatis, inde omnis conjunctio spiritualis, ex qua ut ex sua origine conjunctio naturalis existit: per accipere alteram significatur conjunctio cum affectione veri ex alia stirpe, ancilla enim, de qua prius, est affectio veri ex jucundo naturali, n: 8993, inde altera est affectio veri ex alia

stirpe. Quid affectio ex alia stirpe, sciri potest ex eo, quod omnis affectio quae amoris, latissimae extensionis sit, et tam latae, ut excedat omnem intellectum humanum; intellectus humanus ne quidem eo usque vadit, ut varietatum ejus genera sciat, minus species quae generum, et adhuc minus particularia et particularium singularia; quicquid enim in homine est, imprimis quod est affectionis seu amoris, infinita varietate est; quod manifeste constare potest ex eo, quod affectio boni et veri, quae est amoris in Dominum et amoris erga proximum, constituat universum coelum, et quod usque omnes qui in coelis sunt, ubi myriades, quoad bonum inter se differunt, ac different si vel multiplicarentur in innumerabiles myriades myriadum; non enim in universo dari potest unum quod prorsus simile est cum altero, ac distincte subsistit, varium erit, hoc est, differens ab altero, ut aliquid sit per se, videatur n: 684. 690. 3241. 3744. 3745. 3986. 4005. 4149. 5598. 7236. 7833. 7836. 8003. Ex his aliquatenus potest sciri, quid intelligitur per affectionem ex alia stirpe, quod nempe affectio quae differt ab altera, sed quae usque conjungi potest eidem vero spirituali: affectiones tales, quae repraesentantur per ancillas desponsatas uni viro, sunt unius generis, sed intercedit differentia in specie, quae differentia specifica dicitur: illustrari haec possent per varia exempla, sed notio communis ex nunc dictis praestat. Ut conjunctiones et subordinationes talium affectionum sub uno vero spirituali repraesentarentur, permissum fuit genti Israëliticae et Judaicae plures concubinas habere, sicut Abrahamo, Genes: XXV: 6, tum, Davidi, Solomoni, ac aliis; nam quicquid permissum isti genti fuit, repraesentationis causa fuit, scilicet ut per externa repraesentarent interna Ecclesiae, n: 3246; at cum interna Ecclesiae aperta sunt a Domino, tunc cessaverunt repraesentationes internorum per externa, quia tunc interna erant quae homo Ecclesiae imbueret, et per quae coleret Dominum, quae sunt illa quae fidei et amoris sunt; quapropter tunc non amplius permissum fuit [24] plures uxores habere, nec concubinas ad uxores; videatur n: 865. 2727 ad 2759. 3246. 4837.

9003. Victum ejus, tegumentum ejus, et debitum conjugiale, non diminuet, quod significet non deprivationem vitae interioris quae est victus, nec vitae exterioris quae est amictus,

ita non deprivationem conjunctionis quae est debitum conjugiale, constat ex significatione victus, quod sit sustentatio vitae interioris, victus enim, seu cibus et potus, in spirituali sensu sunt cognitiones boni et veri, cibus cognitiones boni, n: 5147, et potus cognitiones veri, n: 3168. 3772, quare victus sunt quae vitam hominis spiritualem nutriunt, n: 5293. 5576. 5579. 5915. 8562; ex significatione tegumenti seu amictus, quod sit sustentatio vitae exterioris, tegumentum enim seu vestis in spirituali sensu sunt scientifica inferiora, haec sunt quae vitam externam hominis spiritualiter sustentant, n: 5248. 6918; ex significatione debiti conjugialis, quod sit conjunctio; et ex significatione non diminuere, quod sit non deprivare. Cum his ita se habet, affectio naturalis conjuncta vero spirituali, quae significatur per ancillam desponsatam filio, requirit jugiter sustentationem vitae a vero spirituali, cum quo conjuncta est; affectio enim absque sustentatione inde perit: se habet cum affectione hominis sicut cum ipso homine, quod nisi is sustentetur victu, moriatur; homo etiam quoad interiora sua non est nisi quam affectio, homo bonus est affectio boni et inde veri, at malus est affectio mali et inde falsi: hoc imprimis constat ex homine cum fit spiritus, sphaera vitae, quae tunc exundat ex illo, est vel affectionis boni vel affectionis mali: nutritio seu sustentatio illius tunc non est ex cibo et potu naturali, sed ex spirituali, qui est falsum ex malo spiritui malo, ac verum ex bono spiritui bono; nutritiones mentium humanarum, cum vivunt in corpore in mundo, nec aliae sunt, inde est, quod omnia quae victus sunt, sicut panis, caro, vinum, aqua, et plura alia, in sensu spirituali in Verbo significent talia, quae nutritionis spiritualis sunt. Ex his etiam patet, quid intelligitur per Domini verba apud Matthaeum „*Non ex pane solo vivit homo, sed ex omni verbo quod egreditur ex ore Dei*" IV: 4; tum quid per Ipsius verba apud Lucam „*Comedetis et bibetis super mensa mea in Regno meo*" XXII: 30; et apud Matthaeum „*Dico vobis quod non bibiturus sim a nunc ex hoc genimine vitis, usque ad diem illum, quando bibero vobiscum novum in Regno Patris mei*" XXVI: 29; haec dicens postquam instituit Sanctam Coenam, in qua panis et vinum sunt illa quae sunt amoris et fidei, similiter etiam Caro et Sanguis: inde sciri evidenter potest, quid in-

telligitur per Carnem et per Sanguinem Domini apud Johannem, Cap: VI: 49 ad 58, et per haec ibi „*Caro mea est vere cibus, et sanguis meus est vere potus*" Vers: 55: quod Caro in Verbo sit bonum amoris, videatur n: 3813. 7850; et Sanguis bonum fidei, n: 4735. 6978. [25] 7317. 7326. 7850. 7846. 7877: similiter Panis et Vinum, n: 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915. 6118. 6377.

9004. Si tria haec non fecerit ei, quod significet deprivationem illorum, constat absque explicatione.

9005. Exibit gratis nullo argento, quod significet abalienationem inde absque vero ei conjuncto, constat ex significatione exire, hic ex servitio et a copulatione, quod sit derelictio domini viri sui, ita abalienatio; et ex significatione gratis nullo argento, quod sit absque vero ei conjuncto; quod argentum sit verum, videatur n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 8932. [26] Quomodo cum hoc se habet, constat ex illis quae mox supra n: 9003 ostensa sunt, quod nempe affectio naturalis conjuncta vero spirituali, quae per ancillam desponsatam filio significatur, nequaquam subsistere possit absque sustentatione a spirituali; quapropter si non sustentatur, solvitur conjunctio, proinde abalienatur; quod hoc fiat absque vero inde ei conjuncto, est quia illa tunc associatur alteri, quod non fieri potest cum vita ex vero aliunde: tale significatur per illa verba, quia cum consociationibus in spirituali mundo ita se habet.

9006. Vers: 12. 13. 14. 15. *Percutiens virum et moriatur, moriendo morietur. Et qui non insidiatus est, et Deus occurrere fecerit ad manum illius, et ponam tibi locum, quo fugiat illuc. Et cum ex proposito egerit vir contra socium suum ad occidendum illum dolo, a cum altari meo sumes illum ad moriendum. Et percutiens patrem suum et matrem suam, moriendo morietur.* Percutiens virum et moriatur, significat laesionem veri fidei, et inde jacturam vitae spiritualis: moriendo morietur, significat damnationem: et qui non insidiatus est, significat cum non ex voluntate ex praeviso: et Deus occurrere fecerit ad manum illius, significat apparens sicut casus: et ponam tibi locum quo fugiat illuc, significat statum inculpati et sic exemti a poena: et cum ex proposito egerit vir contra socium suum, significat cogitationem praeviam ex voluntate prava: ad

occidendum illum dolo, significat inde malitiam et aestum ad deprivandum proximum vita aeterna: a cum altari meo sumes illum ad moriendum, significat damnationem etiamsi fugit ad cultum Domini, et supplicat de remissione, ac promittit poenitentiam: et percutiens patrem suum et matrem suam, significat blasphemationem Domini et Regni Ipsius: moriendo morietur, significat damnationem.

9007. Percutiens virum et moriatur, quod significet laesionem veri fidei, et inde jacturam vitae spiritualis, constat ex significatione percutere, quod sit laedere per falsum, de qua n: 7136. 7146; ex significatione viri, quod sit verum fidei, de qua sequitur; et ex significatione mori, quod sit jactura vitae spiritualis, de qua n: 5407. 6119. 7494; in sensu enim interno non alia vita intelligitur, at in sensu externo vita naturalis. Quod per laesionem veri fidei pereat vita spiritualis, causa est, quia bonum unitum vero facit illam vitam, quapropter cum surripitur verum, cadit bonum, et sic vita spiritualis. Quod vir sit verum fidei, est quia in coelo non attenditur ad personam, nec ad aliquid personae, sed ad res a persona abstractas, n: 4380 f. 8343. 8985; inde non percipiunt virum, ubi nominatur in Verbo, nam Vir est persona; sed pro illo facultatem ejus ex qua est vir, nempe facultatem intellectualem; et cum hanc, percipiunt verum fidei, nam hoc ad illam facultatem pertinet, et illam non modo illustrat sed etiam format: sicut per Virum in Coelo percipitur intellectuale hominis, ita per hominem percipitur voluntarium ejus, quia homo est homo ex voluntate, vir autem ex intellectu; et quia voluntas est ipse homo, ideo est bonum amoris homo, nam hoc ad voluntatem pertinet, ac illam perficit et facit; quod vir sit intellectuale et inde verum fidei, videatur n: 158. 265. 749. 1007. 2517. 3134. 3309 pr. 3459. 4823. 7716; et quod homo sit bonum amoris, n: 768. 4287. 7523. 8547. 8988.

9008. Moriendo morietur, quod significet damnationem, constat ex significatione moriendo mori, quod sit damnatio, de qua n: 5407. 6119. 7494: quod mors sit damnatio, est quia apud illos, qui damnati sunt, vera fidei et bona amoris exstincta sunt, illa enim sunt quae ipsissimam vitam hominis constituunt, nam sunt ex Domino, a quo unice vita; cum illa exstin-

cta sunt, loco illorum succedunt falsa et mala, quae quia opposita sunt veris et bonis, quae sunt vitae, ideo sunt mortis, sed mortis spiritualis, quae est damnatio, infernum, infelicitas aeterna; quod usque illi qui in malis et falsis seu qui [27] in inferno sunt, vivant, est quia homines nati sunt, et inde in facultate recipiendi vitam a Domino, et quoque tantum vitae a Domino recipiunt, ut possint cogitare, ratiocinari, et loqui, et per id sistere malum apud se ut appareat sicut bonum, ac falsum sicut verum, et sic agere simulachra vitae.

9009. Et qui non insidiatus est, quod significet cum non ex voluntate ex praeviso, constat ex significatione insidiari, quod sit ab excogitato facere, ita ex praeviso, nam malum quod insidiator facturus est, animo praevidet; et quia tale malum ex praeviso facit, ideo etiam ex voluntate, inde enim prodit. Sunt mala quae prodeunt ex voluntate hominis, sed non ex praeviso, et sunt quae ex voluntate et ex praeviso: quae ex voluntate et praeviso, sunt multo pejora illis quae non ex praeviso, nam videt homo quod mala sint, et ideo potest desistere ab illis, sed non vult, et per id confirmat illa apud se, et mala confirmata imbuunt naturam, ut postea vix exstirpari possint; arcessit enim tunc spiritus ab inferno, qui postea aegre recedunt. Mala quae procedunt ex una parte mentis, et non simul ex altera, ut quae ex parte intellectuali, et non simul ex parte voluntaria, non irradicantur ac appropriantur homini; id solum irradicatur et appropriatur ei quod a parte intellectuali transit in partem voluntariam, seu quod idem, quod a cogitatione quae est intellectus in affectionem quae est voluntatis, et inde in actum; quae voluntatem intrant, sunt quae dicuntur intrare cor. Mala autem, quae unice procedunt ex voluntate, ita non praevia cogitatione, sunt talia ad quae homo inclinat ex haereditario, aut ex aliqua actualitate inde prius, haec non imputantur homini, nisi confirmaverit illa in parte sua intellectuali, n: 966. 2308. 8806; at cum in hac confirmata sunt, tunc inscripta sunt homini, et fiunt ejus propria, ac ei imputantur; sed mala illa non confirmari possunt apud hominem in parte ejus intellectuali, quam in aetate ejus adulta, nempe cum ex se cogitare et sapere incipit, prius enim non sibi sed magistris et parentibus fidem habuit; ex his

patet quid per non insidiatus significetur, quod nempe cum non ex voluntate ex praeviso. [28]

9010. Et Deus occurrere fecerit ad manum illius, quod significet apparens sicut casus, constat ex idea de casu apud antiquos quae fuit quod contigerit a Deo, quare casum ideo expresserunt per quod Deus occurrere fecerit ad manum; qui enim ab antiquis Ecclesiis fuerunt, sciverunt quod Providentia Domini esset in omnibus et singulis, et quod contingentia, hoc est, quae apparebant ut casus, essent Providentiae; quapropter simplices, qui non potuerunt distinguere inter illa quae ex permissione fiebant, et quae ex beneplacito, Domino tam bonum quam malum tribuebant, bonum, quia sciebant quod ab Ipso omne bonum, malum autem propter apparentiam; nam cum homo mala facit, et per ea avertit se a Domino, apparet sicut Dominus se avertat, nam tunc apparet Dominus ei a tergo et non a facie: inde nunc est, quod si quis percusserit aliquem ex casu, ita absque voluntate ex praeviso, expressum id per quod Deus occurrere fecerit ad manum. Quod Providentia Domini sit in omnibus et singulis, videatur n: 1919 fin: 4329. 5122 fin: 5155. 5195. 5894 fin: [29] 6058. 6481. 6482. 6483. 6484. 6485. 6486. 6487. 6489. 6491. 7004. 7007. 8478. 8717. Quod contingentia seu casus sint Providentiae, n: 5508. 6493. 6494. Quod malum tribuatur Domino, cum tamen sit ab homine, n: 2447. 5798. 6071. 6832. 6991. [30] 6997. 7533. 7877. 7926. 8197. 8227. 8228. 8282. 8284. 8483. 8632.

9011. Et ponam tibi locum quo fugiat illuc, quod significet statum inculpati et exemti poena, constat ex significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387. 3404. 4321. 4882. 5605. [31] 7381; et ex significatione asyli, seu loci quo fugeret ille, qui improviso seu ex casu occiderit aliquem, quod sit status inculpati et sic exemti poena; nam qui percusserant aliquem ex casu, hoc est, absque proposito, ita non ex praevia cogitatione, nec affectione mala quae voluntatis, illi non in aliqua culpa ex se fuerunt; quapropter cum tales venerunt ad locum asyli, exemti poena fuerunt. Per illos repraesentati sunt, qui aliquem non ex proposito laedunt quoad vera et bona fidei, et inde exstinguunt vitam ejus spiritualem, nam illi in statu inculpato et exemto poena sunt; sicut sunt illi, qui omni-

modam fidem habent religioso suo, quod etiam est in falso, et ex hoc ratiocinantur contra verum et bonum fidei, et sic persuadent; ut solent quandoque haeretici qui conscientiosi et inde zelotes. Quod illi repraesentati fuerint, qui fugerent ad asyla, constat apud Moschen „ Opportunas seligetis urbes, quae urbes refugii sint vobis, ut fugiat eo homicida, percutiens animam per errorem; ut si ex improviso citra inimicitiam, impulerit eum, aut projecerit super eum *quodcunque instrumentum* sine proposito, *aut ullo lapide quo mori possit*, dum non videt, *adeo ut cadere faciat super eum*, et *moriatur;* cum tamen hostis illi non fuerit, nec quaesiverit malum illius " Num: XXXV: [11.] 12. 22. 23: et apud Eundem „ Hoc verbum homicidae qui fugiet eo ut vivat, cum percusserit socium suum praeter scientiam, cum ille non osor ejus heri et nudius tertius; *cum venerit cum socio suo in sylvam ad caedendum ligna*, sed dum impulsa fuerit manus ejus *cum securi*, ad *caedendum lignum*, *excussum fuerit ferrum a ligno*, et invenerit socium ejus ut moriatur: hic fugiet ad unam urbium harum, ut vivat " Deut: XIX: 4. 5; describitur hic status inculpati et exemti poena, qui aliquem per falsa fidei quae crediderat vera, aut per scientifica ex fallaciis sensuum, laeserit, et sic damnum intulerit vitae ejus internae seu spirituali: ut id significetur, describitur error ille seu casus per instrumentum quodcunque, et per lapidem quem cadere fecerit super socium, ut moriatur, ut et per securim seu ferrum cadens e ligno suo, cum ambo caederent ligna in sylva: causa quod per talia describatur, est quia instrumentum significat scientificum, lapis verum fidei et in opposito sensu falsum, similiter ferrum securis, et caedere ligna significat disputationem de bono ex religioso: quisque potest videre, quod homicidium factum per errorem non absque causa arcana descriptum fuisset per ferrum securis cadens ex suo ligno in sylva, quoniam talis error raro et vix semel intra plures annos accidere solet; sed quod error ille per talia descriptus sit, est propter sensum internum, in quo describitur damnum animae ab alio per falsa fidei, quae ex religioso suo crediderat esse vera, nam qui damnum infert per falsa, quae credit vera, non ex proposito seu ex meliore conscientia damnum facit, quia ex fide sui religiosi et inde Zelo: haec ut in sensu interno significarentur per illos qui occi-

dunt socios per errorem, descripta sunt, ut dictum, per lapidem, per caedere lignum in sylva, et per ferrum securis tunc cadens e ligno in socium; nam Lapis est verum fidei in naturali homine, et in opposito sensu est falsum, videatur n: 643. 1298. 3720. 6426. 8609. 8941; similiter ferrum, n: 425. 426; ferrum securis cadens ex suo ligno est verum separatum ex bono, lignum enim est bonum, n: 643. 2812. 3720 8354; caedere lignum, est meritum ponere in operibus, n: 1110. 4943. 8740; caedere autem ligna in sylva, est ea et similia ventilare, ut et in quaestionem mittere, nam sylva est religiosum. Talia per caedere ligna in sylva securibus, significantur apud Jeremiam „Mercenarii Aegypti ex robore ibunt, *et cum securibus venient illi, sicut excisores lignorum, excident sylvam ejus*, dictum Jehovae" XLVI: 22. 23; hic excidere ligna in sylva pro agere ex religioso falso, et destruere talia quae Ecclesiae sunt; Ecclesia enim vocatur sylva, hortus et paradisus, sylva ex scientia, hortus ex intelligentia, et paradisus ex sapientia, n: 3220, nam arbores sunt perceptiones boni et veri, tum cognitiones eorum, n: 103. 2163. 2722. 2972. 4552. 7690. 7692; et quia sylva est Ecclesia quoad scientiam, ita quoad externa, est quoque religiosum. Ecclesia quoad scientiam seu quoad externa, significatur per sylvam apud Davidem „Exultabit ager, et omne quod in eo, *tunc cantabunt omnes arbores sylvae*" Psalm: XCVI: 12: [32] apud Eundem „Ecce audivimus de Ipso in Ephrata, invenimus Ipsum *in agris sylvae*" Psalm: CXXXII: 6, haec de Domino; apud Esaiam „Erit lux Israëlis in ignem, et Sanctus illius in flammam, incendet *gloriam sylvae ejus*, et *Carmelum ejus;* ab anima usque ad carnem consumet; unde *reliquae arbores sylvae* numerus, ut puer describat eas; excidet *implexa sylvae ferro*, et *Libanus* per Magnificum cadet" X: [17.] 18. 19. 20 [. 34]; sylva pro Ecclesia quoad cognitiones veri, Carmelus pro Ecclesia quoad cognitiones boni, similiter Libanus et Chermon; arbores sylvae pro cognitionibus, ut supra; esse numerus ut puer describat pro paucis: perplexa sylvae pro scientificis, n: 2831. Apud Eundem „Dixisti, per multitudinem curruum meorum ego ascendam altitudinem montium, *latera Libani*, ubi exscindam proceritatem *cedrorum* ejus, electionem *abietum* ejus, deinde veniam ad altitudinem finis ejus, *sylvam Carmeli ejus*"

XXXVII: 24: apud Jeremiam „Visitabo super vos juxta fructum operum vestrorum, et *accendam ignem in sylva ejus*" XXI: 14: apud Ezechielem „Propheta *contra sylvam agri* ad meridiem; ac dic *sylvae meridiei;* ecce incendam in te ignem, et comedet omnem *arborem*" XXI: 2. 3: apud Micham „Pasce populum tuum virga tua, gregem haereditatis tuae, habitantem solum, *sylvam in medio Carmeli*" VII: 14: quis non videt, quod in his locis sylva non intelligatur per sylvam, nec Libanus et Carmelus, quae sunt sylvae, per Libanum et Carmelum, sed quod aliquid Ecclesiae, ac quid Ecclesiae, latuit huc usque, quia latuit sensus internus; et mirum, quod in tam erudito Orbe, qualis est Europa prae reliquis, ubi Verbum est, in cujus singulis est sensus internus, ipsa cognitio de illo nulla sit; fuerat tamen apud antiquos in Chaldaea, in Assyria, in Aegypto, inque Arabia, et inde in Graecia, in quorum libris, emblematibus et hieroglyphicis, adhuc talia offenduntur; sed quod perierit ejus rei cognitio, est quia non fides est quod spirituale sit aliquid.

9012. Sed cum ex proposito egerit vir contra socium suum, quod significet cogitationem praeviam ex voluntate prava, constat ex significatione ex proposito agere, quod sit ex cogitatione praevia, nam qui sibi proponit malum, is praevia cogitatione facit illud, et quia est malum, et id facit, est ex voluntate, nam malum facere originitus inde est; falsum autem quo malum affirmatur, defenditur, et sic promovetur, est cogitationis; ita ex intellectuali pravo seu inverso. Quod homo reus sit, cum malum ex utroque, nempe ex intellectuali et ex voluntario facit, videatur supra n: 9009.

9013. Ad occidendum illum dolo, quod significet inde malitiam ad deprivandum proximum vita aeterna, constat ex significatione occidere, quod sit fidem et charitatem proximo adimere, et sic eum privare vita spirituali, quae est vita aeterna, de qua n: 6767. 8902; et ex significatione doli, quod sit malitia ex voluntate praevia cogitatione seu praemeditato, ita ex proposito. Mala fiunt vel ex inimicitia, vel ex odio, vel ex vindicta, et illa vel per dolum vel absque dolo; sed mala per dolum sunt pessima, quia dolus est sicut venenum quod tabe infernali inficit ac destruit, vadit enim per totam mentem, usque ad in-

teriora ejus; causa est, quia qui in dolo est, meditatur malum, et per id nutrit intellectum suum, et jucundat illum, et sic destruit omne ibi quod est hominis, hoc est, quod est vitae ex bono fidei et charitatis. Qui proximum dolo illaquearunt in mundo quoad mundana et terrestria, illi in altera vita dolo illaqueant proximum quoad spiritualia et coelestia; et quia hoc faciunt in occulto, relegantur in inferna post tergum, profunde secundum doli malignum et nocivum, separantur sic ab illis qui a facie sunt; hi vocantur spiritus, illi autem genii, n: 5035. 5977. 8593. 8622. 8625: genii non admittuntur ad homines sicut spiritus, quia illi influunt in affectiones quae sunt voluntatis, agendo contra bonum quod amoris et charitatis, tam clandestine ut nequaquam percipi possit, et per eam viam destruunt verum quod fidei; illi in infernis suis se invisibiles coram sociis reddunt, qui enim in abscondito egerunt in mundo, illi se invisibiles in altera vita reddere possunt, at cum apparent, inter se apparent sicut homines; sed inspecti ab angelis apparent sicut serpentes, nam illis natura serpentum est, et quod exit ab illis, est sicut venenum, et quoque est venenum spirituale; quapropter venenum in Verbo significat dolum, et serpentes venenati, sicut aspides, reguli, viperae, significant dolosos; ut apud Davidem „In corde perversitates operamini, *venenum illorum sicut venenum serpentis, sicut aspidis surdae*" Psalm: LVIII: 3. 5. Apud Eundem „Cogitant mala in corde, exacuunt linguam suam sicut *serpens; venenum aspidis sub labiis illorum*" Psalm: CXL: 3. 4. Apud Esaiam „*Ova aspidis ponunt, et telas araneae texunt*, qui comedit de ovis illorum, moritur" LIX: 5. Apud Hiobum „*Venenum aspidum suget, occidet eum lingua viperae*" XX: 16. Apud Moschen „*Venenum draconum* vinum illorum, et fel *aspidum* crudele" Deut: XXXII: 33. Apud Matthaeum „Vae vobis Scribae et Pharisaei *hypocritae;* quomodo o *serpentes, progenies viperarum*, effugietis judicium Gehennae" XXIII: 29. 33; dolus dicitur hypocrisis, cum pietatem ore gerunt, ac impietatem corde, vel cum charitatem ore at odium corde, vel cum innocentiam facie et gestu, sed crudelitatem anima et pectore, proinde qui per innocentiam, charitatem et pietatem fallunt; illi sunt serpentes, et viperae in sensu interno, quia, ut supra dictum, tales in luce coeli ab an-

gelis inspecti apparent sicut serpentes, ac ut viperae, qui sub veris recondunt mala, hoc est, qui dolose vera inflectunt ad faciendum mala, nam illi quasi sub dentibus abscondunt venenum, et sic occidunt. At qui a Domino in fide veri et vita boni sunt, a venenis illorum non possunt laedi, nam in luce sunt a Domino, in qua dolosi apparent sicut serpentes, ac doli illorum ut venena; quod illi in tuto sint a Domino, intelligitur per Domini verba ad discipulos „Ecce do vobis potestatem *calcandi super serpentes et scorpios*" [Luc:] X: 19. Apud Marcum „Signa credentes haec sequentur, *serpentes tollent, etiamsi lethale quid biberint, non illis nocebit*" XVI: 18: et apud Esaiam „*Ludet sugens super foramine viperae*" XI: 8. Qui interius infecti sunt dolo spirituali, hoc est, hypocrisi, illi sunt qui intelliguntur per loquentes contra Spiritum Sanctum, quibus nulla remissio, apud Matthaeum „Dico vobis, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, *spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus:* imo si quis dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur illi, *qui vero dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur illi*, neque in hoc saeculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem pravam et fructum ejus pravum: o *progenies viperarum*, quomodo potestis bonum loqui, cum mali sitis" XII: 31. 32. 33; per dicere verbum contra Spiritum Sanctum, est de illis quae Domini, Ipsius Regni et Ecclesiae sunt, tum quae Verbi, loqui bene at cogitare male, ac facere bene et velle male, nam sic latet intus in veris quae loquuntur falsum, et in bonis quae faciunt malum, quod est venenum absconditum, inde vocantur progenies viperarum: in altera vita licet malo malum et quoque falsum loqui, non autem bonum et verum; quoniam omnes adiguntur ibi loqui ex corde, ac non dividere mentem; qui aliter faciunt, separantur a reliquis, et reconduntur in infernis, e quibus exire nusquam possunt; quod tales sint qui per dicentes verbum contra Spiritum Sanctum intelligantur, constat a Domini verbis ibi „Aut facite arborem bonam et fructum bonum, aut facite arborem pravam et fructum pravum: quomodo potestis bonum loqui cum mali sitis:" Spiritus Sanctus est Divinum Verum procedens a Domino, ita ipsum sanctum Divinum, quod sic interius blasphematur et prophanatur: quod illis non

remittetur, est quia hypocrisis seu dolus circa sancta Divina, inficit interiora hominis, et destruit omne vitae spiritualis apud eum, ut supra dictum est, tandem usque adeo, ut non alicubi integrum sit; remissio enim peccatorum est separatio mali a bono, ac rejectio mali ad latera, n: 8393, quod non fieri potest apud quem omne bonum est destructum; ideo dicitur, „non remittetur illi, neque in hoc saeculo neque in futuro." Sunt quoque tales, qui intelliguntur per non indutum veste nuptiali, qui ligatus pedes et manus, et ejectus in tenebras exteriores, Matth: XXII: 11. 12. 13, videatur n: 2132. Quod dolus in Verbo sit hypocrisis, constat ab his locis; apud Jeremiam „Vir a socio suo cavete, et super ullo fratre ne confidite; omnis namque frater supplantat, vir cum socio suo illudunt, et *veritatem non loquuntur:* docuerunt linguam suam *loqui mendacium*, habitare tuum *in medio doli; ob dolum* renuerunt cognoscere Me, dictum Jehovae" IX: [3.] 4. 5. Apud Davidem „Perdes loquentes mendacium, *virum sanguinum et doli abominatur Jehovah*" [Psalm:] V: 7. Apud Eundem „Beatus homo, cui non imputat Jehovah iniquitatem, *modo non in spiritu ejus dolus*" Psalm: XXXII: 2. Et apud Eundem „Libera animam meam a labio mendacii, *a lingua doli*" Psalm: CXX: 2: pariter Psalm: LII: 4. Psalm: CIX: 2.

9014. A cum altari meo sumes illum ad moriendum, quod significet damnationem etiamsi fugit ad cultum Domini, et supplicat de remissione, ac promittit poenitentiam, constat ex significatione Altaris Jehovae, quod sit principale repraesentativum cultus Domini, de qua n: 921. 2777. 2811. [33] 4541. 8935. 8940; et quia erat repraesentativum cultus, ideo fugere ad altare est ad Dominum, et supplicare de remissione, et quoque poenitentiam promittere, nam unum sequitur alterum; et ex significatione mori, quod sit damnatio, de qua n: 5407. 6119. 9008. Quomodo cum his se habet, constare potest ex illis quae in superiori paragrapho, n: 9013, ostensa sunt; quod nempe dolus in spiritualibus, hoc est, hypocrisis, non possit remitti; causa est, quia dolus est sicut venenum quod penetrat usque ad interiora, et necat omne fidei et charitatis, et destruit Reliquias, quae sunt vera et bona fidei et charitatis in interioribus hominis a Domino recondita, quibus destructis nihil vitae spiritualis am-

plius superest: de Reliquiis, videatur n: 468. 530. 560. 561. 562. 563. 660. 661. 798. 1050. 1738. 1906. 2284. 5135. [34] 5342. 5344. 5897. 5898. 6156. 7560. 7564: quapropter cum tales ad Dominum supplicant de remissione, et poenitentiam promittunt, quae significantur per fugere ad altare, nihil prorsus ex corde supplicant et promittunt, sed solum ex ore, ideo non audiuntur, nam Dominus ad cor spectat, et non ad voces a corde abstractas et abalienatas; inde nulla illis remissio, quia nulla apud illos est dabilis poenitentia. Creditur a plerisque intra Ecclesiam, quod peccatorum remissio sit eorum abstersio et ablutio sicut sordium ab aquis, et quod post remissionem incedant mundi et puri; talis opinio regnat imprimis apud illos qui Soli Fidei adscribunt omne salvationis; sed sciendum, quod cum remissione peccatorum prorsus aliter se habeat; Dominus remittit unicuique peccata, quoniam est ipsa Misericordia, sed usque ideo non remissa sunt, nisi homo seriam poenitentiam agat, ac desistat a malis, et dein vivat vitam fidei et charitatis, et hoc usque ad finem vitae suae; cum hoc fit, tunc homo vitam spiritualem, quae vocatur vita nova, a Domino accipit; cum ab hac vita spectat mala vitae suae prioris, et aversatur et horret illa, tunc primum mala remissa sunt, nam tunc tenetur homo in veris et bonis a Domino, ac detinetur a malis: inde patet quid remissio peccatorum, et quod illa non possit intra horam dari, nec intra annum: quod ita sit, Ecclesia novit, nam dicitur illis qui Sanctam coenam obeunt, quod peccata remittantur si inchoënt vitam novam, abstinendo a malis, ac horrendo illa. Ex his nunc patet, quomodo se habet cum Hypocritis, qui inescati sunt malis per dolum quoad interiora, quod poenitentiam agere nequeant; ipsae enim reliquiae boni et veri apud illos consumtae et deperditae sunt, et cum illis omne vitae spiritualis; et quia poenitentiam non possunt agere, non illis potest remitti. Hoc significatur per quod sumendi sint ab altari ad moriendum, qui proximum dolo occidunt. Damnatio eorum descripta est per Davidis Prophetica de Joabo, quum is dolo occiderat Abnerum, ita „Non exscindetur a domo Joabi fluxum patiens, et leprosus, et sustentans se baculo, et cadens gladio, et carens pane" II Sam: III: 27. 29; fluxum patiens significat prophanationem boni amoris, leprosus prophanationem veri fidei,

n: 6983; sustentans se baculo seu claudus significat illos apud quos omne bonum est deperditum, n: 4302. [35] 4314; cadens gladio illos qui continue moriuntur per falsa, n: 4499. 6353. [36] 7102. 8294; carens pane deprivatos omni vita spirituali, panis enim est sustentatio vitae spiritualis per bonum, n: 6118. 8410: quia tales per Joabum significati sunt, ideo Joabus jussu Schelomonis occisus est ad altare, quo fugit, I Reg: II: 28 ad 32.

9015. Et percutiens patrem suum et matrem suam, quod significet blasphemationem Domini et Regni Ipsius, constat ex significatione percutere, quod sit laedere per falsa, de qua n: 7136. 7146. 9007, at cum praedicatur de Domino et de Ipsius Regno, est blasphemare; ex significatione patris, quod sit Dominus, et Matris, quod sit Regnum Ipsius, de qua n: 8897, ubi explicatum est praeceptum decalogi quartum, et ostensum quid in sensu interno intelligitur per honorare patrem et matrem, quod nempe sit amare Dominum et Regnum Ipsius, et inde in sensu respectivo amare bonum et verum; ita etiam percutere patrem et matrem in sensu respectivo est blasphemare bonum et verum Ecclesiae.

9016. Moriendo morietur, quod significet damnationem, constat ex significatione mori, quod sit damnatio, de qua supra n: 9008.

9017. Vers: 16. 17. *Et furans virum et vendens illum, et inventus fuerit in manu illius, moriendo morietur. Et maledicens patri suo et matri suae, moriendo morietur.* Et furans virum et vendens illum, significat applicationem veri fidei ad malum et abalienationem: et inventus fuerit in manu illius, significat usque agnitionem ejus: moriendo morietur, significat damnationem: et maledicens patri suo et matri suae, significat negationem omnimodam Domini et Ipsius Regni ab illis qui ab Ecclesia, et sic prophanationem boni et veri Ecclesiae: moriendo morietur, significat damnationem.

9018. Et furans virum et vendens illum, quod significet applicationem veri fidei ad malum et abalienationem, constat ex significatione furari virum, quod sit applicatio veri fidei ad malum; quod vir, hic vir ex filiis Israëlis, sit verum fidei, videatur n: 5414. 5879. 5951. 7957. [37] 9007, ac furari, applicatio

ejus ad malum, n: 5135; et ex significatione vendere, quod sit abalienatio, de qua n: 4098. 4752. 4758. 5886.

9019. Et inventus fuerit in manu illius, quod significet usque agnitionem ejus, nempe veri fidei, constat ex significatione inventus esse in manu, cum dicitur de vero fidei, quod sit agnitio, nam cum illud agnoscitur aliqua fide, invenitur apud illum, in manu ejus est, apud illum.

9020. Moriendo morietur, quod significet damnationem, videatur [38] supra n: 9008. [39] Quod sint damnati, qui applicant vera fidei ad mala, et sic abalienant a se, est quia prius agnoverunt illa; nam verum fidei, quod semel agnitum est, cum postea applicatur ad malum, commiscetur cum falso ex malo, inde prophanatio; quod hoc sit prophanatio, videatur ex locis infra n: 9021 citatis: ut hoc melius intelligatur, sit exemplum illustrationi; qui ex arbitrio dispensare volunt illa quae Domini sunt, imprimis quae coelestis vitae apud hominem, ob finem ut dominentur super omnes et ut lucrentur mundum; illi cum ex verbis Domini confirmantia sumunt, sunt fures in spirituali sensu, nam furantur vera ex Verbo, et applicant ad mala; quod mala sint, est quia pro fine habent dominatum et lucrum, et non salutem animarum; iidem si vera ex Verbo, quae ad mala applicant, prius absque fine dominatus ac lucri agnoverunt, tunc illa prophanant, nam sic falsa ex malis commiscent veris: tales nequaquam possunt effugere damnationem, nam per id deprivant se omni vita spirituali; quod deprivant se illa vita, patet ex eo, quod cum sibi relicti ex se cogitant, ac inter se loquuntur, nullam fidem veris habeant, non credunt Dominum, nec coelum, nec infernum; sed usque haec ore ferunt prae aliis, quoniam ardor dominandi et lucrandi ad haec ut ad media ad fines suos excitat: regnat hoc imprimis in gentilismo Christiano, ubi idola sanctificatorum hominum exponuntur adorationi, coram quibus flectunt genua et se substernunt, etiam ipsi ex dolo ut fallant et persuadeant.

9021. Et maledicens patri suo et matri suae, quod significet negationem omnimodam Domini ac Ipsius Regni ab illis qui ab Ecclesia, et sic prophanationem boni et veri Ecclesiae, constat ex significatione maledicere, quod sit aversio et disjunctio, de qua n: 245. 379. 1423. 3530. 3584. 5071, inde quoque

negatio omnimoda, nam qui se avertit et disjungit a Domino, is Ipsum corde negat: ex significatione patris et matris, quod sit Dominus ac Ipsius Regnum, et in sensu respectivo bonum et verum, quae a Domino, de qua n: 8897. 9015: quod sit ab illis qui intra Ecclesiam sunt, est quia praecepta, judicia et statuta, quae a Domino e monte Sinai promulgata sunt, fuerunt in specie pro filiis Israëlis, apud quos repraesentativum Ecclesiae tunc instituebatur, et per quos ideo significabatur Ecclesia, n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223. 7957. [37] 8234. 8805; idcirco etiam per maledicere patri et matri significatur prophanatio, nam qui intra Ecclesiam omnimode negant Dominum et illa quae Regni et Ecclesiae Ipsius sunt, illi prophanant; quod illi qui intra Ecclesiam sunt, prophanare possint sancta, non autem illi qui extra Ecclesiam, videatur n: 1008. 1010. 1059. 2051. 3398. 3399. 3898. 4289. 4601. 6348. 6959. [40] 6963. 6971. 8882: inde est, quod negatio Domini non sit prophanatio apud illos qui extra Ecclesiam sunt, ut apud gentiles, Mahumedanos, Judaeos.

9022. Moriendo morietur, significat damnationem, ut supra n: 9008. [39] 9016. 9020. [41] Quomodo singula in sensu interno cohaerent, patet ex illis quae dicta et ostensa sunt; in sensu enim interno agitur in serie de negatione, blasphematione et prophanatione veri et boni quae a Domino, sed in sensu externo talis series non apparet, in hoc enim agitur de variis, prout de illis qui percutiunt virum ut moriatur, de illis qui occidunt socium dolo, de illis qui percutiunt patrem et matrem, de illis qui furantur virum et vendunt, tum de illis qui maledicunt patri et matri: tale est Verbum in singulis, quod nempe in sensu interno res sequantur ordine et sicut in catena, tametsi in sensu externo, hoc est, in sensu literae res sint sparsae et plurifariam divisae.

9023. Vers: 18. 19. 20. 21. *Et cum litigaverint viri, et percusserit vir socium suum lapide vel pugno, et non moritur, et decumbit in lecto. Si surrexerit et ambulaverit foris super scipione suo, insons erit percutiens; tantum cessationem ejus dabit, et curando curabit. Et cum percusserit vir servum suum aut ancillam suam baculo, et moriatur sub manu ejus, vindicando vindicabitur. At tamen si diem vel biduum steterit, non*

vindicabitur, quia argentum ejus ille. Et cum litigaverint viri, significat contentionem apud se de veris: et percusserit vir socium suum lapide vel pugno, significat infirmationem unius ex vero aliquo scientifico aut communi: et non moritur, significat et non exstinguitur: et decumbit in lecto, significat separatum in naturali: si surrexerit et ambulaverit foris super scipione suo, significat vires vitae in illo: insons erit percutiens, significat non reum esse mali: tantum cessationem ejus dabit, significat indemnificationem: et curando curabit, significat restitutionem: et cum percusserit vir servum suum aut ancillam suam baculo, significat si quis intra Ecclesiam verum scientificum aut affectionem ejus ex propria potentia male habet: et moritur sub manu ejus, significat ut exstinguatur sub intuitione ejus: vindicando vindicabitur, significat punitionem mortis: attamen si diem vel biduum steterit, significat statum vitae manentis usque ad plenum: non vindicabitur, significat non punitionem mortis: quia argentum ejus ille, significat ex proprio acquisitum.

9024. Et cum litigaverint viri, quod significet contentionem apud se de veris, constat ex significatione litigare, quod sit contendere, de qua sequitur; et ex significatione virorum, quod sint intelligentes et qui in veris, ac in sensu abstracto intellectualia et vera, de qua n: 3134. 9007; inde litigatio virorum significat contentionem de veris inter illos qui ab Ecclesia, et in sensu abstracto de illis apud se; nam litigare in sensu spirituali est contendere de talibus quae Ecclesiae sunt, proinde quae fidei; in Verbo non aliud per litigare intelligitur, nam Verbum est spirituale, et agit de spiritualibus, hoc est, de illis quae sunt Domini, Ipsius Regni in Coelo et Regni in terra, hoc est, Ecclesiae: quod litigare in Verbo significet contentionem de veris, et in genere pro veris contra falsa, ut et defensionem, et liberationem a falsis, a sequentibus his locis patet; apud Jeremiam „Venit tumultus usque ad finem terrae, quoniam *Lis Jehovae contra gentes*, judicium intrabit cum omni carne, impios tradet gladio, ecce malum exibit [42] de gente ad gentem, et procella magna excitabitur a lateribus terrae" XXV: 31. 32, describitur sic prophetice status Ecclesiae perversus, tumultus est contentio pro falsis contra vera et pro malis contra bona; terra est Ecclesia; lis Jehovae contra gentes est contentio Do-

mini pro veris contra falsa, et pro bonis contra mala, ita quoque defensio; gentes sunt falsa et mala; gladius est falsum, pugnans et vincens; procella magna est falsum dominans; latera terrae sunt ubi falsa ex malo erumpunt. Apud Eundem „*Jehovah litigabit litem eorum*, ut quietem det terrae" L: 34, litigare litem pro defendere vera contra falsa, et liberare; terra pro Ecclesia, cui quies cum est in bono et inde in veris. Apud Eundem „*Litigasti Domine lites animae meae*, liberasti vitam meam" Thren: III: 58, litigare lites animae pro defendere et liberare a falsis. Apud Davidem „*Litiga litem meam*, et redime me, juxta verbum tuum vivifica me" Psalm: CXIX: 154, litigare litem etiam pro liberare a falsis. Apud Micham „*Litiga cum montibus*, et audiant colles vocem tuam" VI: 1; litigare cum montibus pro contendere et defendere contra elatos, ut et contra mala amoris sui, colles qui audient vocem sunt humiles et qui in charitate. Apud Esaiam „*Non in aeternum litigabo*, et non in perpetuum succensebo" LVII: 16, litigare pro contendere contra falsa. Apud Hoscheam „*Est lis Jehovae cum Jehudah*" XII: 3, similiter: praeter etiam alibi.

9025. Et percusserit vir socium suum lapide vel pugno, quod significet infirmationem unius ex vero aliquo scientifico aut communi, constat ex significatione percutere, quod sit laedere, de qua n: 7136. 7146. 9007, hic infirmare, quia est de veris ex scientificis; ex significatione lapidis, quod sit verum, de qua n: 643. 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798. 6426. 8941, quod sit verum in ultimo ordinis, hoc est, in naturali, ita scientificum, n: 8609; et ex significatione pugni, quod sit verum commune, nam per manum significatur potentia quae est veri, n: 3091. 4931. 7188. 7189, inde per pugnum significatur potentia plena ex vero communi; verum commune dicitur, quod receptum est et ubique valet; inde percutere pugno est plena vi et potentia, in spirituali sensu per vera quae ex bono, et in opposito sensu per falsa quae ex malo; in quo sensu apud Esaiam „Ecce ad litem et contentionem jejunatis, *ad percutiendum pugno malitiae*" LVIII: 4, percutere pugno malitiae pro ex plena vi per falsa ex malo. Quid sit infirmare verum aliquod Ecclesiae per verum scientificum aut commune, explicabitur; per vera scientifica intelliguntur vera quae ex sensu literali Verbi.

sunt; vera inde communia sunt quae recepta in vulgus et inde in communi sermone; talia vera sunt perplura, et multa vi valent; sed sensus literalis Verbi est pro simplicibus, pro illis qui initiantur in vera fidei interiora, et pro illis qui non capiunt interiora, nam est secundum apparentiam coram sensuali homine, ita secundum captum; inde est, quod ibi pluries appareant dissimilia et sibi quasi contradicentia, sicut pro exemplo, quod Dominus in tentationem inducat et alibi quod non inducat, quod Domini poeniteat et alibi quod non poeniteat, quod Dominus ex ira et excandescentia agat et alibi quod ex pura clementia et misericordia, quod animae sistantur judicio statim post obitum, et alibi quod tempore ultimi judicii, et sic porro: talia, quia sunt ex sensu literali Verbi, vocantur vera scientifica, ac differunt a veris fidei quae sunt doctrinae Ecclesiae; haec enim exsurgunt ab illis per explicationem; nam cum explicantur, instruitur homo Ecclesiae, quod propter captum et secundum apparentiam ita in Verbo dictum sit; inde quoque est, quod doctrinae Ecclesiae in plurimis recedant a sensu Verbi literali; sciendum est, quod vera doctrina Ecclesiae sit quae sensus internus hic vocatur, nam in sensu interno sunt vera qualia angelis in coelo. Inter sacerdotes, et inter homines Ecclesiae, sunt qui docent et discunt vera Ecclesiae ex sensu literali Verbi, et sunt qui docent et discunt ex doctrina e Verbo, quae doctrina fidei Ecclesiae vocatur; hi ab illis valde differunt perceptione, sed a vulgo non distingui possunt, quia hi et illi ex Verbo paene similiter loquuntur; sed illi qui Verbi sensum literalem solum docent et discunt absque doctrina Ecclesiae regulatrice, non capiunt nisi illa quae sunt naturalis seu externi hominis, at qui ex vera doctrina quae ex Verbo, intelligunt etiam quae sunt spiritualis seu interni hominis, causa est, quia Verbum in sensu externo seu literali est naturale, at in sensu interno est spirituale; ille sensus in Verbo vocatur nubes, hic autem gloria in nube, n: 5922. 6343 fin: 6752. 8106. [43] 8781. Ex his nunc constare potest, quid intelligitur per contentionem apud se de veris, ac per infirmationem unius ex vero aliquo scientifico aut communi; Verum scientificum et commune est, ut dictum, Verum ex sensu literali Verbi, quod quia est dissimile et quoad apparentiam sibi quasi contradicens, non potest non quandoque infirmare

vera spiritualia quae sunt doctrinae Ecclesiae; quae infirmantur cum cogitatio ex locis in Verbo sibi repugnantibus in dubium venit: de hoc statu de veris fidei apud hominem agitur hic in sensu interno.

9026. Et non moritur, quod significet et non exstinguitur, constat ex significatione mori, quod sit desinere esse talis, de qua n: 494. 6587. 6593, proinde exstingui, hic non exstingui. Quia in sensu interno hic agitur de concordantia verorum fidei cum illis quae sunt sensus literalis Verbi, et quia ea quae sunt sensus literalis Verbi non possunt exstingui, quoniam sunt vera in ultimo ordinis, idcirco non agitur hic de percussione Viri ex qua moritur, sed solum de percussione viri ex qua non moritur, nam quae sensus literalis Verbi sunt, quidem infirmari possunt, at non extingui; et quoque postquam infirmata sunt, possunt separari ac dein per explicationem restitui; quae significantur per illa quae de viro percusso a socio, ac surgente et ambulante super scipione suo, statuta sunt. Qui Verbi interiora rimatur, potest videre, quod propter arcanam causam, quae non sub intellectum nisi illustratum a luce coeli, cadit, a Domino statutum sit, quod percutiens insons esset, si percussus surrexerit e lecto et ambulaverit foris super scipione suo; et magis quod a Domino statutum sit, quod qui percutit servum suum, et is non moritur intra diem aut biduum, non vindicaretur, quia est argentum ejus, cum tamen sit privatio vitae hominis, est enim homo, tametsi servus; sed arcana causa cur ita a Domino statutum sit, non patet nisi quam per sensum internum, in quo agitur de veris Ecclesiae ex Verbo, cum quibus similiter se habet, quum per virum litigantem et percutientem socium, et quoque per virum percutientem servum suum et ancillam suam, intelliguntur talia quae in sensu spirituali correspondent, quae nunc explicantur: apud gentem Israëliticam fuit instituta Ecclesia Repraesentativa, hoc est, Ecclesia, in qua interna, quae sunt coeli et Ecclesiae, repraesentarentur per externa; idcirco talia statuta et mandata quoque sunt, quae pro legibus non valent, postquam a Domino interna Ecclesiae aperta et revelata sunt, nam tunc homo vitam internam, quae est vita fidei et charitatis, victurus est, et illam externam, in qua interna faciunt vitam.

9027. Et decumbit in lecto, quod significet separatum in naturali, constat ex significatione decumbere, quod sit separari; et a significatione lecti, quod sit naturale, de qua [n:] 6188. 6226. 6463; quomodo cum hoc se habet, ex sequentibus patebit.

9028. Si surrexerit et ambulaverit foris super scipione suo, quod significet vires vitae in illo, constat ex significatione surgere, quod involvat aliquid elevationis, hic veri spiritualis ad concordantiam cum vero scientifico; ex significatione ambulare, quod sit vivere, de qua n: 519. 1794. 8417. 8420; et ex significatione scipionis, quod sint vires, baculus enim significat potentiam quae veri, ita vires, n: 4876. 4936. 6947. 7011. 7026, scipio similiter, sed applicate ad non bene valentes; in quo sensu etiam dicitur apud Davidem « Praevenerunt me in die perniciei meae, *sed fuit Jehovah in scipionem mihi*, et eduxit me in latitudinem » Psalm: XVIII: 19. 20; dies perniciei pro statu invalido quoad fidem veri; Jehovah in scipionem pro potentia tunc; educere in latitudinem pro in vera quae fidei, quod hoc sit educere in latitudinem, videatur n: 4482: etiam apud Esaiam « Dominus Jehovah Zebaoth removens ex Hierosolyma et Jehuda *baculum* et *scipionem*, omnem baculum panis, et omnem baculum aquae » III: 1, removere baculum et scipionem pro potentiam et vires vitae ex vero et bono, baculum panis pro potentiam ex bono, baculum aquae pro potentiam ex vero. Scipio in Lingua originali dicitur ab inniti et fulciri, quod in spirituali mundo fit per verum et bonum.

9029. Insons erit percutiens, quod significet non reum esse mali, constat ex significatione insons esse, quod sit non reum esse mali, agitur enim de illis qui ex vero aliquo spirituali, quod est verum doctrinae fidei Ecclesiae ex Verbo, spectant aliquod verum scientificum, quod est verum ex sensu literae Verbi, et quia non apparet concordantia, ideo infirmatur verum spirituale et aliquam diu separatur, non autem negatur seu exterminatur; de illis dicitur, quod non rei sint mali; et ex significatione percutere, quod sit infirmare, ut supra n: 9025.

9030. Tantum cessationem ejus dabit, quod significet indemnificationem, constat ex significatione cessationis, quod sit

indemnificatio, hic veri spiritualis, quod infirmatum est per verum scientificum. Verum spirituale vocatur id verum, quod una cum bono facit vitam Interni hominis, at verum scientificum est id verum quod facit vitam Externi hominis; hoc verum est ex sensu literali Verbi, illud autem ex sensu interno Verbi, ita quoque ex genuina doctrina fidei Ecclesiae, nam haec doctrina est doctrina sensus interni.

9031. Et curando curabit, quod significet restitutionem, nempe per interpretationem; quae enim in sensu literali Verbi sunt, si interius spectantur, omnia concordant: se habet hoc, sicut quod dicatur in Verbo de Sole quod oriatur et occidat, cum tamen is non oritur nec occidit, sed quod talis aspectus appareat ab incolis in tellure, quia haec circum axem quotidie vertitur; haec veritas naturalis latet in priore, quae secundum apparentiam visus externi est; si contra eam apparentiam dictum fuisset in Verbo, vulgus non caperet, et quod vulgus non capit nec credit: similiter se habet cum Sole coeli, qui est Dominus, de quo etiam dicitur quod oriatur, sed in cordibus cum homo regeneratur, et quoque cum in bono amoris et fidei est; et quod occidat, cum homo in malo et inde in falso est; cum tamen Dominus jugiter in ortu est, unde quoque vocatur Oriens, et nusquam in occasu, nec ab homine se vertit, sed homo ab Ipso; inde apparentia quod Dominus avertat faciem, et quoque inducat malum; quare etiam ita dicitur in Verbo; hoc quoque est verum, sed verum apparens, ita non repugnans priori. Ex his nunc constare potest, quid per curando curare in sensu interno significatur, quod nempe veri spiritualis restitutio, quae fit per justam interpretationem veri scientifici seu sensus literalis Verbi. Se habet similiter cum omni vero quod est sensus literalis, hoc enim in luce naturali, quae est homini sensuali, apparet sicut in Verbo dicitur, nam sensus literalis est naturalis, et pro homine sensuali; at cum idem sistitur in luce coeli, tunc apparet id secundum sensum internum, nam hic sensus est spiritualis, et pro homine coelesti; quoniam illa quae lucis naturalis sunt, evanescunt in luce coeli; est enim lux naturalis sicut umbra aut nubes, et lux coelestis sicut gloria et splendor remota nube; quapropter etiam sensus literalis Verbi vocatur nubes, et sensus internus gloria, videatur Praefat: ad Cap: XVIII:

Genes: et n: 4391. 5922. 6343. 8106. 8443. 8781. Quod per curando curare significetur restituere in sensu spirituali, est quia morbus et aegritudo significant invalitudinem Interni hominis, invalitudo hujus est cum aegrotat quoad vitam suam, quae est vita spiritualis, ita cum a vero deflectit ad falsum, et a bono ad malum; cum hoc fit, aegrotat vita illa, et cum prorsus a vero et bono se avertit, tunc illa moritur, sed mors ejus vocatur mors spiritualis, quae est damnatio: quia cum vita Interni hominis ita se habet, idcirco talia quae sunt morborum et mortis in naturali mundo, in Verbo dicuntur de morbis vitae spiritualis et de ejus morte: ita quoque morborum curationes seu sanationes; ut apud Esaiam „Percutit Jehovah Aegyptum, *percutiendo* et *curando*, unde convertit se ad Jehovam, et exorabitur illis, *et curabit illos*" XIX: 22. Apud Eundem „Atqui Ille confossus ob praevaricationes nostras, contusus ob iniquitates nostras; castigatio pacis nostrae super Illo, *et in vulnere Ipsius curatio data nobis*" LIII: 5, haec de Domino. Apud Jeremiam „Revertimini filii perversi, *curabo aversiones vestras*" III: 22. Apud Eundem „*Ecce ascendere faciam ei curationem* et *medelam*, et *curabo eos*, et revelabo illis abundantiam pacis et veritatem" XXXIII: 6. Apud Eundem „Ascende Gilead, et sume *balsamum* virgo filia Aegypti, *in vanum multiplicasti medicamenta, curatio non tibi*" XLVI: 11. Et apud Ezechielem „Juxta fluvium ascendit super ripa ejus hinc et illinc arbor cibi, cujus non decidit folium, neque consumitur fructus, in menses suos renascitur, quia aquae ejus e Sanctuario exeunt, inde fructus ejus in cibum, et *folium ejus in medicamenta*" XLVII: 12, fructus qui in cibum pro bono amoris et charitatis quod est nutritioni vitae spiritualis, folium quod in medicamenta pro veris fidei quae ei vitae sunt recreationi et restitutioni; quod fructus sit bonum amoris et charitatis, videatur n: 3146. 7690, et quod folium sit verum fidei, n: 885. Quia morbi et aegritudines, tum curationes et medicamenta, in Verbo non dicuntur de vita naturali, sed de alia vita quae distincta est a vita naturali; inde patet ei qui aliquantisper expendit, quod sit homini vita alia, quae Interni ejus hominis est: qui crasse cogitant de vita hominis, credunt quod ei non alia vita sit quam quae corporis, quae vita Externi seu Naturalis homi-

nis est; illi mirantur quid sit vita Interni hominis, imo quid Internus homo; si illis dicitur, quod haec vita sit vita fidei et charitatis, et quod Internus homo sit ejus Spiritus qui vivit post mortem, qui est essentialiter ipse homo, adhuc magis mirantur: et qui eorum solum corpori et non animae vivunt, ita qui solum naturales homines sunt, nihil quod de vita fidei et charitatis, et quod de Interno homine dicitur, capiunt, nam illis cogitatio modo est ex luce naturali, et nulla ex luce spirituali; quapropter etiam post mortem manent quoad cogitationem crassi, et vivunt in umbra mortis, hoc est, in falsis ex malo; et prorsus caligant et caecutiunt ad lucem coeli.

9032. Actum est in binis his Versibus de Vero spirituali, quod est verum doctrinae fidei ex Verbo, infirmato per verum scientificum, quod est verum sensus literalis Verbi; sed quia communiter creditur, quod verum doctrinae fidei Ecclesiae sit unum et idem cum Vero sensus literalis Verbi, licet rem illustrare exemplo; Verum genuinum doctrinae Ecclesiae, est, quod charitas erga proximum et amor in Dominum faciant Ecclesiam apud hominem, et quod amores illi insinuentur a Domino per fidem, hoc est, per vera fidei quae ex Verbo, consequenter quod non sola fides; qui in illo vero est, et consulit Verbum, confirmatur ubivis; at ubi offendit verba de fide, et ibi non simul memoratur amor, haeret, et incipit de vero doctrinae fidei suae dubium volvere; inde verum illud tamdiu infirmatur, et a reliquis, quae indubiae fidei sunt, separatur. Sint illustrationi Domini verba de fide apud Marcum „*Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvabitur; qui vero non crediderit, condemnabitur*" XVI: 16; hic quia agitur de fide et non simul de amore, potest mens haerere in dubio de vero suae doctrinae, quod amor coelestis insinuatus per fidei vera faciat Ecclesiam; sed cum interius spectatur verum hoc scientificum, hoc est, verum sensus literalis Verbi, patet quod usque cum vero doctrinae concordet; per baptizari enim in sensu interno significatur regenerari, n: 4255. 5120 fin: et regenerari est duci in bonum amoris et charitatis per vera fidei, n: 8548 ad 8553. n: 8635 ad 8640. n: 8742 ad 8747, inde constat quod verum quod est sensus literalis Verbi concordet cum vero doctrinae, modo intelligatur quid significatur per baptizari: et quod dica-

tur, qui non crediderit, condemnabitur, est quia ille non baptizari potest, hoc est, regenerari, ita non introduci in Ecclesiam, minus fieri Ecclesia; est enim baptizatio symbolum regenerationis, et sic introductionis in Ecclesiam, quod fit in bonum per vera ex Verbo. Ex his nunc patet, quomodo intelligenda quae in sensu interno significantur per Virum percutientem socium lapide aut pugno, et non moritur, sed decumbit in lecto, si surrexit et ambulaverit super scipione suo, quod insons erit, sed quod cessationem dabit, et curabit; in sensu interno, si verum doctrinae fidei Ecclesiae infirmatum sit per verum scientificum quod ex Verbi sensu literali, et tamen non exstinguitur, quod indemnificabitur et restituetur, quod fit per justam interpretationem.

9033. Actum est in duobus illis Versibus de infirmatione Veri spiritualis, hoc est, Veri doctrinae fidei Ecclesiae; in duobus autem Versibus qui nunc sequuntur, agitur de infirmatione veri scientifici quod est sensus literalis Verbi, a Vero spirituali quod est doctrinae fidei Ecclesiae; hoc quidem apparet simile priori, sed usque non est simile, quapropter etiam hic sit exemplum elucidationi; Verum spirituale seu verum genuinum doctrinae fidei Ecclesiae est, quod Dominus neminem puniat, quia est ipsa Misericordia, quapropter quicquid agit, ex Misericordia agit, et nullatenus ex ira et vindicta, et tamen Dominus dicit apud Matthaeum « Ne timete vobis ab iis, qui occidere corpus possunt; timete vero potius Ipsum, *qui potest et corpus et animam perdere in gehenna* » X: 28, hic de Deo dicitur, quod timendus, quia potest perdere corpus et animam in gehenna, cum tamen neminem perdit; sed usque est verum; quapropter non exstinguendum, hoc est, negandum, nam si negatur, perit fides Verbo, quae si perit, homo non spiritualiter vivere potest, vita enim spiritualis est homini per fidem ex Verbo: cum hoc ita se habet; Lex ordinis Divini est, quod bonum in se habeat remunerationem, ita coelum; inde est, quod malum in se habeat punitionem, ita infernum; prior Lex est a Domino, quia Dominus omnibus bonum vult; haec autem non ita, quia Dominus nulli malum vult; sed usque ita fit, non ex Domino, sed ex homine qui in malo, proinde ex malo: hoc tamen tribuitur Domino in sensu literae Verbi, quia ita apparet, idcirco

quia est verum apparens, non est negandum, hoc est, exstinguendum, nam sic exstingueretur fides pro Verbo, quae fides est simplicibus: videatur n: 2447. 6071. 6991. [44] 6997. 7533. 7632. 7643. 7679. 7710. 7877. 7926. 8197. 8227. 8228. 8282. 8483. 8631. 8632. 9010. [45]

9034. Et cum percusserit vir servum suum aut ancillam suam [baculo], quod significet si quis intra Ecclesiam verum scientificum aut affectionem ejus ex propria potentia male habet, constat ex significatione percutere, quod sit male habere, nam percutere praedicatur de damno quocunque; ex significatione viri, hic viri ex filiis Israëlis, quod sit qui ab Ecclesia, et inde in Vero spirituali, quod est verum doctrinae fidei Ecclesiae ex Verbo, de qua n: 6426. 6437. 6862. 6868 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223. 7957. [37] 8234. 8805; ex significatione servi, quod sit verum scientificum, quod est Verum Verbi sed sensus ejus literalis, de qua sequitur; ex significatione ancillae, quod sit affectio naturalis, ita affectio scientificorum, quia haec sunt in naturali, de qua n: 1895. 2567. 3835. 3849. 8993. 8994; et ex significatione baculi, quod sit potentia naturalis, de qua n: 4876. 4936. 6947. 7011. 7026, hic propria potentia, quia est servus emtus de qua dicitur: inde patet, quod cum percusserit vir servum suum seu ancillam suam significetur si quis intra Ecclesiam male habet verum scientificum Verbi, aut affectionem ejus. Quod servus sit verum sensus literalis Verbi, est, quia per servum in genere significantur inferiora [46] seu exteriora, quoniam haec inserviunt superioribus seu interioribus, n: 2541. 5161. 5164. 5936. 7143; inde per servum significatur naturale, quoniam hoc inservit spirituali, n: 3019. 3020. 5305. 7998, consequenter verum scientificum, quod est sensus literalis Verbi, nam hoc inservit Vero spirituali, quod est sensus interni; Verum sensus interni Verbi est idem cum vero genuino doctrinae fidei Ecclesiae. Quomodo verum sensus literalis Verbi inservit vero spirituali, paucis dicetur; ab homine Ecclesiae primum discitur verum ex sensu literali Verbi, quod est verum commune accommodatum captui Externi hominis, qui est in luce naturali; hoc verum per viam externam, quod est per auditum, recipitur, et reponitur in memoria Externi hominis, ubi etiam sunt varia scientifica e mundo, n: 2469 ad 2494: post-

ea res in hac memoria repositae subjiciuntur visui seu intuitioni Interni hominis, qui ex luce coeli videt; ille inde per electionem evocat vera quae concordant cum bono, quod a Domino influit per viam animae, et quod homo receperat; ibi conjungit Dominus vera bono; vera quae sic conjuncta sunt in Interno homine vocantur vera spiritualia, et bonum cum quo vera conjuncta sunt, bonum spirituale; hoc bonum per vera formatum est quod facit vitam spiritualem hominis; ipsa vera ibi vocantur vera fidei, et bonum vocatur bonum charitatis; bonum cui sic vera implantata sunt, est Ecclesia apud hominem. Ex his patet, quomodo vera sensus literalis Verbi inserviunt formandis veris spiritualibus, in genere formandae fidei et charitati, quae faciunt vitam spiritualem; quae vita est affici veris propter bonum, et affici bono ex veris, ac demum affici veris ex bono.

9035. Et moritur sub manu ejus, quod significet ut exstinguatur sub intuitione ejus, constat ex significatione mori, quod sit exstingui, ut supra n: 9026; et ex significatione sub manu ejus, quod sit sub intuitione, nam per manum significatur potentia quae est veri spiritualis, n: 5327. [47] 5328. 7011, ita quae est intuitionis, nam intuitio fit ex illo vero, et est apperceptio: vera enim sensus literalis Verbi in memoria naturali hominis reposita formant ibi quasi campum pro intuitione Interni hominis, in quem influit lux e coelo, ex hoc campo eligit Internus homo talia quae concordant cum bono apud se, ut supra dictum est; comparative sicut oculus ex campo hortensi talia quae conducunt usibus vitae suae.

9036. Vindicando vindicabitur, quod significet punitionem mortis, constat ex significatione vindicari seu vindictam sumere, quod sit punitio mortis, hic mortis spiritualis, quae est damnatio; nam exstinguitur verum sensus literalis Verbi, et cum illo fides Verbo. Quomodo cum hoc se habet, videatur supra n: 9033, et quoque infra n: 9039.

9037. Attamen si diem vel biduum steterit, quod significet statum vitae manentis usque ad plenum, constat ex significatione diei, quod sit status vitae, de qua n: 893. 2788. 3785. 4850; et ex significatione bidui, quod sit status succedens, n: 1335, ita status plenus, nempe intuitionis; cum enim in Verbo unus dies dicitur, vel una septimana, vel unus mensis, vel

unus annus, significatur integra periodus temporis vel status, n: 2906; et cum additur biduum, significatur usque ad plenum.

9038. [48] Non vindicabitur, quod significet non punitionem mortis, constat ex significatione vindicari, quod sit punitio mortis, ut supra n: 9036.

9039. Quia argentum ejus ille, quod significet ex proprio acquisitum, constat ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917, hic quia agitur de servo emto, est verum a proprio acquisitum: verum a proprio acquisitum dicitur id, quod per inductionem ex captis principiis ex proprio creditur esse verum, et tamen non verum est; tale verum est illis qui non illustrati a luce coeli explicant Verbum, hoc est, qui non ex affectione veri propter bonum vitae legunt illud, nam hi non illustrantur; si hoc exstinguitur post intuitionem plenam, non est punitio mortis, hoc est, damnatio, quia non est verum spirituale Divinum, at si exstinguitur ante intuitionem plenam, est damnatio, nam est rejectio Veri fidei Ipsius; quod enim fidei alicujus factum est, etiamsi non verum foret, non rejiciendum est, nisi per plenam intuitionem; si prius, initiamentum vitae ejus spiritualis exstirpatur; quapropter etiam Dominus nusquam tale verum apud hominem frangit, sed quantum fieri potest flectit: sed sit exemplum illustrationi; qui credit coeli gloriam et inde gaudium consistere in dominatu super multos, et ex capto hoc principio explicat Domini verba de servis qui lucrati minas decem et quinque, quod potestatem habituri essent super decem urbes et super quinque urbes, Luc: XIX: 11; ut et ex Domini verbis, ad discipulos, quod sessuri essent super thronis, et judicaturi duodecim tribus Israëlis, Luc: XXII: 30; si fidem suam, quae est fides veri ex sensu literali Verbi, ante plenam intuitionem exstinguit, jacturam spiritualis suae vitae facit; at si post intuitionem plenam, interpretatur illa ex Domini verbis, quod qui maximus velit esse, erit minimus; et qui primus, erit omnium servus, Matth: XX: 26. 27. 28. Marc: X: 42. Luc: XXII: 24 ad 27, tunc si exstinguit fidem suam de gloria et gaudio coelesti ex dominatu super multos, non jacturam vitae suae spiritualis facit: per urbes enim, super quibus potestatem habituri sunt qui lucrati minas, significantur vera fidei, n: 2268. 2449. [49] 2712. 2943.

3216, ac inde intelligentia et sapientia; similiter per thronos, super quibus sessuri discipuli, n: 2129. 6397: qui in coelo ex veris fidei in intelligentia et sapientia prae aliis sunt, illi in tali humiliatione sunt, ut omne potestatis tribuant Domino, et nihil sibi, quapropter nec aliquid gloriae et gaudii in dominando sed in serviendo ponunt; et cum in hoc statu sunt, in dominio sunt, et quoque in gloria et gaudio prae aliis; sed non ex dominatu, ut dictum est, verum ex affectione amoris et charitatis, quae est serviendi aliis; influit enim Dominus cum potentia apud illos qui humiles sunt, non autem apud elatos, quia illi influxum recipiunt, hi autem rejiciunt, n: 7489. 7491. [50] 7492.

9040. Vers: 22 ad 27. *Et cum* [51] *rixati fuerint viri, et plaga affecerint mulierem gravidam, et exiverint partus ejus, et non fit damnum, mulctando mulctabit, quemadmodum imposuerit super illum dominus mulieris, et dabit in judices. Et si damnum fuerit, et dabis animam pro anima; oculum pro oculo; dentem pro dente; manum pro manu; pedem pro pede; ustionem pro ustione; vulnus pro vulnere; plagam pro plaga. Et cum percusserit vir oculum servi sui, vel oculum ancillae suae, et corruperit eum, ad liberum mittet illum pro oculo ejus. Et si dentem servi sui, vel dentem ancillae suae excusserit, ad liberum mittet illum pro dente ejus.* Et cum rixati fuerint viri, significat contentionem gravem inter vera: et plaga affecerint mulierem gravidam, significat laesionem boni quod ex vero: et exiverint partus ejus, significat si usque in naturali confirmatum: et non fit damnum, quod sic non laesio ibi: mulctando mulctabit, significat emendationem: quemadmodum imposuerit super illum dominus mulieris, significat usque dum convenit cum vero boni: et dabit in judices, significat secundum aequum: [52] et si damnum fuerit, significat laesionem: et dabis animam pro anima, significat legem ordinis, quod ita facies proximo sicut vis ut ille tibi faciet, proinde quod tibi [53] fiet quod alteri facis; anima est vita spiritualis: oculum pro oculo, significat si aliquid in intellectuali interiori: dentem pro dente, significat si aliquid in intellectuali exteriori: manum pro manu, significat si aliquid potentiae veri spiritualis: pedem pro pede, significat si aliquid potentiae veri naturalis: ustionem pro ustione, signifi-

cat si aliquid affectionis quae amoris interius in voluntario: vulnus pro vulnere, significat si aliquid affectionis quae amoris exterius in voluntario: plagam pro plaga, significat si aliquid affectionis [54] in intellectuali, nempe quae exstinguuntur vel laeduntur: et cum percusserit vir oculum servi sui, significat si internus homo laeserit verum fidei in externo seu naturali: vel oculum ancillae suae, significat si vel affectionem veri ibi: et curruperit illum, significat si destruxerit: ad liberum mittet illum pro oculo, significat quod amplius non servire possit interno: et si dentem servi sui vel dentem ancillae suae excusserit, significat si destruxerit verum aut affectionem ejus in sensuali: ad liberum mittet illum pro dente ejus, significat quod non servire amplius possit interno.

9041. Et cum rixati fuerint viri, quod significet contentionem gravem inter vera, constat ex significatione rixari, quod sit contentio gravis; et ex significatione virorum, hic ex filiis Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia et in veris ejus, in sensu abstracto vera Ecclesiae, de qua supra n: **9034.**

9042. Et plaga affecerint mulierem gravidam, quod significet laesionem boni quod ex vero, constat ex significatione plaga afficere, quod sit laesio; et ex significatione mulieris gravidae, quod sit formatio boni ex vero; quod id per mulierem gravidam significetur, est quia regeneratio hominis, quae est generatio vitae spiritualis apud illum, in sensu interno Verbi intelligitur per generationem vitae ejus naturalis quae a parentibus; nam cum homo e novo nascitur, tunc primum concipitur, dein gestatur quasi in utero, et demum nascitur; et quia regeneratio seu generatio vitae spiritualis est conjunctio veri et boni, hoc est, fidei et charitatis, idcirco per gestare utero, significatur initiatio veri in bonum; inde patet quid significatur per mulierem gravidam, quod nempe status formationis boni ex veris; quod uterus sit ubi verum et bonum jacet conceptum, videatur n: **4918. 6433**; quod esse in utero, et exire ex utero sit regenerari, n: **4904. 8043**; et quod generationes ac nativitates sint fidei et charitatis, n: **613. 1145. 1255. 2020. 2584. 6239.** Status formationis boni ex veris per gravidam etiam significatur apud Jeremiam „ Ecce Ego adducens eos e terra septentrionis, et congregabo eos a lateribus terrae, inter eos cae-

cus et claudus, *gravida et pariens simul* » XXXI : 8 ; agitur ibi in sensu interno de Ecclesia nova a Domino, in quo sensu per adducere eos e terra septentrionis, est ex obscuro fidei, n: 3708; per latera terrae, e quibus congregabuntur, ubi verum et bonum Ecclesiae inchoant, terra enim est Ecclesia, n: 566. 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 2928. 3355. 4535. 4447. 5577. 8011. 8732, latera ejus sunt ubi primum ac ultimum ejus; per caecum significantur qui in ignorantia veri, et tamen recipiunt verum cum instructi, n: 2383. 6990; per claudum qui in bono sed non genuino propter ignorantiam veri, n: 4302; per gravidam illi apud quos bonum formatur per vera; et per parientem [55] qui in vita fidei actu est, n: 3905. 3915. 3919: quod talia ibi significantur, constare potest etiam ex eo, quod alioquin superfluum et inane fuisset dicere, caecus et claudus, gravida et pariens simul.

9043. Et exiverint partus ejus, quod significet si usque in naturali confirmatum, constat ex significatione exire, cum de formatione boni ex veris, quod sit ab interno seu spirituali [56] homine in externum seu naturalem, de qua sequitur; et ex significatione partuum, quod sint bona ex veris scientifice et perceptibiliter agnita, et sic confirmata; per parere enim in spirituali sensu intelligitur agnoscere fide et actu, n: 3905. 3915. 3919. 6585. Cum hoc ita se habet, homo qui e novo concipitur, gestatur quasi in utero, et nascitur, hoc est, qui regeneratur, primum haurit ex doctrina Ecclesiae vel ex Verbo, illa quae fidei et charitatis sunt; quae tunc reponit inter scientifica in memoria, quae est externi seu naturalis hominis, inde evocantur illa in internum hominem, et reponuntur in ejus memoria, quod binae memoriae homini sint, videatur n: 2469 ad 2494; hoc initium vitae spiritualis apud hominem est, sed nondum homo est regeneratus; ut regeneratus sit, erit externus seu naturalis homo in obsequio, et inde in concordantia cum interno suo homine; quod homo non regeneratus sit antequam externus seu naturalis ejus homo etiam regeneratus est, videatur n: 8742 ad 8747; et quod regeneretur externus homo per internum a Domino, n: 3286. 3321. 3493. 4588. [57] 5651. 6299. 8746; quodque totus homo regeneratus sit, quando ejus naturalis, n: 7442. 7443. Quia nunc illa quae regenerationis sunt,

exprimuntur per illa in Verbo quae sunt generationis seu nativitatis hominis a suis parentibus in mundo, ex processu regenerationis supra descripto constare potest, quid intelligitur aut significatur per conceptionem, per gestationem in utero, quid per exire ex utero, et per partum, in sensu spirituali, quod nempe exire ex utero sit ab interno homine in externum seu naturalem, et quod partus sit bonum spirituale, hoc est, bonum charitatis ex veris fidei, ab interno homine in externo seu naturali; cum bonum in naturali est, tunc homo est novus, est ejus vita tunc ex bono et forma ex veris a bono; et est sicut angelus, nam angelis est vita ex bono, et forma ex veris, quae est forma humana; sed hoc est paradoxon homini naturali.

9044. Et non fit damnum, quod significet quod sic non laesio ibi, nempe in naturali, constat absque explicatione.

9045. Mulctando mulctabit, quod significet emendationem, constat ex significatione mulctare, quod sit emendatio, nam mulcta est propter emendationem.

9046. Quemadmodum imposuerit super illum dominus mulieris, quod significet usque dum convenit cum vero boni, constat ex significatione quemadmodum imposuerit super illum, cum de mulcta, quod sit emendatio usque ad satisfactionem, ita usque dum convenitur, de qua sequitur; ex significatione domini nempe mulieris, seu viri, quod sit verum, et ex significatione mulieris, quod sit bonum; dominus enim seu vir mulieris in Verbi sensu spirituali significat verum, et mulier bonum, quia per conjugium viri cum muliere repraesentatur conjugium veri et boni, n: 915. 2517. 4510. 4823. Per emendationem usque dum convenit, intelligitur restitutio laesionis quae facta est per partum intempestivum, in sensu spirituali, per enixum seu exclusionem boni ex veris ab interno homine in externum seu naturalem non justo ordine; restitutio fit, cum dein conveniunt, et conveniunt cum externus seu naturalis homo non agit ex se sed ex interno, seu spirituale in naturali, sicut anima in suo corpore; cum hoc fit, tunc vivit externum seu naturale ex vita interni, quae est vita nova seu vita regenerati.

9047. Et dabit in judices, quod significet secundum aequum, constat ex significatione judicum, quod sint qui ex justo et aequo dirimunt et decernunt, inde dare in judices seu coram

judicibus, est secundum aequum, ita non plus nec minus, si plus illi aequabunt, etiam si minus.

9048. Et dabis animam pro anima, quod significet legem ordinis, quod ita facies proximo sicut vis ut alter tibi faciat, proinde quod tibi [53] fiet quod alteri facis, constat ex eo, quod dare animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, et sic porro, sit fieri tibi [53] sicut feceras alteri. Quod haec lex data sit filiis Israëlis, erat quia lex talis est in mundo spirituali, qui ibi bonum facit alteri ex corde, bonum simile recipit; inde qui malum facit alteri ex corde, malum simile recipit; bonum enim ex corde conjunctum est cum sua remuneratione, et malum ex corde conjunctum est cum sua punitione, inde est coelum bonis, et infernum malis: quod ita sit, ex multa experientia scire datum est; cum illis sic se habet; qui bonum facit ex corde, influit e coelo ab undequaque bonum in cor et animam ejus qui facit, ac id inspirat inspirando, et augetur tunc simul affectio amoris pro proximo, cui bonum facit, et cum illa affectione jucundum, quod est jucundum coeleste, ineffabile; causa quod ita fiat, est quia bonum amoris a Domino est in coelo universaliter regnans, ac influit jugiter secundum gradum quo expromitur in alterum: similiter se habet cum malo, qui malum alteri ex corde facit, influit ex inferno malum ab undequaque in cor ejus qui facit, ac id excitat excitando; augetur tunc simul affectio amoris sui, et cum illo jucundum odii ac vindictae contra illos qui se non submittunt; causa quod ita fiat, est quia malum amoris sui est in inferno universaliter regnans, et influit jugiter secundum gradum, quo expromitur in alterum: cum hoc fit, statim adsunt punitores, qui illum male tractant; per hoc, malum cum suo jucundo coërcetur. Haec inde sunt, quia leges ordinis in altera vita non sunt doctae ex libris, et inde repositae in memoria, sicut apud homines in mundo, sed sunt inscriptae cordibus, leges mali in corde malorum, et leges boni in corde bonorum, nam unusquisque homo in alteram vitam secum portat id, quod per vitam in mundo indiderat cordi suo, nempe malum apud malos, et bonum apud bonos. Lex ordinis, ex qua illa fluunt, est quam Dominus docuit apud Matthaeum « *Omnia quaecunque volueritis ut faciant vobis homines, sic et vos facite illis; haec est Lex et Prophetae* » VII: 12, Luc:

VI: 31; [58] ordo est a Divino Vero quod procedit a Domino, leges ordinis sunt vera ex bono in Coelo, et vera separata a bono in inferno; separata dicuntur, non ex Domino, sed ex homine, separatur bonum per non receptionem ejus. Lex, quae lex juris talionis vocatur, ita describitur in Levitico „Qui percusserit animam bestiae, restituet eam, animam pro anima; si vir dederit defectum in proximo suo, *quemadmodum fecit sic fiet illi*, fractura pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente: *quemadmodum defectum dederit in homine, sic dabitur in illo; pecutiens bestiam restituet eam, et percutiens hominem occidetur*" XXIV: 17 ad 21. Quia malum habet secum poenam, ideo dicitur a Domino, quod non resistendum sit malo; et simul explicatur, quomodo cum hac Lege se habet in mundo spirituali apud illos qui in bono sunt respective ad illos qui in malo, his verbis apud Matthaeum „*Audivistis quod dictum sit, oculum pro oculo, et dentem pro dente; Ego vero dico, non resistendum esse malo; sed quicunque impegerit tibi alapam in dextram tuam maxillam, obverte illi etiam alteram; et si quis velit te in jus trahere, et tunicam tuam auferre, permitte etiam illi pallium: quisquis adegerit te ad milliare unum, abito cum illo duo: omni* [*a*] *te petenti dato, et cupientem mutuum accipere a te, ne averseris*" V: 38. 39. 40. 41 [. 42]: quis non videre potest, quod haec verba non secundum sensum literae sint intelligenda; nam quis obversurus est maxillam sinistram ei qui impegerit alapam in maxillam dextram; et quis daturus pallium ei qui vult auferre tunicam; et quis daturus sua omnibus qui petunt; et quis malo non resistet: sed haec nemo intelligere potest, qui non scit quid significat maxilla dextra et sinistra, quid tunica et pallium, tum quid milliare, ut et mutuum, cum reliquis: agitur ibi de vita spirituali seu de vita fidei, non de vita naturali, quae est vita mundi: aperit ibi Dominus in hoc Capite et in sequenti interiora quae coeli sunt, sed per talia quae in mundo: quod per talia, erat causa, ne homines mundani intelligerent, sed solum homines coelestes; quod homines mundani non intelligerent, erat ideo, ne interiora Verbi prophanarent, nam sic in omnium atrocissimum infernum, quod est infernum prophanatorum Verbi, se conjicerent; idcirco a Domino dictum est apud Lucam „Vobis datum est cognoscere

mysteria Regni Dei, reliquis vero in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non audiant» VIII: 10: et apud Johannem «Dixit Esaias, excaecavit illorum oculos, et obturavit illorum cor, ut non videant oculis suis, et intelligant corde, et convertant se, *et sanem illos*» XII: 40, ne sanem illos, dicitur, quia qui sanantur et iterum redeunt ad falsa et mala, illi prophanant: qui sunt illi qui intelliguntur apud Matthaeum Cap: XII: Vers: 43. 44. 45. Sed dicetur nunc quid per Domini verba supra allata in sensu interno intelligitur; agitur ibi in illo sensu de illis qui per falsa volunt destruere vera fidei, ita vitam spiritualem apud hominem cum in tentationibus est, in persequutionibus, et apud spiritus bonos cum in infestationibus a spiritibus malis sunt; per *Maxillam* significatur affectio veri interioris; per *dextram maxillam* affectio veri ex bono; per alapam infligere significatur actus laedendi illam; per *tunicam* et *pallium* significatur verum in forma externa, n: 4677. 4741. 4742; per *trahere in jus* significatur conatus destruendi; per *milliare* significatur id quod ducit ad verum, simile enim per milliare quod per viam, quod via sit quod ducit ad verum, videatur n: 627. 2333. 3477; per *mutuum dare* significatur instruere; inde patet quid significatur per *dare omnibus qui petunt*, nempe confiteri omnia suae fidei in Dominum; *quod* itaque *non resistendum sit malo*, est quia malum nihil nocet illis qui in vero et bono sunt, tuti enim sunt a Domino. Haec sunt quae sub illis Domini verbis recondita sunt; et quia illa sunt, solum dicit Dominus, *audivistis quod dictum sit, oculum pro oculo, et dentem pro dente,* non autem plura; quia per oculum significatur verum interius fidei, et per dentem verum exterius fidei, ut in sequentibus videbitur. Ex his patet, quomodo Dominus, cum fuit in mundo, loquutus est, quod nempe sicut ubivis in Verbo Veteris Testamenti, simul pro Angelis in coelo, et simul pro hominibus in mundo, nam loquela Ipsius fuit in se Divina et coelestis, quia ex Divino, et per coelum; sed quae loquutus, sistebantur per talia quae correspondebant in mundo: illa quae correspondent, docet sensus internus. Quod alapam infligere seu percutere maxillam sit destruere vera, patet a locis in Verbo ubi *percutere maxillam* dicitur; et quia id in genuino sensu significat destructionem veri, ideo in opposito

significat destructionem falsi; in quo sensu occurrit apud Davidem „*Percuties omnes hostes meos maxillam*, dentes impiorum confringes" Psalm: III: 8. Apud Micham „*Virga percutient* [59] *super maxillam* judicem Israëlis" IV: 14: et apud Esaiam „*Fraenum seducentis super maxillis populorum*" XXX: 28: facies enim significat affectiones, n: 4796. 4797. 4799. 5102. 5695. 6604; inde illa quae sunt faciei significant talia quae sunt affectionum et correspondent eorum functionibus et usibus, sicut oculus intellectum veri, nares perceptionem veri; illa quae oris sunt, sicut maxillae, labia, guttura, lingua, talia quae enuntiationis veri sunt, n: 4796 ad 4805.

9050. Quod anima significet vitam spiritualem, constat ex significatione animae, quod sit vita hominis, sed vita fidei ejus, quae est vita spiritualis. In Verbo passim dicitur Cor et Anima, et ibi per Cor significatur vita amoris, et per animam vita fidei: sunt homini binae facultates recipientes vitam a Domino, una vocatur voluntas, altera intellectus; ad facultatem quae vocatur voluntas, pertinet amor, nam bona amoris faciunt vitam ejus; ad facultatem autem quae vocatur intellectus, pertinet fides, nam vera fidei faciunt vitam ejus; sed hae binae vitae apud hominem usque unum sunt, et cum unum sunt, tunc quae fidei sunt, etiam amoris sunt, nam amantur, et vicissim quae amoris sunt etiam fidei sunt, quia creduntur: talis vita est omnibus in coelo. Quod in Verbo vita amoris, seu quod idem est, voluntas, dicatur cor; et quod vita fidei, seu quod idem est, intellectus, dicatur anima, est causa, quia illi qui in amore in Dominum sunt, et vocantur coelestes, in Maximo homine seu Coelo, constituunt Provinciam Cordis, et qui in fide in Dominum sunt et inde in charitate erga proximum, constituunt provinciam Pulmonum, videatur n: 3635. 3883 ad 3896, inde est quod per Cor in Verbo significetur amor qui est vita voluntatis, et per animam fides quae est vita intellectus, n: 2930. 7542. 8910: [60] Anima enim in Lingua originali dicitur a Respiratione quae est pulmonum. Quod fides pertineat ad facultatem intellectualem, est quia haec illustratur a Domino cum homo recipit fidem, inde est ei lux seu apperceptio veri in talibus quae fidei sunt cum legit Verbum; et quod amor pertineat ad facultatem voluntariam, est quia haec accenditur a Domino, cum

homo recipit amorem, inde est ei ignis vitae et perceptio sensitiva boni. Ex his constare potest, quid in Verbo proprie intelligitur per Cor, et quid per animam, ut in sequentibus his locis; apud Moschen „Amabis Jehovam Deum tuum *ex toto Corde et ex tota anima*, et ex omnibus viribus tuis" Deut: VI: 5. 6. Apud Eundem „Amabis Jehovam Deum tuum, et servies Ipsi, *ex toto Corde tuo, et ex tota anima tua*" Deut: X: 12. Cap: XI: 13. Apud Eundem „Custodies statuta et judicia, et facies ea, *in omni corde tuo et in omni anima tua*" Deut: XXVI: 16. Apud Evangelistas „Jesus dixit, amabis Dominum Deum tuum, *ex toto corde tuo, et in tota anima tua*, et toto robore tuo ac cogitatione tua" Matth: XXII: 37. [61] Marc: XII: 30. 32. Luc: X: 27, cor pro vita amoris, et anima pro vita fidei, robur pro illis quae procedunt ex vita amoris, ita quae ex corde seu voluntate, et cogitatio pro illis quae procedunt ex vita fidei, ita quae ex anima seu intellectu illustrato. Similiter apud Esaiam „*Cor elusum* deerrare facit eum, ut non eripiat *animam suam*, et dicat, nonne mendacium in dextra mea" XLIV: 20. Apud Jeremiam „Gaudebo super illis, ad faciendum bonum illis, et plantabo illos in terra, in veritate, *toto corde meo et tota anima mea*" XXXII: 41, ibi de Jehovah, hoc est, Domino, Cor dicitur ex Divino Bono quod est Amoris seu Misericordiae, et anima ex Divino Vero, quod est fidei apud hominem. Quod haec significentur per Cor et Animam in Verbo, pauci intra Ecclesiam hodie sciunt, ex causa, quia non expenderunt, quod homini binae facultates sint, inter se distinctae, nempe Voluntas et Intellectus, et quod illae binae facultates unam mentem constituent, ut homo sit vere homo; nec expenderunt quod omnia in universo tam Coelo quam mundo se referant ad bonum et verum, et quod conjuncta erunt, ut sint aliquid et producant; ex ignorantia illorum effluxit, quod separaverint fidem ab amore; nam qui ignorat universales illas leges, non scire potest quod fides se referat ad verum et amor ad bonum; et quod, nisi conjuncta sunt, non sint aliquid, fides enim absque amore non est fides, et amor absque fide non est amor, nam amor suum quale habet a fide, et fides suam vitam ab amore, inde fides absque amore est mortua, et fides cum amore est viva: quod ita sit, constare potest a singulis in Verbo,

nam ubi agitur de fide ibi etiam agitur de amore, ut sic conjugium boni et veri, hoc est, coelum, et in supremo sensu Dominus in omnibus et singulis ibi; quod tale conjugium sit, videatur n: 683. 793. 801. 2516. 2712. 4138 fin: 5138. 5502. 6343. 8339 fin: 7945. [62] 339: ex his nunc patet, unde est, quod homo Ecclesiae hactenus non sciverit quid in Verbo intellectum sit per cor et quid per animam. Quod anima in Verbo sit vita fidei, evidenter constare potest a locis ubi Anima dicitur, ut in his sequentibus; apud Moschen „ Non in pignus accipies molam aut molarem, *nam animam ille accipiens in pignus* " Deut: XXIV: 6, dicitur quod is animam accipiat in pignus qui molam, quia in sensu interno per molam significantur illa quae fidei sunt, n: 7780. Apud Esaiam „ Erit sicut cum somniat famelicus, quasi esset comedens, sed quando evigilat, *jejuna est anima ejus;* aut quando somniat sitiens, quasi esset bibens, sed quando evigilat, ecce lassus est, *et anima ejus appetens* " XXIX: 8, jejuna anima, et appetens anima pro desiderio discendi bona et vera fidei. Apud Eundem „ Si expromseris famelico *animam tuam,* et *animam afflictam* saturaveris" LVIII: 10, expromere famelico animam tuam pro desiderantem [63] instruere in veris fidei, animam afflictam saturare pro instruere in bono fidei. Apud Jeremiam „ Si indueris te dibapho, si ornaveris te ornatu auri, si ruperis stibio oculos, frustra pulchram reddes te, abhorrebunt a te amatores, *animam tuam quaerent* " IV: 30, hic anima pro vita fidei, proinde pro ipsa fide apud hominem, quia haec vitam ejus spiritualem facit; quod fides sit quae per animam intelligitur, patet a singulis in illo versu. Apud Eundem „ Venient et canent in altitudine Zionis, et confluent ad bonum Jehovae, ad triticum et ad mustum, et ad oleum, et ad filios gregis et armenti, *et fiet anima illorum sicut hortus irriguus;* irrigabo *animam lassam,* et *omnem animam* quae dolet " XXXI: 12. 25; anima pro vita fidei apud hominem Ecclesiae, qui dicitur fieri sicut hortus, quia per hortum significatur intelligentia quae ex veris fidei, n: 100. 108. 2702, et anima dicitur irrigari quia per irrigari significatur instrui. Apud Eundem „ *Cum periculo animarum nostrarum* [64] adducimus panem nostrum, propter gladium deserti " Thren: V: 9, periculum animarum est periculum jacturae fidei et inde vitae spiri-

tualis; gladius enim deserti est falsum pugnans contrá vera quae fidei, n: 2799. 4499. 6353. 7102. 8294. Apud Ezechielem „Javan, Thubal et Meschech, hi mercatores tui, *cum anima hominis*, et vasis aeris dederunt negotiationem tuam" XXVII: 13, anima hominis pro interiori vero fidei ex bono, vasa aeris pro exterioribus veris fidei ex bono, vasa enim sunt vera exteriora seu vera scientifica, n: 3068. 3079, et aes est bonum naturalis, n: 425. 1551; nisi sciretur quod anima hominis sit fides, non posset intelligi quid significat mercari cum anima hominis et cum vasis aeris. Apud Eundem „*Omnis anima vivens quae réptat*, quocunque venerint fluvii, vivet, unde fit piscis multus valde, quia veniunt eo aquae hae, et sanantur," XLVII: 9, ibi de novo Templo, hoc est, de nova Ecclesia spirituali a Domino, anima vivens quae reptat pro veris scientificis quae fidei, piscis inde multus sunt scientifica, n: 40. 991. fluvii pro illis quae sunt intelligentiae, quae ex veris fidei, n: 2702. 3051; hic nec absque sensu interno sciretur quid foret piscis multus ex eo quod fluvii illuc veniunt. Apud Davidem „Salvum fac me Deus, quia venerunt aquae *usque ad animam meam*" LXIX: 2: [65] et apud Jonam „*Circumdederunt me aquae usque ad animam meam*" II: 6, aquae hic pro falsis, et quoque pro tentationibus quae fiunt per injecta falsa, n: 705. 739. 756. 790. 8137. 8138. 8368. Apud Jeremiam „Jehovah dixit, num de gente, quae sicut haec, *non sumserit ultionem anima mea*" V: 9. 29. Apud Eundem „Castigationem admitte Hierosolyma, ne *avertatur anima mea a te*, ac redigam te in vastitatem" VI: 8, anima cum de Domino, pro Divino Vero. Apud Johannem „Secundus Angelus effudit phialam suam in mare, factumque est sanguis sicut mortui, unde *omnis anima vivens mortua est in mari*" Apoc: XVI: 3, mare pro scientificis in complexu, n: 28; sanguis pro veris fidei ex bono, et in opposito sensu pro veris fidei falsificatis et prophanatis, n: 4735. 6978. [66] 7317. 7326, inde anima vivens pro vita ex fide. Apud Matthaeum „*Ne solliciti sitis animae vestrae* quid esuri sitis, aut bibituri" VI: 25, [67] anima pro veris fidei; edere et bibere pro instrui in bono et vero fidei, in sensu enim interno agitur ibi de vita spirituali et de ejus nutritione. Apud Eundem „Quisquis vult invenire *animam suam*, perdet illam, et quisquis per-

diderit *animam suam* propter Me, inveniet illam» X: 39, [68] anima pro vita fidei qualis est credentibus, et in opposito sensu pro vita non fidei qualis est non credentibus. Apud Lucam „In patientia vestra *possidete animas vestras*" XXI: 19, [69] possidere animas pro illa quae sunt fidei et inde vitae spiritualis. Similiter in perplurimis aliis locis.

9051. Oculum pro oculo, quod significet si aliquid in intellectuali interiori, nempe laeserint, constat ex significatione oculi, quod sit intellectus, hic intellectus interior, cujus vita est vita fidei: est homini intellectus exterior et intellectus interior, intellectus exterior est ubi cogitatio quae ad perceptionem venit; at intellectus interior est ubi cogitatio, quae non ad perceptionem venit, sed usque ad perceptionem Angelorum; hic intellectus est, qui illustratur a Domino cum homo fidem recipit, nam hic in luce coeli est, et in hoc est vita hominis spiritualis, quae ei non ita manifestatur in mundo, sed in altera vita, cum homo fit angelus inter angelos in coelo; interea latet illa vita interius in cogitatione intellectus exterioris, ac producit sanctum et venerabundum ibi pro Domino, pro amore et fide in Ipsum, pro Verbo, et pro reliquis Ecclesiae. Quod Oculus sit intellectus, est quia oculus intellectui correspondet, intellectus enim videt ex luce coeli, at oculus ex luce mundi; illa quae ille oculus seu intellectus videt, sunt spiritualia, et campus intuitionis ejus est scientificum quod in memoria hominis; quae autem oculus externus videt, sunt terrestria, et campus ejus intuitionis est omne quod apparet in mundo. Quod oculus in sensu spirituali sit intellectus, et quoque fides, quia haec facit vitam interioris intellectus, videatur n: 2701. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534. Qui non scit, quod intellectus per oculum in Verbo intelligatur, non potest scire quid significant quae Dominus loquutus est de oculo apud Evangelistas, ut haec „*Si oculus dexter scandalizaverit te, erue eum, bonum tibi est unoculum ingredi in Regnum Dei, quam duos oculos habentem conjici in gehennam ignis*" Matth: V: 29. Marc: IX: 47; quisque novit, quod oculus non eruendus sit, etsi scandalizet, et quod nemo unoculus ingrediatur in Regnum Dei; sed per oculum dextrum significatur falsum fidei de Domino; id est quod eruendum. Tum, „*Lucerna corporis est Oculus, si itaque ocu-*

lus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit: si oculus tuus malus fuerit, totum corpus obtenebratum erit; si ergo lumen, quod in te est, tenebrae est, tenebrae quantae» Matth: VI: 22. 23. Luc: XI: 34, hic nec oculus per oculum intelligitur, sed intellectus veri fidei, inde vocatur oculus lucerna corporis, et dicitur si lumen quod in te tenebrae est, tenebrae quantae, tenebrae enim in sensu spirituali sunt falsa fidei, n: 1839. 1860. 4418. 4531. 7688. 7711. Ut et *«Cur cernis festucam, quae in oculo fratris tui, eam vero quae in oculo tuo trabem non intelligis»* Matth: VII: 3. 4. 5, cernere festucam in oculo fratris est aliquid erroneum quoad intellectum veri, trabs quae in oculo ejus est malum falsi ingens, lignum enim in sensu interno est bonum, et in opposito sensu malum, n: 643. 2784. 2812. 3720. 8354, bonum etiam repraesentatur in altera vita per trabem, quare illi qui fingunt bonum apud se, gestare trabem videntur, et sic tuti incedunt; absque illa significatione oculi et trabis, quid foret videre trabem in oculo. Si non scitur quod oculus in Verbo sit intellectus veri, quod fides, nec sciri potest quid involvit, quod Dominus, cum sanavit caecum, *«expuerit humum, et fecerit lutum ex sputo, et dixerit illi, lava te in lacu Siloam»* Johan: IX: 6. 7; quia omnia miracula Domini, ut omnia miracula Divina, involverunt illa quae sunt Regni Domini et Ecclesiae, n: 7337. 8364, ita etiam hoc.

9052. Dentem pro dente, quod significet si aliquid in intellectuali exteriori, constat ex significatione dentis, quod sit intellectuale exterius, et inde verum naturale, nam hoc illius intellectus vitam facit: quod dentes id significent, est quia cibum, qui erit nutritioni corpori, sicut mola comminunt et sic praeparant, hic cibum qui erit nutritioni animae; cibus qui nutrit animam est intelligentia et sapientia, ille primum recipitur, commolitur et praeparatur per cognitiones veri et boni in naturali; quod intelligentia et sapientia sit, quae vocatur cibus spiritualis et coelestis, videatur n: 56 ad 58. 680. 1480. 4792. 5147. 5293. 5340. 5342. 5576. 5579. 5915. 8562. 9003: inde patet unde est quod dentes significent intellectum exteriorem: quid intellectus exterior, constare potest ex illis quae mox supra n: 9051, de intellectu interiori ostensa sunt. Quod den-

tes significent verum naturale, quod est intellectus exterioris, ac in opposito sensu falsum destruens id verum, constat ex his locis in Verbo; quod verum naturale, apud Moschen „Ruber *oculis prae vino, et albus dentes prae lacte*" Genes: XLIX: 12, hic quoque et oculi et dentes simul dicuntur; agitur ibi de Jehudah, per quem intelligitur Dominus quoad Divinum Coeleste, n: 6363; oculi significant Divinum intellectuale Domini, n: 6379, et dentes Divinum Naturale Ipsius, n: 6380, ita quoque Divinum Verum in naturali. Apud Amos „Ego dedi vobis *vacuitatem dentium* in omnibus civitatibus vestris, et defectum panis in omnibus locis vestris" IV: 6, vacuitas dentium pro penuria veri, defectus panis pro penuria boni: ex his patet quid *stridor dentium*, qui illis in inferno, Matth: VIII: 12. Cap: XIII: 42. 50. Cap: XXII: 13. [70] Cap: XXV: 30. Luc: XIII: 28, quod sit collisio falsorum cum Veris fidei; dentes enim, ut dictum est, in opposito sensu significant falsum destruens verum, ut apud Davidem „Surge Jehovah, serva me Deus mi, quia percuties [71] omnes hostes meos maxillam, *dentes impiorum confringes*" Psalm: III: 8, dentes impiorum confringere pro falsa per quae destruunt vera. Apud Eundem „Anima mea in medio leonum cubo, *dentes eorum hasta et tela*, et lingua eorum gladius acutus" Psalm: LVII: 5, [72] dentes leonum pro falsis destruentibus vera, leones sunt falsa ex malo in sua potentia, n: 6367. 6369. Apud Eundem „*Deus destrue dentes eorum in ore eorum, molares leonum juvenum averte*" Psalm: LVIII: 7: [73] et apud Joëlem „Gens ascendit super terram meam, robusta et non numerus, *dentes ejus dentes leonis, et molares leonis immanis illi;* redegit [74] vitem meam in vastitatem, et ficum meam in spumam" I: 6. 7, dentes et molares pro falsis destruentibus vera Ecclesiae, vitis Ecclesia spiritualis, n: 1069. 5113. 6376, et ficus bonum ejus naturale, n: 217. 4231. 5113, quod dentes id sint, patet etiam ex eo, quod tribuantur genti quae vastabit. Apud Johannem „Figurae locustarum similes equis paratis ad bellum, habebant capillos sicut capillos mulierum, et *dentes earum quasi leonum erant*" Apoc: IX: 7. 8, locustae sunt qui in falsis externis, n: 7643, inde patet quod etiam dentes sint falsa destruentia vera.

9053. Manum pro manu, quod significet si aliquid poten-

tiae veri spiritualis nempe laeserint vel exstinxerint, constat ex significatione manus, quod sit potentia quae ex vero, n: 3091. 3387. 4931 ad 4937. 6292. 6947. 7188. 7189. 7518. 7673. 8050. 8153. 8281, quod sit potentia ex vero spirituali, n: 5327. 5328. 7011.

9054. Pedem pro pede, quod significet si aliquid potentiae veri naturalis, constat ex significatione pedis, quod sit naturale, de qua n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952, quod sit potentia veri naturalis, n: 5327. 5328.

9055. Ustionem pro ustione, quod significet si aliquid affectionis quae amoris interius in voluntario, constat ex significatione ustionis, quod sit laesio seu exstinctio boni amoris; quod dicatur in voluntario, est quia bonum quod amoris est voluntatis, et verum quod fidei est intellectus, n: 9050. 9051; quod sit interius in voluntario, est quia vulnus, de quo sequitur, significat laesionem seu exstinctionem quae amoris exterius in voluntario: agitur enim hic ut in praecedentibus, de laesionibus quae fiunt tam [75] in interno homine quam in externo, nam laesio intellectus interioris significatur per oculum, et exterioris per dentem; et laesio potentiae veri interni hominis per manum, ac potentiae externi per pedem, ut ostensum est; ita hic laesio voluntarii interni hominis per ustionem, et externi per vulnus: est homini voluntarium internum et externum, sicut est ei intellectuale internum et externum, de quo n: 9050. 9051; voluntarium internum est ubi intellectuale internum, et voluntarium externum est ubi intellectuale externum, nam conjuncta erunt; ubi enim verum ibi est bonum, et ubi bonum ibi verum, nam verum absque bono non est verum, et bonum absque vero non est bonum, bonum enim est Esse veri, at verum est existere boni, cum intellectu et cum voluntate hominis similiter se habet, intellectus enim dicatus est receptioni veri, et voluntas dicata est receptioni boni; inde patet, quod, cum regeneratur homo, detur ei a Domino novus intellectus per vera fidei, et nova voluntas per bonum Charitatis, et quod ambo erunt, et quoque conjuncta, ut homo regeneratus sit. Quod ustio significet laesionem boni amoris, est quia per ignem significatur amor, n: 934. 2446. 4906. 5071. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324 fin: 7575. 7852; et laesio boni amoris est concupiscen-

tia ex amore sui, quod haec dicatur ustio, videatur n: 1297. 5215: concupiscentia quoque significatur per adustionem apud Esaiam „Loco aromatis tabes erit, et loco cinguli discissio, et loco operis implexi calvities, et loco togae cinctura sacci, *adustio loco pulchritudinis*" III: 24, ibi de filia Zionis, per quam significatur Ecclesia coelestis, hoc est, Ecclesia quae in amore in Dominum est, adustio ibi est malum concupiscentiae ex amore sui. Qui non scit, quod sensus internus in Verbo sit, credit quod superbi ornatus filiarum Zionis in illo Capite a Vers: 16 ad 24 memorati significent tales, et quod propter tales apud filias Zionis populus Judaicus et Israëliticus puniretur et caderet gladio, ut dicitur ibi Vers: 25. 26; sed res prorsus aliter se habet; spiritualia et coelestia illius Ecclesiae sunt quae per ornatus illos significantur: quod non filia Zionis per filiam Zionis in Verbo intelligatur, cuivis, qui legit Verbum, constare potest, modo consulat et expendat loca apud Prophetas ubi Zion et filia Zionis nominantur, ex quibus visurus est quod filia Zionis sit Ecclesia.

9056. Vulnus pro vulnere, quod significet si aliquid affectionis quae amoris exterius in voluntario, constat ex significatione vulneris, quod sit laesio affectionis quae amoris, et quia est amoris est voluntarii, nam amor est voluntatis; quod exterioris voluntatis sit, est quia per ustionem significatur laesio affectionis quae interius in voluntario, de quo nunc supra n: 9055. Distinguitur in Verbo inter vulnus et plagam, vulnus praedicatur de laesione boni, et plaga de laesione veri, ut apud Esaiam „A vola pedis usque ad caput non in eo integritas; *vulnus* et *cicatrix* et *plaga* recens non expressa, et non obligata, et non emollita oleo" I: 6, ibi vulnus praedicatur de destructo bono, et plaga de destructo vero.

9057. Plagam pro plaga, quod significet aliquid affectionis in intellectuali, nempe quod exstinguitur seu laeditur, constat ex significatione plagae, quod sit exstinctio seu laesio affectionis in intellectuali, hoc est, affectionis veri: plaga in Lingua originali exprimitur per vocem quae significat livorem ex collectione sanguinis vel saniei, et sanguis in sensu interno est verum fidei ex bono amoris, et in opposito sensu est verum falsificatum ac prophanatum, n: 4735. 6978. [66] 7317. 7326, in-

de plaga est verum laesum seu exstinctum; hoc etiam significatur per *Plagas* in Apocalypsi Cap: IX: 20. Cap: XI: 6. Cap: XIII: 12. [76] Cap: XV: 1. 6. 8. Cap: XVI: 21. Cap: XVIII: 8; tum per *plagas* apud Jeremiam Cap: XXX: 12. 14. 17. Apud Eundem Cap: L: 13. [77] Apud Sachariam Cap: XIV: 12. 13. 14. 15. Apud Davidem Psalm: XXXVIII: 6. Apud Lucam Cap: X: 30 ad 35, ubi agitur de illo qui incidit in latrones, *qui inflixerunt ei plagas*, et reliquerunt semimortuum; et quod Samarita *obligaverit plagas ejus*, infuderit oleum et vinum, sustulerit illum super jumentum suum, et duxerit in diversorium: qui sensum internum Verbi intelligit, scire potest cur a Domino dictum sit, quod Samarita obligaverit plagas, infuderit oleum et vinum, et sustulerit super jumentum suum; per Samaritam enim in eo sensu intelligitur qui in affectione veri, per obligare plagas significatur sanatio laesae illius affectionis, per infundere oleum et vinum significatur bonum amoris et bonum fidei, et per tollere super jumentum significatur sublevare ex suo intellectuali; ita per illa verba descripta est charitas [78] erga proximum naturaliter pro homine in mundo, et spiritualiter pro angelis in coelo, naturaliter in sensu literae, et spiritualiter in sensu interno; quod Samarita sit qui in affectione veri, est quia Samaria illam affectionem in Verbo significat; quod oleum sit bonum amoris, videatur n: 886. 3728. 4582; quod vinum sit bonum fidei, n: 1798. 6377; [79] quod jumentum sit intellectuale, n: 2761. 2762. 2781. 3217. 5321. 5741. 6125. 6401. 6534. [80] 7024. 8146. 8148; ita Dominus loquutus est; sed pauci hoc capiunt, credunt enim talia dicta esse solum parabolam historice concinnandi causa; sed ita forent verba non ex Divino; verba ex Divino omnia in se habent talia quae Domini sunt, quae coeli, et quae Ecclesiae, et hoc in unaquavis jota, videatur supra n: 9049 fin:

9058. Et cum percusserit vir oculum servi sui, quod significet si internus homo laeserit verum fidei in externo, constat ex significatione percutere, quod sit laedere, ut prius; ex significatione viri, hic viri ex filiis Israëlis, quod sit qui ab Ecclesia, et inde in vero spirituali, quod est verum fidei, de qua supra n: 9034, ita internus homo, nam verum fidei est in interno homine, et facit vitam ejus, quae vita spiritualis vocatur;

dicitur internus homo propter relationem ad externum, qui significatur per servum; ex significatione oculi, quod sit intellectuale interius, et inde verum fidei, de qua n: 9051; et ex significatione servi, quod sit verum scientificum quod in externo homine, de qua n: 1895. 2567. 3835. 3849. 8993. 8994, ita quoque externus seu naturalis homo, n: 5305. 7998. 8974. In sensu literae dicitur vir et servus, ac sic intelliguntur duo, sed in sensu interno, in quo vir est internus homo et servus externus, in uno sunt; causa est, quia in sensu interno non attenditur ad personas sed ad res, n: 5225. 5287. 5434. 8343. 8985. 9007.

9059. Vel oculum ancillae, quod significet vel affectionem veri ibi, constat ex significatione oculi, quod sit intellectuale, et inde verum fidei, ut nunc supra n: 9058; et ex significatione ancillae, quod sit affectio veri naturalis, de qua n: 2567. 3835. 3849. 8993.

9060. Et corruperit eum, quod significet ut exstinxerit, constat ex significatione corrumpere, cum de vero fidei, quod significatur per oculum, quod sit exstinguere.

9061. Ad liberum mittet illum pro oculo, quod significet quod amplius non servire possit interno, constat ex significatione ad liberum mittere, quod sit dimittere e servitio; et ex significatione pro oculo, quem corruperat in servo, quod sit propter verum fidei exstinctum in externo seu naturali homine; oculus enim est intellectuale, et inde verum fidei, n: 9057. 9058; corrumpere est exstinguere, n: 9060; et servus est externus seu naturalis homo, n: 9058. Haec quomodo se habent, non sciri potest, nisi sciatur quomodo se habet cum interno homine respective ad externum; internus homo non potest vivere vitam spiritualem, nisi externus concordat; quapropter non potest homo regenerari, nisi naturalis homo etiam regeneretur; inde sequitur, si verum fidei in naturali seu externo homine exstinctum fuerit, quod non amplius servire possit interno. Se habet hoc sicut visus externus respective ad visum internum; si visus externus laesus fuerit, non amplius servire potest interno; nam si visus externus pervertit objecta, internus non potest per illum visum videre nisi perverse: aut sicut se habet cum reliquis membris, quae voluntati subjecta sunt, ut cum brachiis,

manibus, digitis, pedibus, si haec distorta [81] sunt, tunc non potest voluntas agere per illa nisi distorte: similiter se habet cum naturali seu externo homine respective ad internum; si vera scientifica in externo seu naturali homine perversa sunt vel exstincta, non potest internus videre verum, ita non cogitare et percipere nisi perverse aut false: ex his patet, cur naturalis homo regenerandus est, ut homo regeneratus sit: de his videantur etiam quae prius ostensa sunt, n: 3286. 3321. 3469. 3493. 3573. 3620. 3623. 3679. 4588. [57] 4618. 4667. 5165. 5168. 5427. 5428. 5477. 6299. 6564. 8742 [82] ad 8747. 9043.

9062. Et si dentem servi sui vel dentem ancillae suae excusserit, quod significet si destruxerit verum aut affectionem ejus in sensuali, constat ex significatione dentis, quod sit intellectuale exterius, et inde verum in naturali, de qua supra n: 9052, hic verum in ultimo naturalis, hoc est, in sensuali, quia dicitur de servo et de ancilla; ex significatione ancillae, quod sit affectio illius veri, de qua etiam supra n: 9059; et ex significatione excutere, quod sit destruere. Quid sensuale et quale, videatur n: 4009. 5077. 5079. [83] 5084. 5089. 5091. 5125. 5128. 5580. 5767. 6183. 6201. 6310. 6311. [84] 6313. 6315. 6316. 6564. 6598. 6612. 6614. 6622. 6624. 6948. 6949. 7693. [85]

9063. Ad liberum mittet illum pro dente ejus, quod significet quod non servire amplius possit interno, constat ex significatione ad liberum mittere, quod sit dimittere e servitio, ita non amplius servire, ut supra n: 9061; et ex significatione dentis, quod sit sensuale, de qua nunc supra n: 9062. Quomodo cum his se habet, sciri potest ex illis quae de statu interni hominis, cum externus laesus est, mox supra n: 9061, ostensa sunt; similiter se habet cum sensuali laeso; hoc enim est ultimum in naturali homine; quod etiam hoc regenerandum sit, ut homo plene regeneratus sit, videatur n: 6844. 6845. 7645. Quod haec, quae de oculo et de dente servi aut ancillae, statuta sunt, arcana in se contineant, quae nemo videre potest nisi per sensum internum, cuivis potest constare; quid enim absque arcana causa foret, statuere, quod servi dimitterentur liberi propter oculum aut propter dentem, et non propter alia membra, cum corrumperentur; sed arcana illa causa patet, cum

scitur quid in spirituali sensu significatur per oculum et per dentem; quod cum scitur, in lucem venit, cur ita statutum sit.

9064. Vers: 28 ad 36. *Et cum cornu ferierit bos virum aut mulierem, et moriatur, lapidando lapidabitur bos, et non comedetur caro ejus, et dominus bovis insons. Et si bos cornupeta ille ab heri nudius tertius, et testatum domino ejus, et non custodiverit eum, et occiderit virum aut mulierem, bos lapidabitur, et etiam dominus ejus morietur. Si expiatio posita sit super illum, et dabit redemtionem animae suae secundum omne quod positum super illo. Aut filium cornu ferierit, aut filiam cornu ferierit, secundum judicium hoc fiet ei. Si servum cornu ferierit bos vel ancillam, argentum triginta siclorum dabit domino* [86] *illius, et bos lapidabitur. Et cum aperuerit vir foveam, vel cum foderit vir foveam, et non operuerit illam, et ceciderit illuc bos vel asinus, dominus foveae rependet, argentum reddet domino ejus, et mortuum erit sibi. Et cum plaga affecerit bos viri bovem socii sui, et moriatur, et vendent bovem vivum, et divident argentum ejus, et etiam mortuum divident. Vel notum quod bos cornupeta ille ab heri nudius tertius, et non custodiverit eum dominus ejus, rependendo rependet bovem pro bove, et mortuus erit sibi.* Et cum cornu ferierit bos virum aut [87] mulierem, significat si affectio mali in naturali laeserit verum aut bonum fidei: et moriatur, significat usque ut destruxerit: lapidando lapidabitur, significat poenam destructi veri et boni fidei: et non comedetur caro ejus, significat quod nullatenus appropriandum id malum sed ejiciendum: et dominus bovis insons, significat quod non malum ab interno homine, quia ex voluntario et non ex intellectuali: et si bos cornupeta ille ab heri nudius tertius, significat si affectio mali diu fuerit: et testatum domino ejus, significat et hoc transiverit in intellectuale: et non custodiverit eum, significat non repressionem: et occiderit virum aut mulierem, significat si destruxerit tunc verum et bonum fidei: bos lapidabitur, significat poenam destructi veri: et etiam dominus ejus morietur, significat damnationem [88] interni hominis: si expiatio [89] posita sit super illum, significat ut expers damnationis fiat: et dabit redemtionem animae suae, significat gravia poenitentiae: secundum omne quod

positum super illo, significat secundum quale affectionis mali ex intellectuali: aut filium cornu ferierit, aut filiam cornu ferierit, significat insultum ab affectione mali in vera et bona fidei derivata ab interioribus: secundum judicium hoc fiet ei, significat quod similis poena: si servum cornu ferierit bos vel ancillam, significat si affectio mali destruxerit verum aut bonum in naturali: argentum triginta siclorum dabit domino [36] ejus, significat quod internus homo id ad plenum restituet: et bos lapidabitur, significat poenam destructi veri et boni in naturali: et cum aperuerit vir foveam, significat si quis falsum ab altero acceperit: vel cum foderit vir foveam, significat si vel ipse finxerit: et ceciderit illuc bos vel asinus, significat quod pervertit bonum aut verum in naturali: dominus foveae rependet, significat quod is, apud quem falsum, emendabit: argentum reddet domino ejus, significat quod per verum apud illum cujus bonum aut verum in naturali perversum est: et mortuum erit sibi, significat quod malum aut falsum illi mansurum: [90] et cum plaga affecerit bos viri bovem socii sui, significat duo vera, quorum affectiones diversae sunt, et unius laeserit alterius: et moriatur, significat ut pereat affectio bona: et vendent bovem vivum, significat quod affectio unius quae laeserat alterius abalienabitur: et divident argentum ejus, significat quod verum ejus dissipetur: et etiam mortuum divident, significat quod etiam affectio laedens: vel notum quod bos cornupeta ille ab heri nudius tertius, significat si notum prius quod talis affectio ejus fuerit: et non custodiverit eum dominus ejus, significat et si non in vinculis tenuerit: rependendo rependet, significat restitutionem ad integrum: et mortuus erit sibi, significat pro affectione laedente.

9065. Et cum cornu ferierit bos virum aut mulierem, quod significet si affectio mali in naturali laeserit verum aut bonum fidei, constat ex significatione cornu ferire, quod sit laedere; cornu enim significat potentiam falsi ex malo, n: 2832, et ferire significat laedere; ex significatione bovis, quod sit affectio boni in naturali, de qua n: 2180. 2566. 2781. 2830. 5913. 8937, inde in opposito sensu affectio mali in naturali; ex significatione viri, quod sit verum [91] fidei, de qua n: 9034; et ex significatione mulieris, quod sit bonum fidei, de qua n: 4823. 6014. 8337. [5]

9066. Et moriatur, quod significet usque ut destruxerit, constat absque explicatione.

9067. Lapidando lapidabitur, quod significet poenam destructi veri et boni fidei, constat ex significatione lapidari, de qua n: 5156. 7456. 8575. 8799.

9068. Et non comedetur caro ejus, quod significet quod nullatenus appropriandum id malum, sed ejiciendum, constat ex significatione comedere, quod sit appropriari et conjungi, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 fin: 3596. 3832. 4745. 5643. 8001, inde non comedi est non appropriari sed ejici; quod non appropriandum sit sed ejiciendum, est quia est tale malum quod destruit verum et bonum fidei Ecclesiae; et ex significatione carnis, quod sit bonum amoris coelestis, et in opposito sensu malum amoris sui, de qua n: 3813. 7850. 8409. 8431.

9069. Et dominus bovis insons, quod significet quod non malum ab interno homine, quia ex voluntario et non ex intellectuali, constat ex significatione domini bovis, quod sit internus seu spiritualis homo, per bovem enim significatur affectio mali in naturali seu externo homine, n: 9065, inde dominus bovis est internus homo, hic enim est dominus externi seu naturalis, nam dominari potest super affectiones mali in naturali, et quoque dominatur quando naturale est subordinatum, ut est apud regeneratos; et ex significatione insontis, quod sit absque culpa: causa dicitur, quia malum exivit ex voluntario et non ex intellectuali; malum enim ex voluntario et non simul ex intellectuali non damnat, nam homo id non videt, ita non expendit num malum sit, quapropter non est conscius ejus: tale malum est malum ex haereditario, antequam homo instructus est quod sit malum, et quoque postquam instructus est, et solum in vita externa seu corporis est, et non simul in vita interna quae intellectus: nam videre et intelligere quod malum sit, et usque id facere, reum facit hominem, ut Dominus docet apud Johannem „*Pharisaei dixerunt, num etiam nos caeci sumus; dixit illis Jesus, si caeci essetis, non haberetis peccatum; jam vero dicitis, quod videamus, ideo peccatum vestrum manet*" IX: 40. 41. Quod nemo puniatur propter mala haereditaria, sed propter mala propria, videatur n: 966. 1667. 2307. 2308. 8806. Tale malum est quod significatur per bovem cornu fe-

rientem virum aut mulierem, antequam dominus bovis sciverit quod cornupeta fuerit; in nunc sequente Versu agitur de malo, cujus conscius est homo, quod significatur per bovem cornupetam, de quo scivit dominus ejus et non custodivit; quare inde poena est, quod bos lapidabitur, et homo moriatur, si non ponatur expiatio.

9070. Et si bos cornupeta ille ab heri nudius tertius, quod significet si affectio mali diu fuerit, constat ex significatione bovis cornupetae, quod sit affectio mali, de qua supra n: 9065; et ex significatione heri nudius tertius, quod sit status et tempus praecedens, de qua n: 6983. 7114, ita quod prius et diu fuerat.

9071. Et testatum domino ejus, quod significet et hoc transiverit in intellectuale, constat ex significatione testatum esse, quod sit notum factum esse, proinde transivisse in intellectuale; nam malum quod notum fit id transit in intellectuale; intellectuale enim est visus hominis internus, voluntarium absque visu illo est caecum, quapropter cum malum, quod est voluntarii, transit in intellectuale, est e caligine in lucem.

9072. Et non custodiverit eum, quod significet non repressionem, constat ex significatione custodire, cum de malo voluntarii quod transivit in lucem intellectualis, quod sit inhibitio seu repressio: datum enim est homini intellectus, ut videat malum, et tunc reprimat.

9073. Et occiderit virum aut mulierem, quod significet si destruxerit verum et bonum fidei, constat ex significatione occidere, quod sit destruere; ex significatione viri, quod sit verum fidei; et mulieris, quod sit bonum fidei, ut supra n: 9065.

9074. Bos lapidabitur, quod significet poenam destructi veri, ut supra n: 9067.

9075. Et etiam dominus ejus morietur, quod significet damnationem interni hominis, constat ex significatione domini bovis, quod sit internus homo, de qua supra n: 9069; et ex significatione mori, quod sit damnatio, de qua etiam supra n: 9008. Quod bos lapidaretur, et dominus ejus moreretur, si notum ei fuerit quod bos cornupeta fuerit, et non custodiverit eum, est quia spirituale hujus judicii seu legis est, quod homo qui novit quod malum sit, et non reprimit illud, reus sit, nam

approbat illud, et sic exstinguit lucem veri, et una fidem veri in sua conceptione; qua exstincta bonum a Domino non recipitur; inde internus homo non potest aperiri, proinde non donari vita spirituali, quae est vita veri et boni fidei: cum talis homini status est, tunc vitam naturalem, quae est externi hominis, vivit; sed haec vita absque vita spirituali, est mortua; inde damnatio, n: 7494.

9076. Si expiatio posita sit super illum, quod significet ut expers damnationis fiat, constat ex significatione expiationis, quod sit ut expers sit damnationis; expiationes enim ponebantur super illos, qui non ex proposito aut dolo malum fecerunt, et fuerunt variae, quae tunc vocabantur redemtiones animae, nam per illa redimebatur vita: sed externa illa significabant interna, nempe expiatio liberationem a damnatione, inde redemtio emendationem vitae spiritualis per actualem poenitentiam. Quia expiatio significabat liberationem a damnatione, inde quoque significabat condonationem peccatorum, et inde mundationem.

9077. Et dabit redemtionem animae [suae], quod significet gravia poenitentiae, constat ex significatione redemtionis, quod sit loco ejus dare aliud, ut sit liberatio; quid redemtio in varia significatione, videatur n: 2954. 2959. 2966. 6281. 7205. 7445. 8078. 8079. 8080; quod hic per redemtionem animae significentur gravia poenitentiae, est quia agitur de liberatione a damnatione, et homo a damnatione non liberari potest quam per remotionem mali, et remotio mali non fit nisi quam per actualem poenitentiam, quae est vitae; et haec fiunt per tentationes spirituales, quae sunt gravia poenitentiae: quod liberatio a damnatione, seu, quod idem, liberatio a peccatis sit remotio mali, et quod haec fiat per poenitentiam vitae, videatur n: 8389 ad 8394. 8958 ad 8969; et quod tunc tentationes, n: 8958 ad 8969.

9078. Secundum omne quod positum super illo, quod significet secundum quale affectionis mali ex intellectuali, constat ex illis quae de expiatione et de redemtione nunc dicta sunt, nam malum voluntatis, quod visum est in intellectuali, et non repressum, erat quod expiandum, et quod redimendum per aliquod aequale respondens, ita secundum quale affectionis mali ex intellectuali.

9079. Aut filium cornuferierit, aut filiam cornuferierit, quod significet insultum ab affectione mali in vera et bona fidei derivata ab interioribus, constat ex significatione cornuferire, quod sit laesio, ut supra n: 9065, ita insultus; ex significatione filii, quod sit verum fidei; et filiae quod sit bonum fidei, de qua n: 489. 490. 491. 533. 1147. 2362. 2623: [92] quod sint vera et bona derivata ab interioribus, est quia interiora sunt sicut parentes, ex quibus bona et vera nata sunt sicut filii et filiae: bona enim et vera apud hominem regeneratum se habent sicut generationes; sunt quae parentis loco sunt, sunt quae liberorum, quae generorum ac nuruum, quae nepotum et neptum, et sic porro: sunt inde illorum consanguinitates et affinitates, et sunt familiae, in multiplici serie: ita dispositae sunt societates in coelo, ac ita quoque vera et bona apud hominem qui regeneratur, inde etiam is fit coelum in minima forma; et quod arcanum est; bona et vera apud hominem se mutuo amant, et secundum amorem se agnoscunt, ac ita se consociant: hoc originem ducit ex societatibus angelicis, in quibus se amant, se agnoscunt, et se consociant, secundum bonorum similitudines et proximitates; et quod mirum, qui se nusquam prius viderant, si in simili [93] bono sunt, cum conveniunt, est sicut se ab infantia viderint: ex hac origine est, quod bona et vera se secundum coeli formam conjungant apud hominem, et faciant instar coeli in illo: sed haec a Domino, tam in coelo quam in homine angelo, hoc est, in homine qui regeneratur et fit angelus.

9080. Secundum judicium hoc fiet ei, quod significet quod similis poena, constat absque explicatione.

9081. Si servum cornuferierit bos, vel ancillam, quod significet si affectio mali destruxerit verum aut bonum in naturali, constat ex significatione servi, quod sit verum in naturali, de qua n: 3019. 3020. 5305. 7998; ex significatione ancillae, quod sit affectio veri ibi, de qua n: 1895. 2567. 3835. 3849. 8993. 8994; et ex significatione cornuferire, quod sit destruere. Cornuferire in Verbo dicitur de destructione falsi per potentiam veri, et in opposito sensu de destructione veri per potentiam falsi; et hoc ex causa, quia per cornu significatur potentia veri ex bono et falsi ex malo, n: 2832, ut apud Ezechielem „Latere et humero impellitis, *et cornibus vestris feritis* omnes

infirmatas » XXXIV: 21, ibi de illis qui omni vi et potentia destruunt vera et bona Ecclesiae per ratiocinia fallacia ex sensualibus; latere et humero impellere est omni vi et potentia, n: 1085. 4931 ad 4937; inde patet cur dicitur cornu ferire apud Moschen « Primogenito bovis ejus, honos illi, *et cornua monocerotis cornua ejus, his populos feriet una* ad fines terrae » Deut: XXXIII: 17, hoc in prophetico Moschis de Josepho, in quo per Josephum in sensu interno intelligitur Dominus quoad Divinum spirituale, et in sensu repraesentativo Ipsius Regnum spirituale; cornua monocerotis sunt quae potentiae ex bono et vero fidei; populos ferire est falsa destruere per vera; ad fines terrae est ab undequaque ubi Ecclesia. Apud Davidem « Tu ipse Rex meus Deus, *per Te hostes nostros cornuferiemus* » Psalm: XLIV: 6, hostes cornuferire, est quoque ibi falsa [94] per potentiam veri et boni fidei destruere: quis non videre potest, quod in illis locis non dictum fuisset cornuferire, cum ab hominibus, nisi ex significatione cornu, quod sit potentia.

9082. Argentum triginta siclorum dabit Domino [86] ejus, quod significet quod internus homo id ad plenum restituet, constat ex significatione argenti triginta siclorum, quod sit restitutio damni ad plenum per verum, argentum enim est verum ex bono, n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 7999. 8932, triginta sunt plenum, n: 5335. 7984; et dominus qui restituet, est internus homo, n: 9069, ita vera fidei ex Verbo, nam illa faciunt vitam interni hominis.

9083. Et bos lapidabitur, quod significet poenam destructi veri et boni in naturali, constat ex significatione lapidari, quod sit poena destructi veri et boni fidei, de qua n: 5156. [95] 7456. 8575. 8799; quod sit in naturali, est quia bos lapidaretur, per quem affectio mali in naturali, quae destruxit, significatur.

9084. Et cum aperuerit vir foveam, quod significet si quis falsum ab altero acceperit, constat ex significatione foveae, quod sit falsum, de qua n: 4728. 4744. [96] 5038; et ex significatione aperire, cum de falso, quod sit accipere, hic ab altero, quia sequitur, *vel cum foderit vir foveam,* quod est accipere seu fingere a semet.

9085. [97] Vel cum foderit vir foveam, quod significet si vel ipse finxerit, constat ex significatione foveae, quod sit falsum; et ex significatione fodere, quod sit accipere a se, seu fingere, de quibus mox supra n: 9084.

9086. Et ceciderit illuc bos vel asinus, quod significet quod pervertit bonum aut verum in naturali, constat ex significatione cadere, quod sit pervertere, de qua sequitur; ex significatione bovis, quod sit affectio mali in naturali, ita malum ibi, de qua supra n: 9065; et ex significatione asini, quod sit verum in naturali, de qua n: 2781. 5492. 5741. 7024. 8078. Quod cadere in foveam, cum dicitur de bono et vero in naturali, quae significantur per bovem et asinum, sit pervertere, patet ex illis quae in Versu sequente continentur, ibi enim agitur de emendatione per verum, quod fieri potest cum bonis et veris perversis, non autem cum illis exstinctis; nam cum bonum aut verum pervertitur, usque manet, sed perverse explicatum; cadere etiam est labi per errorem. Quia hoc significatum est per cadere in foveam, ideo dictum est a Domino „*Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadit, quem non statim extrahitis in die sabbathi*" Luc: XIV: 5; hoc dictum est a Domino, cum hydropicum in die sabbathi sanavit; dies sabbathi erat sanctissimus in illa Ecclesia, quia significabat conjugium coeleste, quod est conjunctio boni et veri ex Domino, n: 8495. 8510; inde sanationes a Domino fiebant in die sabbathi, nam sanatio involvebat sanationem vitae spiritualis; et morbus hydropicus veri et boni perversionem; ita sanatio veri perversi emendationem et restitutionem; nam omnia miracula Domini involvebant et significabant status Ecclesiae, n: 8364, [98] quemadmodum in genere omnia miracula Divina, n: 7337: inde nunc est, quod a Domino dictum „Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadit, quem non statim extrahitis in die sabbathi;" per quae in sensu spirituali id quod dictum est, significabatur; nam quicquid Dominus loquutus est, ex Divino loquutus est, et cum ex Divino, singulis sensus internus inest, n: 9049. 9063 fin: per puteum ibi simile significatur quod per foveam, nempe falsum, n: 1688. Et quia fovea est falsum, ideo quoque Dominus, cum de falsis Ecclesiae loquutus est, dixit „*Quando caecus caecum ducit, ambo in foveam cadunt*" Matth:

XV: 14, caecus est qui in erroneis, cadere in foveam est pervertere verum; haec comparative dicta sunt, sed omnes comparationes in Verbo ex significativis sumtae sunt, n: 3579. [99]
8989. Qui credunt quod Sanctum Divinum, quod in Verbo, non altius reconditum lateat, quam in sensu qui apparet in litera, is in his et in reliquis Verbi non aliunde videt sanctum quam ex fide quod omnia quae ibi Divinitus inspirata sint; et quod inexplicabilia ibi sint arcana soli Deo nota; at qui in hac fide non sunt, Verbum contemnunt, solum ob stylum ad apparentiam magis humilem, quam est stylus qui ad genium mundi applicatus est, qualis est apud plures scriptores antiquos et hodiernos: at sciant, quod sanctum Divinum lateat in omnibus et singulis Verbi, sed consistat in eo, quod omnia et singula agant de Domino, de Ipsius Regno et Ecclesia; haec sanctissima sunt, quia sunt Divina a Domino, in quibus sic est vita aeterna secundum Domini verba apud Johannem „*Verba quae Ego loquor vobis, spiritus sunt et vita sunt*" VI: 63; [100] sed sanctissima illa Divina patent coram angelis in coelo, quia hi non capiunt Verbum naturaliter secundum sensum literalem, sed spiritualiter secundum sensum internum; secundum hunc sensum etiam homines caperent Verbum, si angelicam vitam viverent, nempe vitam fidei et amoris: quae in sensu interno Verbi continentur, nec aliud sunt, quam quae genuina doctrina Ecclesiae docet; genuina doctrina Ecclesiae docet Dominum, fidem in Ipsum, amorem in Ipsum, et amorem boni quod ab Ipso; hic amor est charitas erga proximum, n: 6709. 6710. 8123; qui hanc vitam vivunt, illustrantur a Domino, et vident sancta Verbi; et nullatenus alii; videatur Praefatio ad Cap: XVIII Genes:

9087. Dominus foveae rependet, quod significet quod is apud quem falsum, emendabit, constat ex significatione domini foveae, quod sit apud quem falsum, fovea enim est falsum, n: 9084. 9086; et ex significatione rependere, quod sit emendare; quod rependere sit emendare, est quia mulcta significat emendationem, n: 9045, et argentum quod penderet, significat verum, per quod emendatio, de quo sequitur.

9088. Argentum reddet domino ejus, quod significet quod per verum apud illum cujus bonum aut verum in naturali perversum est, constat ex significatione argenti, quod sit verum,

de qua n: 1551. 2048. 5658. 6112. 6914. 6917. 7999, et quod dare argentum sit redimere per verum, n: 2954; et ex significatione domini ejus, nempe cujus bos vel asinus cecidit in foveam, quod sit is cujus bonum aut verum in naturali perversum est, bos enim est bonum in naturali, et asinus est verum ibi, n: 9065; [101] et cadere in foveam est illa pervertere, n: 9086. Cum hoc ita se habet; si bonum aut verum per falsum pervertitur, tunc perversum est emendandum per verum, intra Ecclesiam per verum ex Verbo, seu ex doctrina quae ex Verbo; causa quod ita erit, est quia verum docet quid malum et quid falsum, et sic homo illa videt et agnoscit, et cum videt et agnoscit, tunc emendari potest; nam Dominus influit in illa apud hominem, quae homo scit, non autem in illa quae non scit; quapropter nec emendat malum aut falsum priusquam homo instructus est quod sit malum aut falsum: inde est, quod qui poenitentiam agent, mala sua videbunt et agnoscent, et sic vitam veri vivent, n: 8388 ad 8392: similiter se habet cum purificationibus a malis amorum sui et mundi; purificationes ab illis amoribus nequaquam fieri possunt quam per vera fidei, quia haec docent quod ab amoribus illis omnes concupiscentiae: inde erat quod circumcisio apud gentem Israëliticam et Judaicam fiebat per cultrum petrae; circumcisio enim significabat purificationem a spurcis illis amoribus, et culter petrae, per quem fiebat, significabat verum fidei, n: 2799 [102] med: 7044. Per vera fidei etiam homo regeneratur, n: 8635 ad 8640. 8772: hoc per Lavationes, per quas olim mundabantur, significatum est; et idem quoque hodie per aquas baptismi; aquae enim significant vera fidei, per quae mala removentur, n: 739. 2702. 3058. 3424. 4976. 7307. 8568; et Baptismus significat regenerationem, n: 4255. 5120 fin. Ex his patet, quam false cogitant, qui credunt mala seu peccata apud hominem abstergi, sicut sordes corporis [103] abluuntur per aquas; et quod mundati fuerint quoad interiora qui secundum statuta Ecclesiae olim lavabantur per aquas; ut et quod salventur hodie per quod baptizentur; cum tamen lavationes olim modo repraesentabant mundationem interiorum, et baptizatio significat regenerationem, aquae ibi sunt vera fidei per quae homo mundatur et regeneratur, nam per illa removentur mala: baptismus est pro illis qui

intra Ecclesiam sunt, quia his est Verbum, ubi vera fidei, per quae homo regeneratur.

9089. Et mortuum erit sibi, quod significet quod malum aut falsum illi mansurum, constat ex significatione mortui, cum dicitur de bono aut vero in naturali, quod significatur per bovem aut asinum, quod sit malum, aut falsum; nam cum bonum moritur succedit malum, et cum verum moritur succedit falsum; quia mortuum est malum et falsum, ideo mortui dicuntur qui volunt malum et credunt falsum, n: 7494; et ex significatione esse sibi, quod sit manere apud illum. Cum his ita se habet; si quis per falsum destruit bonum aut verum apud se aut apud alios, is ex malo id facit, ita ex voluntario per intellectuale, nam omne malum est voluntarii et omne falsum est intellectualis; quod per utrumque fit, hoc remanet, nam imbuit omne vitae hominis; aliter si malum exit ex voluntario et non simul ex intellectuali, n: 9009: inde patet, unde est quod statutum sit, quod mortuum erit illi.

9090. Et cum plaga affecerit bos viri bovem socii, quod significet duo vera, quorum affectiones diversae sunt, et unius laeserit alterius, constat ex significatione plaga afficere, quod sit laesio veri, de qua supra n: 9057; ex significatione bovis, quod sit affectio boni, et in opposito sensu affectio mali in naturali, de qua etiam supra n: 9065; et ex significatione viri, quod sit verum, de qua n: 9034; inde per virum et socium significantur duo vera; quod affectiones diversae sint quae significantur, est quia sunt boves, per quos affectiones significantur, qui se laedunt; nam quae diversa sunt, se laedunt, non autem quae non diversa. Qui non scit, quomodo cum repraesentativis et correspondentiis se habet, mirari potest, quod bos possit significare affectionem boni aut mali apud hominem, quia est bestia: sed sciat, quod omnes bestiae significent talia quae alicujus affectionis aut inclinationis sunt; in spirituali mundo hoc notissimum est; apparent enim ibi frequenter bestiae varii generis, sicut boves, juvenci, vaccae, equi, muli, asini, oves, caprae, haedi, agni, tum bestiae malae, ut tigrides, pantherae, ursi, canes, sues, serpentes; et quoque bestiae, quae in tellure nullibi conspectae, praeter etiam aves varii generis. Quod talia ibi appareant, excedit fidem apud illos qui credunt nihil esse quod

non oculis corporeis vident; sed iidem nec credunt, quod aliqui spiritus aut angeli sint, minus quod appareant sibi ut homines, se mutuo videant, inter se loquantur, se tangant; causa est, quia tam sensuales ac corporei sunt, ut credant modo corpora vivere; inde est, quod, ut dictum, talia excedant fidem apud illos: sed non modo millies mihi visa sunt, verum etiam instructus sum de animalibus visis, unde sunt, et quid significant; ita quoque quod affectiones boni in naturali, cum in forma animali sistuntur videndae, appareant ut boves mites, et affectiones mali ut boves immites; et quod reliquae affectiones in aliorum animalium formis: inde est, quod bestiae varii generis significent apud hominem talia quibus correspondent: sed de his videantur quae prius ostensa sunt n: 142. 143. 246. 714. 715. 716. 719. 1823. 2179. 2180. 2781. 2805. 2807. 2830. 3218. 3519. 5198. 7523.

9091. Et moriatur, quod significet adeo ut pereat affectio bona, constat ex significatione mori, quod sit perire; et ex significatione bovis, qui mortuus a plaga, qua [104] affectus est a bove altero, quod sit affectio bona, de qua mox supra n: 9090.

9092. Et vendent bovem vivum, quod significet quod affectio unius, quae laeserat alterius, abalienabitur, constat ex significatione vendere quod sit abalienare, de qua n: 4098. 4752. 4758. 5886; et ex significatione bovis vivi, quod sit veri affectio quae laeserat affectionem veri alterius, de qua supra n: 9090. [105]

9093. [106] Et divident argentum ejus, quod significet quod verum ejus dissipetur, constat ex significatione dividere, quod sit exterminare et dissipare, de qua n: 6360. 6361; et ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2048. 5658. 6112. 6914. 6917. 7999. Quod dividere sit dissipare, est quia quae consociata sunt, si dividuntur, etiam disperguntur; sicut qui dividit animum seu mentem suam, is destruit illam; mens enim hominis consociata est a binis, una pars ejus vocatur intellectus, altera vocatur voluntas, qui dividit binas illas partes, is dispergit illa quae unius partis sunt, nam una vivet ex altera, inde perit etiam altera; similiter qui dividit verum a bono, seu quod idem, fidem a charitate; qui hoc facit, perdit utrumque: verbo, omnia, quae unum erunt, si divi-

duntur, pereunt. Haec divisio intelligitur per Domini verba apud Lucam „Nullus servire potest duobus Dominis, aut unum odio habebit et alterum amabit; aut unum praeferet et alterum contemnet; non potestis Deo servire et mammonae" XVI: 13; hoc est per fidem servire Domino, et per amorem mundo, ita agnoscere verum, et facere malum; qui hoc facit, mentem habet divisam, inde ejus destructio. Ex his patet, unde est, quod dividere sit dissipari; quod etiam constat apud Matthaeum „Veniet Dominus servi hujus in die quo non exspectat, et in hora qua non novit, et *dividet eum*, et partem ejus cum hypocritis ponet" XXIV: 51; dividere ibi est separare et removere a bonis et veris, [107] n: 4424, ita dissipare. Apud Moschen „Maledicta ira illorum, quia vehemens, et excandescentia illorum quia dura; *dividam illos* in Jacobo, et dispergam illos in Israële" Genes: XLIX: 7, haec in Prophetico Israëlis de Schimeone et Levi; per Schimeonem et Levin ibi repraesentantur illi qui in fide separata a charitate sunt, n: 6352; per Jacobum et Israëlem Ecclesia externa et interna, et quoque externus et internus homo, n: 4286. 4598. 5973. 6360. 6361; dividere illos in Jacobo est exterminare illos ab Ecclesia externa, et dispergere in Israële, est ab Ecclesia interna, ita dissipare bona et vera Ecclesiae apud illos. Quod dividere id sit, etiam patet a verbis scriptis in pariete, cum Rex Babelis Beltschazar una cum magnatibus, uxoribus et pellicibus, bibebat vinum ex vasis auri et argenti Templi Hierosolymitani; scriptum fuit „Numeratus, numeratus, appensus, *et divisus*" ubi divisus est separatus a Regno, Dan: V: 2. 3. 4. 25. 28; ibi quomodo omnia eo tempore fuerunt repraesentativa, patet; describitur ibi prophanatio boni et veri, quae per Babelem significatur, quod Babel sit prophanatio, videatur n: 1182. 1283. 1295. 1304 ad 1308. 1321. 1322. 1326; vasa auri et argenti sunt bona amoris et vera fidei a Domino, n: 1551. 1552. 5658. 6914. 6917; prophanatio significatur per bibere ex illis, et tunc laudare deos auri, argenti, aeris, ferri, ligni et lapidis, ut legitur ibi Versu 4, quae sunt mala et falsa in serie, n: 4402 fin: 4544. [108] 7873. 8941; per Templum Hierosolymitanum; unde vasa, in supremo sensu significatur Dominus, in sensu repraesentativo Ipsius Regnum et Ecclesia, n; 3720; Regnum Beltschazaris divisum

significabat dissipationem boni et veri, et quod ipse ea nocte occisus esset, significabat privationem vitae veri et boni, ita damnationem; dividi enim est dissipari; rex est verum boni, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148; simile significat regnum, n: 1672. 2547. 4691; occidi est privari vita veri et boni, n: 3607. 6767. 8902, et nox in qua occisus, est status mali et falsi, n: 2353. 7776. 7851. 7870. 7947; inde patet, quod omnia ibi repraesentativa fuerint. Legitur apud Davidem „*Diviserunt vestes meas sibi*, et super vestimentum meum jecerunt sortem" Psalm: XXII: 19; et apud Matthaeum „*Diviserunt Vestes*, jacientes sortem, ut impleretur quod dictum est per prophetam" XXVII: 35; tum apud Johannem „Milites acceperunt vestimenta, et fecerunt quatuor partes; et tunicam; erat tunica inconsuta, desuper texta per totum; dixerunt de illa, *ne dividamus illam*, sed sortiamur de illa, cujus sit, ut scriptura impleretur" XIX: 23. 24; qui haec legit, et nihil de sensu interno Verbi novit, non scit quod aliquid arcani in his lateat, cum tamen in singulis est arcanum Divinum; arcanum erat, quod Divina Vera dissipata fuerunt a Judaeis, nam Dominus erat Divinum Verum, inde Ipse vocatur Verbum, Joh: I: 1 seq: Verbum est Divinum Verum; Vestes Ipsius repraesentabant vera in externa forma, et tunica in interna; divisio vestium repraesentabat dissipationem verorum fidei a Judaeis; quod vestes sint vera in externa forma, videatur n: 2576. 5248. 5954. 6918; et quod tunica sit verum in interna forma, n: 4677; Vera in externa forma sunt qualia sunt Verbi in sensu literali, at vera in interna forma sunt qualia sunt Verbi in sensu spirituali; divisio vestium in quatuor partes significabat dissipationem totalem, similiter ac *divisio* apud Sachariam, Cap: XIV: 4, et alibi; pariter *divisio in duas partes*, ut legitur de Velo Templi, Matth: XXVII: 51. Marc: XV: 38: *discissio petrarum* etiam tunc, Matth: XXVII: 51, repraesentabat dissipationem omnium fidei, petra enim est Dominus quoad fidem, ac inde est fides a Domino.

9094. Et etiam mortuum divident, quod significet quod etiam affectio laedens, constat ex significatione mortui, quod sit malum ac falsum, de qua supra n: 9008, [109] inde per bovem mortuum significatur affectio mali ac falsi in naturali, ita affectio

laedens, nam malum per falsum laedit; et ex significatione dividere, quod sit dissipare, ut supra n: 9093. Quomodo cum [his] quae in hoc Versu in sensu interno continentur, se habet, aegre ad captum potest explicari; sunt talia quae ab angelis comprehendi possunt, et modo aliquo ab hominibus; nam Angeli vident arcana Verbi in luce quae a Domino, in qua innumerabilia sistuntur videnda, quae non cadunt in voces loquelae, et ne quidem in ideas cogitationis apud homines quamdiu in corpore vivunt; causa est, quia apud homines lux coeli influit in lucem mundi, et sic in talia ibi quae lucem coeli vel exstinguunt, vel rejiciunt, vel obtenebrant et sic hebetant; curae mundi ac corporis sunt talia, imprimis quae ex amoribus sui et mundi fluunt; inde est, quod quae sapientiae Angelicae sunt quoad plurimam partem sint inenuntiabilia, et quoque incomprehensibilia: sed usque in talem sapientiam venit homo post corporis rejectionem, hoc est, post mortem, sed modo is homo qui vitam fidei et charitatis a Domino in mundo receperat; nam facultas recipiendi illam sapientiam inest bono fidei et charitatis: quod ineffabilia sint, quae Angeli in luce coeli vident et cogitant, a multa experientia etiam scire datum est, nam cum elevatus sum in lucem illam, visus sum mihi intelligere omnia illa, quae ibi Angeli loquuti sunt, at cum abinde in lucem externi seu naturalis hominis demissus sum, et in hac luce vellem recolligere illa quae ibi audivi, non potui illa per voces exprimere, et ne quidem per ideas cogitationis comprehendere, nisi pauca, et haec pauca quoque in obscuro: ex quibus patet, quod quae in coelo videntur et audiuntur, sint talia quae nusquam oculus vidit, nec auris audivit. Talia sunt, quae in sensu interno Verbi intime latent. Similiter se habet cum iis quae in sensu interno in hoc Versu et sequente continentur: quae ibi sunt, et ad captum explicari possunt, sunt haec; Omnia Vera apud hominem vitam habent ex affectionibus quae amoris alicujus; Verum absque vita inde, est sicut sonus ex ore effluens absque idea, aut sicut sonus automati; inde patet, quod vita intellectus hominis sit a vita voluntatis ejus, proinde vita veri ex vita boni; nam verum se refert ad intellectum et bonum ad voluntatem: si ergo duo vera sunt, quae non vivunt ab eadem affectione communi, sed a diversis, illa non possunt aliter quam dissipari, nam collidunt inter se; et

cum vera dissipantur, etiam affectiones illorum dissipantur; est enim communis affectio, sub qua omnia vera apud hominem consociantur; communis illa affectio est bonum: haec sunt quae dici possunt de illis quae in interno sensu significantur per boves duorum virorum, quorum unus plaga afficit alterum, ut moriatur; et quod tunc bos vivus vendetur, et dividetur argentum, et quoque bos mortuus. Quis non scit qui ab Ecclesia, quod in omnibus et singulis Verbi sint Divina; sed quis Divina potest videre in his legibus de bovibus et asinis cadentibus in foveam, et de bovibus cornuferientibus, si solum quoad sensum literae inspiciuntur et explicantur; sed tunc Divina sunt, etiam in sensu literae, si simul quoad sensum internum inspiciuntur et explicantur; nam in eo sensu agunt omnia et singula Verbi de Domino, de Ipsius Regno et Ecclesia; ita de Divinis: ut enim aliquid Divinum et sanctum sit, de Divinis et sanctis aget; res de qua agitur, id facit: mundana et forensia, qualia sunt judicia, statuta, et leges a Domino e monte Sinai promulgata, quae in hoc Capite [et] sequentibus Exodi continentur, Divina et sancta sunt per Inspirationem, sed inspiratio non est dictatio, sed est influxus ex Divino; quod influit ex Divino, hoc transit per coelum, et ibi est coeleste ac spirituale; at cum venit in mundum fit mundanum, in quo intus illa sunt: inde patet, unde Divinum et ubi Divinum est in Verbo; et quid inspiratio.

9095. Vel notum quod bos cornupeta ille ab heri nudius tertius, quod significet notum prius quod talis affectio fuerit, constat ex significatione notum seu testatum esse, quod sit transivisse in intellectuale, ut supra n: 9071, nam quod illuc ex voluntario transit, id fit notum; et ex significatione quod bos cornupeta fuerit ab heri nudius tertius, quod sit quod talis affectio prius fuerit, ut etiam supra n: 9070.

9096. Et non custodiverit eum Dominus ejus, quod significet et si non in vinculis tenuerit, constat ex significatione custodire, quod sit in vinculis tenere, nempe affectionem mali in naturali, quae alioquin laesura esset verum fidei; quod sit in vinculis tenere, est quia per notum fieri significatur transire in intellectuale, n: 9095; ac intellectuale est quod videt malum, quod videtur hoc coërceri et in vinculis teneri potest, non ab intellectuali, sed per intellectuale a Domino; nam Dominus in-

fluit in illa apud hominem quae ei nota sunt, non autem in illa quae ei ignota. Per tenere in vinculis intelligitur inhibere et coërcere; vincula in spirituali sensu non aliud sunt quam affectiones quae amoris, nam illae sunt quae hominem ducunt, et quae eum coërcent: si affectiones mali eum ducunt, erunt affectiones veri ex bono quae eum coërcebunt: Vincula interna apud hominem sunt affectiones veri et boni, hae etiam vocantur vincula conscientiae; vincula autem externa sunt affectiones amoris sui ac mundi, nam hae ducunt hominem in externis; hae si descendunt ex vinculis internis, quae sunt affectiones veri et boni, sunt bonae, nam tunc homo se et mundum amat non propter se et mundum, sed propter usus bonos ex se et mundo, n: 7819. 7820. 8995; [119] at si non descendunt inde, sunt malae, et vocantur cupiditates, nam tunc amat homo se propter se, et mundum propter mundum. Ex his sciri potest, quid intelligitur per vincula interna et vincula externa, quorum mentio frequens facta est. Sed vincula ita dicta non sunt vincula nisi relative ad opposita; qui enim ex affectione quae amoris boni aliquid agit, is ex libero agit; sed qui ex affectione quae amoris mali, is sibi apparet ex libero agere, sed non agit ex libero quia ex cupiditatibus quae ab inferno; is solum liber est, qui in affectione boni est, quia is ducitur a Domino; quod etiam Dominus docet apud Johannem „Si vos manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis; et cognoscetis veritatem, et *veritas liberos faciet vos: omnis faciens peccatum, servus est peccati:* si *Filius vos liberos fecerit, vere liberi eritis*" VIII: 31. 32. 34. 36; quod liberum sit duci a Domino, et servum duci a cupiditatibus quae ab inferno, videatur n: 892. 905. 2870 ad 2893. 6205. 6477. 8209; Dominus enim indit affectiones pro bono, et aversationem pro malo, inde est ei liberum facere bonum, et prorsus servum facere malum: qui credit quod libertas Christiana ulterius se extendat, maxime errat.

9097. Rependendo rependet bovem pro bove, quod significet restitutionem ad integrum, constat ex significatione rependere, quod sit restituere; ad integrum significatur per rependendo rependere; et ex significatione bovis, quod sit affectio in naturali, de qua supra n: 9065.

[9097½.] Et mortuus erit sibi, quod significet pro affectio-

ne laedente, constat ex significatione bovis, quod sit mali affectio, per mortuum enim significatur malum et falsum, secundum ea quae supra n: 9089. Quomodo cum his, quae in sensu interno in hoc Versu continentur, se habeat, concludi potest ex illis quae supra n: 9094, explicata sunt.

9098. Vers: 37. *Cum furatus fuerit vir bovem aut pecudem, et mactaverit illud, vel vendiderit illud, quinque boves rependet pro bove, et quatuor pecudes pro pecude.* Cum furatus fuerit vir bovem vel pecudem, significat qui aufert alicui ejus bonum exterius et interius: et mactaverit illud, significat id exstinxerit: vel vendiderit illud, significat si vel id abalienaverit: quinque boves rependet pro bove, significat poenam correspondentem ad multum: et quatuor pecudes pro pecude, significat poenam correspondentem ad plenum.

9099. [111] Cum furatus fuerit vir bovem vel pecudem, quod significet qui aufert alicui ejus bonum exterius aut interius, constat ex significatione furari, quod sit auferre alicui ejus bona spiritualia, de qua n: 5135. 8906; ex significatione bovis, quod sit affectio boni in naturali, ita bonum exterius, de qua n: 2180. 2566. 2781. 2830. 5913. 8937; et ex significatione pecudis, quod sit bonum interius; nam quae gregis sunt, significant illa quae boni interioris sunt, et quae armenti quae boni exterioris, n: 2566. 5913. 6048. 8937.

9100. Et mactaverit illud, quod significet id exstinxerit, constat absque explicatione.

9101. Vel vendiderit illud, quod significet si vel id abalienaverit, constat ex significatione vendere, quod sit abalienare, de qua n: 4098. 4752. [112] 4758. 5886. 6143.

9102. Quinque boves rependet pro bove, quod significet poenam correspondentem ad multum, constat ex significatione quinque, quod sit aliquid, de qua n: 4638. 5291; et quoque multum, n: 5708. 5956; et ex significatione rependere, quod sit emendatio, n: 9087, et quod sit restitutio, n: 9097; quod quoque sit poena, est quia cum bonum abalienatum emendandum vel restituendum est, homo dura patitur, nam vel relinquitur suo malo, ita quoque poenae mali, nam malum secum habet poenam, n: 8214, vel mittitur in tentationes, per quas malum domatur ac removetur, quae sunt poena, quae signifi-

catur hic per rependere; quod sit poena correspondens, est quia malum poenae et malum culpae correspondent, n: 1857. 6559. 8214.

9103. Et quatuor pecudes pro pecude, quod significet etiam poenam correspondentem ad plenum, constat ex significatione quatuor, quod sit conjunctio; quatuor enim simile significat ac duo, quia ille numerus ex hoc exsurgit, est enim duplum ejus; quod duo sint conjunctio, videatur n: 5194. 8423, et inde quoque quatuor, n: 1686. 8877: quod illi numeri etiam sint ad plenum, inde sequitur, nam conjunctum est plenum; et ex significatione pecudis, quod sit bonum interius, de qua nunc supra n: 9099; [113] poena correspondens significatur per rependere, nempe quatuor pecudes pro pecude, n: 9102: bonum interius est quod vocatur charitas in interiori homine, et bonum exterius est charitas in exteriori; hoc bonum ab illo vivet, nam bonum charitatis in interiori homine est bonum vitae spiritualis, et bonum charitatis in exteriori, est bonum vitae naturalis inde; hoc bonum ad sensationem hominis venit ut jucundum, illud autem non ad sensationem venit, sed ad perceptionem quod ita esse debeat, et facit animum contentum; in altera vita etiam hoc ad sensationem venit. Causa quod quinque boves rependerentur pro bove, et quatuor pecudes pro pecude, a nemine sciri potest, nisi sciatur quid furtum in spirituali sensu, tum quid bos et pecus; quid illa sunt, explicatum est, nempe quod sit boni exterioris et interioris ablatio, et abalienatio; ablatio fit per malum, et abalienatio per falsum; inde poena ac restitutio illorum significantur per quinque et quatuor; quod omnes numeri in Verbo significent res, videatur n: 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. 6175; hic res quae involvunt restitutionem, nempe numerus quinque restitutionem boni exterioris ad multum, et numerus quatuor restitutionem boni interioris ad plenum: quod bonum interius sit restituendum ad plenum, est quia id bonum facit vitam spiritualem hominis; et nisi vita spiritualis restituatur ad plenum, non potest bonum exterius, quod facit vitam naturalem, restitui, nam haec vita per illam restituitur; ut constare potest a regeneratione hominis; quod externus homo regeneretur per internum, videatur n: 9043. 9046. 9061; sed

bonum in externo seu naturali non potest restitui ad plenum, quia ibi manet plaga ut cicatrix quae occalescit: haec sunt quae numeri illi involvunt. Paucis adhuc dicetur de restitutione boni exterioris, quod facit naturalem vitam hominis, a bono interiori quod facit spiritualem vitam ejus; naturale hominis videt res in luce mundi, quae lux vocatur lumen naturale; homo comparat sibi id lumen per objecta, quae per visum et per auditum intrant, ita per objecta quae ex mundo; sic videt illa homo intus in se, paene sicut videt illa oculus: objecta, quae per illos sensus intrant, apparent ei primum sicut volupe et jucundum, postea distinguit homo infans inter jucunda, unde discit discernere, et hoc per gradus exquisitius: cum lux e coelo influit in haec, tunc incipit homo spiritualiter illa videre, et primum discernere inter utilia et non utilia, inde inchoat perspicere verum, nam quod ei utile est, hoc ei est verum, et quod inutile non verum: haec perspectio crescit secundum influxum lucis coeli, usque tandem ut discernat non modo inter vera, sed etiam inter vera in his veris; et hoc lucidius, quo melius aperitur communicatio inter internum et externum hominem; nam lux coeli influit per internum hominem in externum a Domino: inde nunc est homini perceptio; sed tamen non usque perceptio spiritualis; haec perceptio non existit a veris naturalibus, sed a veris spiritualibus; vera spiritualia sunt quae vocantur vera fidei: quod perceptio spiritualis ex his veris existat, est quia lux coeli est Divinum Verum procedens a Domino, et id lucet ut lux coram oculis angelorum, et quoque lucet in intellectu illorum, et dat illis intelligentiam et sapientiam, sed cum varietate secundum receptionem ejus in bono; quapropter cognitiones spiritualium erunt apud hominem in ejus naturali, ut perceptio spiritualis existat; et cognitiones spiritualium erunt ex revelatione: cum lux coeli in illas influit, in propria influit, nam, ut dictum est, lux illa est Divinum Verum procedens a Domino, videatur n: 1053. 1521 ad 1533. 1619 ad 1632. 2776. 3138. 3167. 3195. 3222. 3223. 3341. 3636. 3643. 4180. 4302. 4408. 4415. 4527. 5400. 6032. 6313. 6608; inde homini est intelligentia et sapientia in talibus quae vitae aeternae sunt, quae crescunt secundum receptionem lucis illius, hoc est, veritatum fidei, in bono; bonum est charitas. Quod naturalis seu exter-

nus homo regeneretur, et quoque emendetur et restituatur per internum, ex jam dictis constare potest; nam quae in externo seu naturali homine sunt, vivunt ex luce coeli; haec enim lux est viva, quia procedit a Domino, qui est ipsa vita; non autem vivunt ex luce naturali, nam haec lux est in se mortua; ut ergo ea, quae in hac luce sunt, vivant, erit influxus lucis vivae per internum hominem a Domino; is influxus se accommodat secundum cognitiones veri analogas et correspondentes in naturali, et secundum obsequia ibi. Inde patet, quod externum seu naturale hominis regenerandum sit per internum ejus: similiter bonum in naturali ablatum et abalienatum est emendandum ac restituendum.

Continuatio de Spiritibus et Incolis Planetae Saturni.

9104. *Quidam ex spiritibus hujus Telluris transibant ad spiritus telluris Saturni, qui, ut supra dictum, ad insignem distantiam absunt, nam apparent ad finem mundi nostri solaris; transitus fit momento, nam distantiae in altera vita sunt apparentiae ex diversitate statuum vitae, n:* 2625. 2837. 3356. 3387. 3404. 4321. 4882. 5605. [114] 7381; *et conjunctio fit per statum desiderii loquendi cum altero; inde est, quod in altera vita conveniant, qui in aliqua conjunctione vel per amorem, vel per amicitiam, vel per venerationem, in mundo fuerunt, quando id desiderant; sed disjunguntur dein secundum dissimilitudines status vitae.*

9105. *Postquam spiritus telluris Saturni loquuti sunt cum spiritibus nostrae telluris, loquuti sunt mecum inde per spiritus intermedios, et dicebant, quod mirentur, quod toties ad eos venirent spiritus ab hac tellure, qui eos quaerunt, quem Deum colunt; cumque animadvertunt, quod spiritus hujus telluris talia quaerant, respondent quod insaniant, nam major insania non potest esse quam quaerere quem Deum aliquis colit, cum tamen Unicus est Deus omnibus in Universo; et quod adhuc magis insaniant in eo, quod nesciant Dominum esse Unicum Deum, et quod is regat universum coelum, et inde

universum mundum; nam qui regit coelum etiam regit mundum, quia mundus regitur per coelum.

9106. *Dixerunt etiam, quod aliud genus Spirituum, qui turmatim vadunt, frequenter ad illos veniant, desiderantes scire quomodo res apud illos se habet; et quod variis modis eliciant ab illis quae sciunt; de his dicebant quod non insaniant, modo in eo, quod tantum scire velint non propter alium usum quam ut sciant: postea instructi sunt quod Spiritus illi sint ex Planeta Mercurii; quod illos scientia et inde intelligentia solum delectet, non ita usus ex illis, nisi usus sint illis etiam scientia, videatur n:* 6811. 6815. [115] 6921 *ad* 6932. 7069 *ad* 7079. 7170 *ad* 7177.

9107. *Qualiter differunt inter se spiritus nostrae telluris et spiritus telluris Saturni, a manifesta experientia scire datum est; et simul tunc, quomodo pugnant et collidunt inter se spiritualis seu internus homo ac naturalis seu externus, cum hic non* [*in*] *fide et charitate est: Spiritus enim telluris Saturni in Maximo Homine referunt medium inter sensum spiritualem et naturalem, sed quod recedit a naturali et accedit ad spiritualem, n:* 8953; [116] *spiritus autem nostrae telluris referunt sensum naturalem et corporeum; proinde hi referunt externum hominem, illi autem internum: quanta intercedit repugnantia et collisio inter illos, quando externus seu naturalis homo non recipit vitam spiritualem per fidem et amorem in Dominum, per hanc experientiam ostensum est.*

9108. *Spiritus telluris Saturni e longinquo in conspectum veniebant, et tunc aderant plures spiritus e nostra tellure; hi illis visis fiebant sicut insani, et incipiebant infestare illos, infundendo indigna de fide, et quoque de Domino; cumque in invectivis erant, etiam conjiciebant se in medium illorum; et ex insania, in qua erant, conabantur malum inferre; sed spiritus Saturni nihil timebant, quia tuti erant, et quoque in tranquillo; at illi cum in medio horum erant, incipiebant aegre respirare, et inde angi; et sic ejiciebant se unus huc et alter illuc, ac disparabantur.*

9109. *Adstantes inde appercipiebant, qualis est Externus seu Naturalis homo separatus ab Interno, cum venit in sphaeram spiritualem, quae est sphaera vitae Interni hominis;*

(sphaera circumdat unumquemque, quae effluit ex vita amoris ejus, videatur n: 1048. 1053. 1316. 1504 *ad* 1512. 4464. 5179. 6206 *fin:* 7454,) *quod nempe insaniat: causa est; quia naturalis homo separatus a spirituali solum ex mundo sapit, et nihil ex coelo; et qui solum ex mundo sapit, is nihil credit nisi quod sensus capiunt, et quod credit, ex fallaciis sensuum credit, proinde ex falsis: inde est, quod spiritualia ei non sint aliquid, usque adeo ut vix sustineat audire spirituale nominari; inde quoque est, quod non capiat quid Internus homo, et inde non credat quod sit; quapropter tales insaniunt, cum tenentur in sphaera spirituali; aliter cum vivunt in mundo, tunc vel naturaliter de spiritualibus cogitant, vel avertunt aurem, hoc est, audiunt et non attendunt: quod talibus sit dolor et caecitas, cum in sphaeram spiritualem elevantur, videatur n:* 8797.

9110. *Ab experientia illa etiam constabat, quod naturalis homo non possit inferre se in spiritualem, hoc est, ascendere; sed cum homo in fide est, et inde in vita spirituali, et cogitat, tunc spiritualis homo descendit, hoc est, cogitat in naturali; influxus enim datur spiritualis, hoc est, e spirituali mundo in naturalem, non autem vicissim; quod influxus physicus sit prorsus contra ordinem, et contra naturam, ita impossibilis, videatur n:* 3721. 5119. 5259. [117] 5779. 6322. 8237: *quapropter cum naturalis homo, qui separatus est ab interno, venit in sphaeram vitae spiritualis, corripitur ille primum caecitate, dein insania, et tandem angore: inde quoque est, quod qui in inferno, non hiscant spectare ad coelum, n:* 4225. 4226. 8137. 8265. [118] 8945. 8946.

9111. *Ad finem Capitis sequentis dicetur de spiritibus Lunae; et quoque cur Dominus in nostra Tellure, et non in alia, nasci voluit.*



EXODI

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Doctrina Charitatis.

9112. Quid Conscientia, nunc dicetur: Conscientia formatur apud hominem ex religioso, in quo est, secundum receptionem ejus intus in se.

9113. Conscientia apud hominem Ecclesiae formatur per vera fidei ex Verbo, aut ex doctrina e Verbo, secundum receptionem illorum in corde: nam cum homo scit vera fidei, et capit illa suo modo, et dein vult illa, et facit illa, tunc fit ei conscientia: receptio in [1] corde est in voluntate, nam voluntas hominis est quae vocatur cor.

9114. Inde est, quod qui Conscientiam habent, ex corde loquantur quae loquuntur, et ex corde faciant quae faciunt. Habent etiam illi mentem non divisam, nam secundum id quod credunt verum et bonum esse, faciunt, et quoque secundum id quod intelligunt: inde conscientia perfectior potest dari apud illos, qui in veris fidei illustrati sunt prae aliis, et qui in clara perceptione sunt prae aliis, quam apud illos qui minus illustrati sunt, et qui in obscura perceptione sunt.

9115. Illi Conscientiam habent, qui novam voluntatem acceperunt a Domino; ipsa illa voluntas est conscientia; quapropter facere contra conscientiam est contra voluntatem illam. Et quia bonum charitatis facit novam voluntatem, etiam bonum charitatis facit conscientiam.

9116. Quia Conscientia, ut supra n: 9113 dictum est, for-

matur per vera fidei, sicut etiam nova voluntas et charitas, inde quoque est, quod facere contra vera fidei sit facere contra conscientiam.

9117. [2] Quia fides et charitas, quae a Domino, faciunt vitam hominis spiritualem, inde quoque est, quod facere contra Conscientiam sit facere contra illam vitam.

9118. Quia nunc facere contra Conscientiam est facere contra novam voluntatem, contra charitatem, et contra vera fidei, proinde contra vitam quae homini est a Domino, inde patet, quod homo in tranquillitate pacis sit, ac in beatitudine interna, cum facit secundum Conscientiam; [et] quod in intranquillitate [3] et quoque in dolore sit, cum facit contra illam: hic dolor est qui vocatur morsus conscientiae.

9119. Est homini conscientia boni et conscientia justi; conscientia boni est conscientia interni hominis, et conscientia justi est conscientia externi hominis: conscientia boni est facere secundum praecepta fidei ex affectione interna; at conscientia justi est facere secundum leges civiles et morales ex affectione externa. Qui conscientiam boni habent, illi quoque conscientiam justi habent; at qui modo conscientiam justi habent, illi in facultate sunt recipiendi conscientiam boni, et quoque recipiunt cum instructi.

9120. Exempla etiam illustrent quid Conscientia: qui alterius bona apud se habet, nesciente altero, et sic absque timore legis, jacturae, honoris et famae, potest lucrari illa, si usque illa alteri reddit, quia sua non sunt, is conscientiam habet; nam facit bonum propter bonum, ac justum propter justum. Sit quoque; qui potest venire ad dignitatem, sed videt quod alter, qui etiam ambit, patriae utilior sit, is si cedat alteri locum propter bonum patriae, is conscientiam habet. Ita in reliquis.

9121. Ex his concludi potest, quales sunt illi qui non conscientiam habent; cognoscuntur ex opposito: qui eorum propter lucrum quodcunque faciunt ut injustum appareat justum, ac ut malum appareat bonum, ac vice versa, illi conscientiam non habent. Qui eorum sciunt quod injustum et malum sint cum ita faciunt, et tamen faciunt, illi non sciunt quid conscientia, et si instruuntur quid sit, non scire volunt: tales sunt qui propter se et mundum omnia agunt.

9122. Qui conscientiam non receperunt in mundo, illi conscientiam non recipere possunt in altera vita; ita non possunt salvari, quia illis non est planum, in quod influat, et per quod operetur coelum, hoc est, per coelum Dominus, et illos adducat ad se; nam Conscientia est planum et receptaculum influxus coeli; quapropter tales in altera vita consociantur illis, qui se et mundum super omnia amant; qui sunt in inferno.

CAPUT XXII.

1. Si in perfossione deprehensus fuerit fur, et percussus, et moriatur; non illi sanguines.

2. Si exortus fuerit sol super eo, sanguines illi; rependendo rependet; si nihil illi, et vendetur pro furto suo.

3. Si inveniendo inventum fuerit in manu illius furtum, a bove usque ad asinum, usque ad pecudem, viventes, duplum rependet.

4. Quando desolaverit vir agrum vel vineam, et immiserit jumentum suum, et desolaverit in agro alterius, ex optimo agri sui, et ex optimo vineae suae, rependet.

5. Quando exiverit ignis, et apprehenderit spinas, et consumatur acervus, aut seges stans, aut ager, rependendo rependet incendens incensum.

6. Quando dederit vir socio suo argentum vel vasa ad custodiendum, et furto ablatum fuerit e domo viri, si deprehensus fur, rependet duplum.

7. Si non deprehensus fur, adducetur dominus domus ad Deum, annon miserit manum suam in opus socii sui.

8. Super omni verbo praevaricationis, super bove, super asino, super pecude, super veste, super omni perdito, quod dixerit quod hoc illud; usque ad Deum veniet verbum amborum illorum, quem condemnaverint Deus, rependet duplum socio suo.

9. Quando dederit vir socio suo asinum, vel bovem, vel pecudem, et omnem bestiam, ad custodiendum, et moriatur aut frangatur, aut captivum abducatur, nemine vidente,

10. Juramentum JEHOVAE erit inter ambos illos, annon miserit manum suam in opus socii sui, et sumserit dominus ejus, et non rependet.

11. Et si furando furto ablatum fuerit ab illo, rependet domino ejus.

12. Si discerpendo discerptum fuerit, adducet illi testem, discerptum non rependet.

13. Et quando commodato petiverit vir ex socio, et frangatur vel moriatur, dominus ejus haud cum illo, rependendo rependet.

14. Si dominus ejus cum illo, non rependet; si mercenarius ille, veniet in mercede sua.

15. Et quando persuaserit vir virgini, quae non desponsata, et cubuerit cum illa, dotando dotabit illam sibi in mulierem.

16. Si renuendo renuerit pater ejus ad dandum eam illi, argentum pendet secundum dotem virginum.

17. Praestigiatricem non vivificabis.

18. Omnis cubans cum bestia, moriendo morietur.

19. Sacrificans diis, devovebitur; praeterquam JEHOVAE soli.

20. Et peregrinum non affliges, et non opprimes, quia peregrini fuistis in terra Aegypti.

21. Ullam viduam et orphanum non affligetis.

22. Si affligendo afflixeris illum, quod si clamando clamaverit ad Me, audiendo audiam clamorem ejus.

23. Et exardescet ira mea, et occidam vos gladio; et fient mulieres vestrae viduae, et filii vestri orphani.

24. Si argentum mutuo dederis populo meo egeno cum te, non eris ei sicut foenerator; non ponetis super illum usuram.

25. Si oppignerando oppigneraveris vestem socii tui, usque ad intrare solis restitues illam ei.

26. Quia illa tegumentum ejus solum, illud vestis ejus cuti ejus, in qua dormiat; et erit, quando clamaverit ad Me, et audiam, quia misericors Ego.

27. Deo non maledices, et principem in populo tuo non execraberis.

28. Primitias frumenti tui, et primitias vini tui, non tardabis; primogenitum filiorum tuorum dabis Mihi.

29. Ita facies bovi tuo, gregi tuo, septem diebus erit cum matre sua, die octavo dabis illud Mihi.

30. Et viri sanctitatis eritis Mihi; et carnem in agro discerptum non comedetis, cani projicietis eam.

CONTENTA.

9123. Agitur in sensu interno in hoc Capite de damnis vario modo illatis vero fidei et bono charitatis, ac de emendatione et restitutione illorum; ut et de ferenda ope, si exstinguuntur. Postea agitur de instructione in veris fidei; et tandem de statu vitae hominis cum in bono charitatis est.

SENSUS INTERNUS.

9124. Vers: 1. 2. 3. *Si in perfossione deprehensus fuerit fur, et percussus, et moriatur, non illi sanguines. Si exortus fuerit sol super eo, sanguines illi, rependendo rependet; si nihil illi, et vendetur pro furto: Si inveniendo inventum fuerit in manu illius furtum, a bove usque ad asinum, usque ad pecudem, viventes, duplum rependet.* Si in perfossione deprehensus fuerit fur, significat si non appareat quod bonum aut verum auferatur: et percussus, et moriatur, significat si tunc damno afficitur usque ut exstinguatur: non illi sanguines, significat non reum violentiae illatae: si exortus fuerit sol super eo, significat si viderit illud clare ex interiori: sanguines illi, significat reum esse: rependendo rependet, significat emendationem et restitutionem veri et boni ablati: si nihil illi, significat si non aliquid supersit: vendetur pro furto suo, significat abalienationem: si inveniendo inventum fuerit in manu illius furtum, significat si ex vero et bono supersit per quod restitui possit: a bove usque ad asinum, significat si ex bono aut vero exteriori: usque ad pecudem, significat si ex vero et bono interiori: viventes, significat quibus inest vita spiritualis: duplum rependet, significat restitutionem ad plenum.

9125. Si in perfossione deprehensus fuerit fur, quod significet si non appareat quod bonum aut verum auferatur, constat ex significatione perfossionis, quod sit patratio mali in abscondito; et cum de fure dicitur, quod sit ablatio boni aut veri per falsum ex malo ut non appareat, de qua sequitur; et ex significatione furis, quod sit qui bonum et verum aufert, de qua n: 5135. 8906. 9018. 9020; et in sensu abstracto verum aut bonum ablatum: in sensu abstracto dicitur, quia angeli, qui in sensu interno Verbi sunt, cogitant abstracte a personis, n: 5225. 5287. 5434. 8343. 8985. 9007; Verbum etiam in eo sensu res pro objectis habet, absque determinatione ad personas et ad loca. Quod perfossio sit patratio mali in abscondito, et cum de fure dicitur, quod sit ablatio boni aut veri per falsum ex malo ut non appareat, patet ex eo quod distinguatur hic inter furtum quod fit per perfossionem, et inter furtum quod fit cum sol exortus est, de quo in Versu sequente. Quod perfossio id sit, etiam constat ex locis in Verbo ubi dicitur, ut apud Jeremiam « Etiam in alis tuis inventi sunt sanguis animarum pauperum innocentium; *non in perfossione inveni ea*, sed super omnibus ea» II: 34; ibi de amoribus spurcis et inde malis; non in perfossione inveni ea pro non per investigationem in occulto, quare dicitur super omnibus ea, hoc est, quod ubivis appareant. Apud Ezechielem « Introduxit me ad ostium atrii, ubi vidi, et ecce foramen unum in pariete, dixit ad me, *perfode*, age, *parietem; perfodi itaque parietem*, cum ecce ostium unum» VIII: 7. 8, ibi de abominationibus domus Israëlis, quas fecerunt in occulto; perfodere parietem est intrare in occulto, et videre quid faciunt. Apud Amos « *Si perfoderint in infernum*, inde manus mea recipiet eos; sive ascenderint in coelum, inde dejiciam illos» IX: 2; perfodere in infernum est abscondere se ibi, ita in falsis a malo; nam infernum est falsum a malo, quia id regnat ibi; falsa ibi vocantur tenebrae, intra quas a luce coeli se abscondunt, nam lucem coeli, quae est Divinum Verum a Domino, fugiunt. Apud Hiobum « Oculus adulteri observat crepusculum, dicendo, non videbit me oculus, et velamen facierum ponet, *perfodit in tenebris domos*, interdiu designant sibi, non agnoscunt lucem; pariter mane illis umbra mortis, quia agnoscunt terrores umbrae mortis» XXIV: 15. 16. 17,

hic manifeste perfodere domos pro deripere alterius bona in occulto; dicitur enim *perfodit in tenebris domos*, quod observet crepusculum, ne videat illum oculus, quod velamen facierum ponat, non agnoscat lucem, tum quod mane sit illis umbra mortis. Quod perfodere domum sit auferre bonum alterius in occulto, ducit originem ex repraesentativis in altera vita; ibi quando Angelis est sermo de falso destruente bonum in occulto, infra ubi sermones angelici sistuntur ad visum, repraesentatur id per perfossionem parietis; et vicissim quando angelis est sermo de Vero accedente ad bonum et conjungente se ei, repraesentatur id per apertam januam, per quam ingressus: inde est, quod Dominus, qui secundum repraesentativa in coelo, et secundum correspondentias loquutus est, quia ex Divino, dicat apud Johannem « Amen, amen, dico vobis, *qui non ingreditur per januam* in caulam ovium, sed ascendit aliunde, *is est fur* et latro; *qui vero ingreditur per januam,* pastor est ovium» X: 1. 2: et apud Lucam « Hoc scitote, quod si nosset paterfamilias, *qua hora fur venturus esset*, vigilaturus utique esset, et non permissurus *perfodi domum suam*» XII: 39, [4] fur hic quoque est qui per falsa destruit bona fidei, perfodere domum est in occulto id facere, quia fit quando paterfamilias non vigilat. Inde quoque est, quod venire sicut fur, sit venire incognito, quia non per januam sed aliunde, apud Johannem « Nisi vigilaveris, *veniam super te sicut fur*, et non cognosces qua hora venturus sim super te» Apoc: III: 3; et apud Eundem « *Ecce venio sicut fur*, beatus qui vigilat» Apoc: XVI: 15, venire sicut fur est venire incognito et inexspectato; quod de Domino ita dicatur, est quia intelligitur quod apud hominem janua sit clausa per falsum mali.

9126. Et percussus et moriatur, quod significet si tunc damno afficitur usque ut exstinguatur, constat ex significatione percuti, cum de vero et bono, quod sit laedi aut damno affici, ut n: 9034. 9058; et ex significatione mori, quod sit exstingui. Quod verum ac bonum hic intelligantur, est quia per furem seu furtum significatur id quod ablatum est, ita bonum ac verum, ut quoque in sequentibus « *Si inveniendo inventum fuerit in manu illius furtum a bove usque ad asinum, usque ad pecudem, viventes*» Vers: 3, bos, asinus, et pecus significant

bona et vera exteriora et interiora, et vocantur furtum, quia sunt in manu furis; pariter „*argentum et vasa*" Vers: 6, quae etiam vera interiora et exteriora sunt: simile per furem quod per furtum significatur, quia fur in sensu abstracto a persona est furtum, hoc est, verum et bonum ablatum, videatur mox supra n: 9125.

9127. Non illi sanguines, quod significet non reum violentiae illatae, constat ex significatione sanguinis, quod in supremo sensu sit Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, ac in sensu interno inde, Verum boni, de qua n: 4735. 6978. [5] 6378. 7317. 7326. 7846. 7850. 7877; quare per effundere sanguinem significatur violentiam inferre Vero Divino, seu Vero boni, et quoque ipsi bono; nam qui violentiam infert vero, is quoque violentiam infert bono, quoniam verum ita conjunctum est cum bono, ut unum sit alterius, quapropter si violentia infertur uni etiam infertur alteri; ex his patet, quod per non illi sanguines, significetur non reum esse violentiae illatae vero ac bono. Qui de sensu interno Verbi nihil novit, non aliter scit, quam quod per sanguines in Verbo significentur sanguines, et quod per effundere sanguinem modo significetur occidere hominem: sed in sensu interno non agitur de vita corporis, sed de vita animae hominis, hoc est, de vita spiritualis ejus, quam victurus est in aeternum; haec vita describitur in Verbo in sensu literae per talia quae sunt vitae corporis, nempe per Carnem et Sanguinem; et quia vita spiritualis hominis existit et subsistit per bonum quod charitatis et per verum quod fidei, idcirco bonum quod Charitatis intelligitur per carnem, et verum quod fidei per sanguinem in sensu interno Verbi; et in adhuc interiori sensu, bonum quod amoris in Dominum per carnem, et bonum amoris erga proximum per sanguinem; in supremo autem sensu, in quo solum agitur de Domino, Caro est Divinum Bonum Domini, ita Ipse Dominus quoad Divinum Bonum, et Sanguis est Divinum Verum procedens a Domino, ita Dominus quoad Divinum Verum: haec per Carnem et Sanguinem intelliguntur in Coelo, cum homo legit Verbum; similiter cum homo obit sanctam Coenam, sed in hac Panis est Caro, et Sanguis est Vinum, quoniam per Panem prorsus simile significatur quod per carnem, et per vinum prorsus simile quod per sanguinem. Sed

qui sensuales sunt, ut plerique homines in orbe hodie, hoc non capiunt; maneant itaque in sua fide, modo credant, quod in Sacra Coena ac in Verbo sanctum sit, quia a Divino: sit quod non sciant ubi id, usque qui aliqua perceptione interiori pollent, hoc est, qui supra sensualia cogitare possunt, expendant, num [6] sanguis per sanguinem, et caro per carnem, intelligatur apud Ezechielem „ Fili hominis, sic dixit Dominus Jehovih, dic omni avi coeli, omni ferae agri, congregamini et venite, congregate vos a circuitu super sacrificium meum, quod Ego sacrifico vobis, sacrificium magnum super montibus Israëlis, ut *comedatis carnem et bibatis sanguinem, carnem fortium comedetis, et sanguinem principum terrae, et bibetis sanguinem usque ad ebrietatem,* de sacrificio meo quod sacrificabo vobis; *satiabimini super mensa mea, equo et curru, et forti, et omni viro belli;* sic dabo gloriam meam inter gentes" XXXIX: 17 ad 21: tum apud Johannem in Apocalypsi „ Vidi Angelum stantem in Sole, qui clamavit voce magna, dicens omnibus avibus volantibus in medio coeli, congregamini ad coenam magni Dei, *ut comedatis carnes Regum, et carnes chiliarchorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium super illis, et carnes omnium liberorum et servorum, parvorum et magnorum*" XIX: 17. 18: quod in his locis caro non sit caro quae intelligitur, et sanguis non sit sanguis, manifeste patet: similiter nunc Caro et Sanguis Domini, apud Johannem „ *Panis quem Ego dabo, Caro mea est; amen, amen, dico vobis, nisi comederitis carnem Filii hominis, et biberitis Ipsius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui comedit meam Carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et Ego resuscitabo illum extremo die, nam caro mea est vere cibus, et sanguis meus est vere potus; qui comedit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in Me manet, et Ego in illo: hic Panis est qui e coelo descendit*" VI: 50 ad 58; quod Caro Domini sit Divinum Bonum Divini Amoris Ipsius, et sanguis Divinum Verum procedens a Divino Bono Ipsius, constare potest ex eo, quod illa sint quae nutriunt vitam spiritualem hominis; inde etiam dicitur, Caro mea est vere Cibus, et sanguis meus est vere potus, et quoque hic est panis qui e coelo descendit; et quia homo per amorem et fidem conjungitur Domino, ideo etiam dicitur, qui

comedit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in Me manet et Ego in illo. Sed, ut supra dictum est, illi soli hoc verbum capiunt, qui supra sensualia corporis possunt cogitare; imprimis qui in fide et in amore in Dominum sunt; nam hi a Domino elevantur a vita sensualium corporis versus vitam spiritus sui, ita a luce mundi in lucem coeli, in qua luce materialia, quae sunt in cogitatione a corpore, disparantur. Qui itaque novit, quod Sanguis sit Verum Divinum a Domino, is quoque scire potest, quod per effundere sanguinem in Verbo non significetur occidere aut privare hominem vita corporis, sed occidere aut privare illum vita animae, hoc est, destruere ejus vitam spiritualem, quae est ex fide et amore in Dominum; quod sanguis, cum intelligitur illegitime effusus, sit verum Divinum destructum per falsa ex malo, patet ex sequentibus his locis; apud Esaiam „Cum Dominus laverit excrementum filiarum Zionis, et *sanguines Hierosolymae abluerit e medio ejus*, per spiritum judicii, et per spiritum expurgationis" IV: 4. Apud Eundem „*Manus vestrae pollutae sunt sanguine*, et digiti vestri iniquitate; pedes eorum ad malum currunt, *et festinant ad effundendum sanguinem innocentem*, cogitationes eorum cogitationes iniquitatis" LIX: [3.] 7. Apud Jeremiam „Etiam *in alis tuis inventi sunt sanguis animarum pauperum innocentium*" II: 34. Apud Eundem „Ob peccata prophetarum, iniquitates sacerdotum, *effundentium in medio Hierosolymae sanguinem justorum*, errarunt caeci in plateis, *polluti sunt sanguine*, ea quae non possunt, tangunt vestimentis" Thren: IV: 13. 14. Apud Ezechielem „Praeterivi praeter te, et vidi te conculcatam *in sanguinibus* tuis; et dixi, *in sanguinibus tuis* vive; lavi te aquis, et *ablui sanguines tuos a super te*, et unxi te oleo" XVI: 6. 9. Apud Eundem „Tu fili hominis, num disceptabis *cum urbe sanguinum*; notifica illi omnes abominationes ejus, *per sanguinem tuum quem effudisti*, rea facta es, et per idola, quae fecisti, polluta es; ecce principes Israëlis, quisque juxta brachium suum, fuerunt in te, et *effuderunt sanguinem*; viri calumniae, fuerunt in te, *ad effundendum sanguinem*, et ad montes comederunt in te" XXII: 2. 3. 4. 6. 9. Apud Joëlem „Dabo prodigia in coelo et in terra, *sanguinem*, et ignem, et columnam fumi; sol vertetur in caliginem, et *luna in sanguinem*, antequam ve-

nit dies magnus et terribilis" III: 3. 4; et apud Johannem „Sol factus est niger sicut saccus pilosus, et *luna tota facta est sicut sanguis*" Apoc: VI: 12. [7] Apud Eundem „Secundus Angelus clanxit, et quasi mons magnus igne ardens projectus est in mare, *factaque est tertia pars maris sanguis*" Apoc: VIII: 8. Apud Eundem „Secundus Angelus effudit phialam suam in mare, et *factum est sanguis sicut mortui*, unde omnis anima vivens mortua est in mari. Tertius Angelus effudit phialam suam in fluvios et in fontes aquarum, et *factus est sanguis*" Apoc: XVI: 3. 4; in illis locis per sanguinem non intelligitur sanguis vitae corporeae hominis qui effusus, sed sanguis vitae spiritualis, qui est Verum Divinum, cui violentia illata est per falsum ex malo; simile per sanguinem intelligitur apud Matthaeum „Veniet super vos *sanguis justus effusus super terram, a sanguine Abelis justi, usque ad sanguinem Sachariae*, quem occidistis inter Templum et Altare" XXIII: 35, per quae significatur, quod vera Verbi a Judaeis violata fuerint a primo tempore usque ad praesens, in tantum, ut nihil veri interni ac coelestis agnoscere vellent; ideo nec agnoverunt Dominum; quod effuderint Ipsius Sanguinem, significabat plenariam rejectionem Veri Divini, Dominus enim erat ipsum Divinum Verum, quod est Verbum Caro factum, Joh: I: 1. 14; rejectio plenaria Veri Divini quod a Domino, et quod erat Dominus, intelligitur per haec apud Matthaeum [8] „Pilatus abluit manus coram populo, dicens, innocens sum *in Sanguine Justi hujus*, vos videritis; et respondens *totus populus, Sanguis Ejus super nobis et super liberis nostris*" XXVII: 24. 25; [9] propterea hoc describitur ita apud Johannem [10] „Unus militum lancea Ipsius latus fodit, et statim *exivit Sanguis et Aqua;* qui vidit, testatus est, et verum est testimonium, et ille novit quod vera dicat, ut vos credatis" XIX: 34. 35; quod etiam Aqua exivit, est quia per Aquam significatur Verum Divinum externum, quale est Verbum in litera; quod aqua sit verum, videatur n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8568. Ex his etiam patet, quid significatur per purificari *per sanguinem Domini*, quod sit per receptionem Veri fidei ab Ipso, n: 7918. 9088; [11] ita quoque patet, quid significatur per haec apud Johannem in Apocalypsi „Vicerunt draconem *per sanguinem Agni*, et per Verbum testimonii Ipsius"

XII: 11, per sanguinem Agni est per Divinum Verum quod a Domino, quod etiam est Verbum testimonii; Sanguis Agni est sanguis innocens, nam Agnus est innocentia, n: 3994. 3519. 7840; Verum Divinum procedens a Domino in Coelo intime in se habet innocentiam, nam non alios, quam qui in innocentia sunt, afficit, n: 2526. 2780. 3111. 3183. 3495. 3994. 4797. 6013. 6107. 6765. 7836 fin: 7840. 7902. 7877.

9128. Si exortus fuerit sol super eo, quod significet si viderit illud clare ab interiori, nempe furtum quod fit, constat ex significatione exoriri sol, quod sit videri in luce, ita clare, hic quod auferatur bonum et verum, quod per furtum significatur, n: 9125; quod si exortus fuerit sol, id significet, est quia per furem deprehensum in perfossione, de quo in Versu priori, significatur ablatio boni et veri in occulto, ita cum non videtur, n: 9125; quod dicatur videri *ab interiori*, est quia tale ab homine interno videtur. Quia interest, dicetur quomodo se habet cum visu ab interiori; homo videt apud se num bonum aut malum sit, proinde num verum aut falsum, quod cogitat et vult, ac inde quod loquitur et facit; hoc fieri nequaquam potest, nisi homo videat ab interiori: videri ab interiori est a visu interni hominis in externo, se habet hoc sicut cum visu oculi; oculus non videre potest quae in se sunt, sed quae extra se; inde nunc est, quod homo videat bonum et malum quae in se sunt: sed usque unus homo hoc videt melius quam alter; et aliqui hoc prorsus non vident; qui id vident, sunt qui vitam fidei et charitatis acceperunt a Domino, nam haec vita est vita interna seu vita interni hominis; illi quia ex fide in vero sunt et ex charitate in bono, videre possunt mala et falsa quae apud se sunt; nam ex bono videri potest malum, et ex vero falsum, non autem vicissim; causa est, quia bonum et verum est in coelo, et in ejus luce, at malum et falsum est in inferno, et in ejus tenebris; inde patet, quod qui in malo et inde in falso sunt, non possint videre bonum et verum, et ne quidem malum et falsum, quae apud se sunt; consequenter nec hi possunt videre ab interiori. Sed sciendum, quod videre ab interiori sit videre a Domino; nam cum visu se habet, sicut cum omni re existente, quod nihil existat a se, sed a priori seu superiori se, ita tandem a Primo ac Supremo; Primus et Su-

premus est Dominus; qui hoc capit, etiam capere potest, quod omne vitae apud hominem sit a Domino; et quia charitas et fides facit ipsissimam vitam hominis, quod omne charitatis et omne fidei sit a Domino; qui pollet dote cogitandi et percipiendi prae aliis, is quoque exinde capere potest, quod Dominus videat omnia et singula, usque ad singularissima quae apud hominem. At malum et falsum non a superiori se existunt, sed ab inferiori; consequenter non existunt a Domino, sed a mundo, Dominus enim est supra, et mundus est infra; quapropter Internus homo apud illos qui in malo et inde falso sunt, clausus est supra et apertus infra, inde est quod illi videant omnia inverse, [12] mundum ut omne et coelum ut nihil; apparent etiam ideo coram angelis inversi, pedibus sursum et capite deorsum; tales sunt omnes in inferno.

9129. [13] Sanguines illi, quod significet reum esse, constat ex significatione sanguinis, quod sit violentia illata bono ac vero, ita reum esse illius violentiae, de quo supra n: 9127. [14]

9130. Rependendo rependet, quod significet emendationem et restitutionem veri et boni ablati, constat ex significatione rependere, quod sit emendatio et restitutio, de qua n: 9087. 9097.

9131. Si nihil illi, quod significet si non aliquid supersit, nempe de bono et vero ablato, constat ex significatione nihil esse illi, nempe furi, quod significet non superesse aliquid de vero et bono ablato; quod furtum sit bonum et verum ablatum, videatur n: 9125; et quod simile per furem significetur quod per furtum, n: 9125. [15] 9126.

9132. Vendetur pro furto suo, quod significet abalienationem, constat ex significatione vendi, quod sit abalienatio, de qua n: 4752. 4758. 5886, hic boni et veri ablati, de quo nihil superest, n: 9131; [16] et ex significatione pro furto, quod sit emendatio et restitutio per aliud bonum aut verum loco ablati, quae per rependere significatur, n: 9130; [17] vendebatur enim fur ut rependeretur furtum. Cum illis, quae in hoc Versu, ita se habet; qui videt quod bonum aut verum, quod apud se est, per falsum ex malo auferatur, is reus est violentiae illis illatae, nam id fit conscio illo; quod enim fit ex conscio, id ex

voluntate et simul ex intellectu exit, ita ex toto homine, nam homo est homo ex utroque; et quod fit ex utroque, id fit ex falso quod ex malo, ex falso quia ex intellectu, et ex malo quia ex voluntate; inde homini reatus: quod id homini approprietur, quod ex intellectu ejus, et simul ex voluntate ejus venit, videatur n: 9009. 9069. 9071; et quod reus fiat homo, si non per intellectuale reprimit malum voluntarii, cum videt illud, n: 9075.

9133. Si inveniendo inventum fuerit in manu illius furtum, quod significet si ex vero et bono supersit per quod restitui possit, constat ex significatione inveniendo inveniri, cum de bono aut vero ablato, quod significatur per furtum, quod sit superesse; ex significatione in manu ejus, quod sit in potentia ejus, quod manus sit potentia, videatur n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544. 6947. 7011. 7188. 7189. 7518. 7673. 8050. 8153. 8281; quod in manu ejus quoque sit quod apud illum, videbitur infra; et ex significatione furti, quod sit bonum aut verum ablatum, de qua n: 9125; inde patet, quod si inveniendo inventum fuerit in manu illius furtum, [sit] si ex bono et vero supersit; quod etiam sit *per quod* restitui possit, est quia de restitutione boni et veri ablati in hoc Versu agitur: sed cum hoc ita se habet; quando communis affectio boni manet, tunc semper superest per quod bonum aliquod particulare ablatum restitui potest, a communi enim bono pendent bona et vera particularia, videatur n: 920. 1040. 1316. 4269. 4325 fin: 4329. 4345. 4383. 5208. 6115. 7131. Quod in manu illius sit quicquid apud illum, est quia per manum significatur potentia, et quicquid est potentiae alicujus est apud illum; inde etiam per manum, imprimis per dextram, significatur ipse: ex quibus constare potest, quid significatur per sedere ad dextram Patris, ubi de Domino, quod sit esse omne apud Patrem, ita esse Ipse; quod idem est cum esse in Patre et Pater in Ipso, et esse omnia sua Patris, et omnia Patris sua, quod Dominus docet apud Johannem Cap: XIV: 8 ad 11. et Cap: XVII: 10. 11.

9134. A bove usque ad asinum, quod significet ex bono aut vero exteriori, constat ex significatione bovis, quod sit bonum naturalis, de qua n: 2180. 2566. 2781. 2830. 5913. 8937; [18] et ex significatione asini, quod sit verum naturalis,

de qua n: 2781. 5492. 5741: bonum naturalis est bonum exterius, et verum naturalis est verum exterius.

9135. Usque ad pecudem, quod significet si ex vero et bono interiori, constat ex significatione pecudis, quod sit verum et bonum spirituale, ita verum et bonum interius, de qua n: 6016. 6045. 6049. In Verbo nunc dicuntur greges, nunc pecudes; et in sensu interno per greges significantur bona interiora et inde vera; at per pecudes significantur vera interiora et inde bona; sed differentia inter illa non sciri potest, nisi sciatur quomodo se habet cum bino statu hominis, priori et posteriori, cum regeneratur; prior status est, cum ducitur per vera fidei ad bonum charitatis; posterior status est cum in bono charitatis est et inde in veris fidei; per priorem statum introducitur homo in Ecclesiam, ut fiat Ecclesia, et cum factus est Ecclesia, tunc in posteriori statu est; bona et vera apud eum in posteriori statu significantur per greges, at vera et bona apud illum in priori statu significantur per pecudes; inde est, quod hic vera primo loco dicantur, et bonum secundo: de bino illo statu apud hominem qui regeneratur, seu quod idem, qui fit Ecclesia, videatur n: 7623. 7992. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701. 8772. 8995. 9088. 9089. Bona et vera dicuntur exteriora, quae in Externo seu Naturali homine sunt, et dicuntur interiora, quae in Interno seu Spirituali homine sunt: quod haec sint interiora, et illa exteriora, est quia Internus homo sapit e coelo, sed Externus e mundo; coelum enim est intra hominem, et mundus extra. A bove usque ad asinum, usque ad pecudem dicitur, ut significetur omne bonum et verum exterius, et omne verum et bonum interius; procedit etiam bonum ad verum in Externo homine, et a Vero ad bonum in Interno, secundum ordinem Divinum in Coelo.

9136. Viventes, quod significet quibus vita spiritualis inest, constat ex significatione vitae, quod sit vita spiritualis, quae est vita fidei et charitatis, de qua n: 5407. 5890; inde viventes sunt quibus vita spiritualis inest.

9137. Duplum rependet, quod significet restitutionem ad plenum, constat ex significatione dupli, quod sit ad plenum, de qua n: 9103; et ex significatione rependere, quod sit restitutio, de qua n: 9087.

9138. Vers: 4. 5. *Quando desolaverit vir agrum vel vineam, et immiserit jumentum suum, et desolaverit in agro alterius, ex optimo agri sui et ex optimo vineae suae rependet. Quando exiverit ignis, et apprehenderit spinas, et consumatur acervus aut seges stans, aut ager, rependendo rependet incendens incensum.* Quando desolaverit vir agrum vel vineam, significat bonum et verum Ecclesiae per cupiditates: et immiserit jumentum suum, significat si ex parum conscio id faciat: et desolaverit in agro alterius, significat consumtionem bonorum cohaerentium: ex optimo agri sui et ex optimo vineae suae rependet, significat restitutionem ex bonis et veris adhuc integris: quando exiverit ignis, significat ex affectione mali iram: et apprehenderit spinas, significat quae infert se in falsa: [19] et consumatur acervus, significat damnum bonis et veris fidei receptis: aut seges stans aut ager, significat etiam veris et bonis fidei in conceptione: rependendo rependet incendens incensum, significat restitutionem ablatorum per iram ex affectione mali.

9139. Quando desolaverit vir agrum vel vineam, quod significet deprivationem boni et veri Ecclesiae per cupiditates, constat ex significatione desolare, quod sit deprivare per cupiditates, de qua infra n: 9141: [20] ex significatione agri, quod sit Ecclesia quoad bonum, de qua n: 2791. 3766. 4982. 7502, ita bonum Ecclesiae; et ex significatione vineae, quod sit Ecclesia quoad verum, ita verum Ecclesiae: quod ager sit Ecclesia quoad bonum, est quia illa quae agri sunt, ut triticum et hordeum, significant bona Ecclesiae interna et externa, n: 3941. 7602. 7605; et quod Vinea sit Ecclesia quoad verum, est quia vinum, quod vineae est, significat verum boni, n: 1071. 6377. Quod Ager et Vinea id significent, ducit originem ex repraesentativis in mundo spirituali; nam coram spiritibus apparent agri tritico et hordeo pleni, quum Angelis, qui in superiori coelo sunt, sermo est de coetu qui in bono; et apparent vineae plenae uvis, cum torcularibus ibi, quum angelis sermo est de coetu qui in vero boni est: repraesentativa illa non sunt ex eo quod talia sint in terris, sed ex correspondentiis, quod triticum et hordeum, seu inde panis, nutriant corpus, sicut bonum amoris et charitatis nutrit animam, et quod vinum similiter ut potus: inde est, quod bona amoris et vera fidei in Verbo dicantur

cibi ac potus, sunt etiam in eo sensu cibi et potus coelestes, n: 56 ad 58. 680. 681. 1973. 1974. 4459. 4792. 5147. 5293. 5576. 5579. 5915. 8562. Quod Vinea sit Ecclesia quoad bonum et verum fidei, quae Ecclesia spiritualis vocatur, constat ex locis in Verbo ubi nominatur; ut apud Jeremiam „*Pastores multi perdiderunt Vineam meam*, conculcarunt *agrum meum;* redegerunt *agrum* desiderii in desertum solitudinis; posuit illam (*vineam*) in solitudinem" XII: 10. 11, [21] ubi vinea et ager manifeste pro Ecclesia, et quia Ecclesia est Ecclesia ex vero et bono fidei et charitatis, patet quod Vinea ibi sit Ecclesia quoad verum, et ager quoad bonum. Apud Esaiam „Jehovah in judicium venit cum senioribus populi sui et principibus ejus, *vos succenditis vineam*" III: 14, hic quoque Vinea manifeste pro Ecclesia quoad bonum et verum fidei, seniores enim, cum quibus Jehovah in judicium veniet, sunt bona Ecclesiae, n: 6524. [22] 6525, et principes sunt vera ejus, n: 5044. Apud Eundem „Cantabo dilecto meo canticum amici mei de *Vinea ejus; Vinea fuit* dilecto meo in cornu filii olei, quam circumdedit, et *plantavit vite nobili*" V: 1. 2. seq: hic de Domino, qui est dilectus et amicus, vinea est Ecclesia spiritualis Ipsius, vitis nobilis est bonum fidei illius Ecclesiae, cornu filii olei est bonum fidei illius Ecclesiae ex bono amoris: qui non scit aliquid de sensu interno Verbi, nequaquam scire potest, quid significat vinea in cornu filii olei; in illis verbis usque tale arcanum latet, quod exprimi vocibus non potest; describitur per illa plene conjunctio Regni spiritualis Domini cum Regno coelesti Ipsius, hoc est, conjunctio Secundi Coeli cum Tertio, consequenter conjunctio boni fidei in Dominum, quod est Regni Spiritualis, cum bono amoris in Dominum, quod est Regni Coelestis; Vinea est Regnum spirituale, in cornu est in potentia, ita in illo, filius olei est bonum amoris externum Regni coelestis; Regnum coeleste, quod est Coelum intimum Domini, vocatur olea seu olivetum, quia oleum est bonum amoris coelestis, n: 886. 4582. 4638: [23] sciatur quod Regnum Domini in terris sit Ecclesia. Quod bina Regna sint, Regnum coeleste et Regnum spirituale, et quod Regnum spirituale constituat Secundum Coelum, et Regnum Coeleste tertium, videatur n: 3887. 4138. 4279. 4286; de conjunctione illorum, n: 6435. Apud Eundem „In die illo,

Vinea meri, respondete illi; Ego Jehovah custodiens *illam*, in momentis irrigabo *illam*" XXVII: 2. 3, vinea meri pro Ecclesia spirituali. Apud Amos „*In omnibus vineis* planctus, transibo per te; vae desiderantibus diem Jehovae; quid vobis dies Jehovae, ille tenebrarum et non lucis" V: 17. 18; ibi de ultimo tempore Ecclesiae, quando non amplius bonum ac verum fidei, quod tempus est dies Jehovae, qui tenebrarum, et non lucis; inde dicitur, in omnibus vineis planctus. Apud Johannem in Apocalypsi „Misit Angelus falcem suam in terram, et *vindemiavit vitem terrae,* et conjecit in torcular irae Dei magnum" [24] XIV: 18. 19; vindemiare vitem terrae, est consumere verum et bonum Ecclesiae, terra hic est Ecclesia. Ex his constare potest, unde est, quod Dominus toties assimilaverit Regnum coelorum *Vineae*, ut apud Matthaeum Cap: XX: 1 seq: Cap: XXI: 28. 29. 33 ad 41. Marc: XII: 1 ad 13: et unde est, quod Dominus se vocaverit vitem, apud Johannem „Quemadmodum palmes non potest fructum ferre a seipso, ni *manserit in Vite*, ita neque vos, nisi in Me manseritis: *Ego sum vitis*, vos palmites, sine me non potestis facere quicquam" XV: 1 seq: Vitis est fides in Dominum, proinde est Dominus quoad fidem, nam Dominus est fides quia fides est ab Ipso, fides enim non est fides nisi quae ab Ipso, inde etiam est quod vitis sit fides quae in Ipsum.

9140. Et immiserit jumentum suum, quod significet si ex parum conscio id faciat, constat ex significatione jumenti, quod sit voluptas seu appetitus corporis; quod sit parum conscium, est quia homo, cum in illis est, parum consulit rationem, et sic parum sibi conscius est: omnes bestiae, cujuscunque generis et speciei sunt, significant affectiones, bestiae mites ac utiles affectiones bonas, et bestiae immites ac inutiles affectiones malas, n: 45. 46. 142. 143. 714 ad 719. 1823. 2180. 2781. 3218. 3519. 5198. 7523. 7872. 9090: cum bestia dicitur jumentum, significat illa affectiones mere corporeas, quae in se parum rationis habent, nam homo quo magis ex corpore agit, eo minus ex ratione agit, corpus enim est in mundo, ita remotum a coelo, ubi genuina ratio est: jumentum etiam in Lingua originali dicitur ex bruto et stolido, ita ex parum conscio, ut apud Esaiam

Cap: XIX: 11. apud Davidem Psalm: XLIX: 11. Psalm: LXXIII: 22. apud Jeremiam Cap: LI: 17 et alibi.

9141. Et desolaverit in agro alterius, quod significet consumptionem bonorum cohaerentium, constat ex significatione desolare, quod sit deprivare per cupiditates, ita consumere, de qua sequitur; et ex significatione in agro alterius, quod sint bona cohaerentia, ager enim est Ecclesia, et quae in agro sunt bona, n: 9139, ita quae in agro alterius, sunt propinqua quae cohaerent; nam bona apud hominem se habent sicut generationes in terra, et inde sunt quae in varia propinquitate et cohaerentia, n: 9079; quae non in eadem domo sunt, aut in eadem familia quae simul, sed usque affinia, sunt quae intelliguntur per esse in agro alterius. Quod desolare sit deprivare per cupiditates, et sic consumere, est quia per vocem, qua in Lingua originali exprimitur desolare, proprie significatur incendere et comburere, inde quoque depascere et consumere; et quia inde derivatio illius vocis, per desolare hic significatur consumtio quae fit per cupiditates; cupiditates enim apud hominem sunt ignes qui consumunt; est enim apud hominem ignis vitae, et lux vitae; ignis vitae est amor ejus, et lux vitae est fides ejus; amor boni, hoc est, amor in Dominum, et amor erga proximum, faciunt ignem vitae apud hominem bonum et apud angelum coeli, et amor veri ac fides veri faciunt lucem vitae apud illos; ast amor mali, hoc est, amor sui et amor mundi, faciunt ignem vitae apud hominem malum et apud spiritum inferni, ac amor falsi et fides falsi faciunt lumen vitae apud illos; sed amor mali vocatur in Verbo combustio ignis, quia comburit et consumit illa quae amoris boni et veri sunt; quod combustio ignis id sit, videatur n: 1297. 1861. 5215. 9055. Quod consumtio per cupiditates per illam vocem in Lingua originali significetur, patet a sequentibus his locis; apud Esaiam „Jehovah in judicium veniet cum senioribus populi sui, et principibus ejus, vos *consumsistis* (*succendistis*) *vineam*" III: 14. Apud Eundem „Flatus Jehovae, sicut fluvius sulphuris, *consumit* (*incendit*) eum" XXX: 33, fluvius sulphuris sunt falsa ex malis amoris sui et mundi, n: 2446. Apud Ezechielem „Exibunt habitatores urbium Israëlis, et *incendent* ac *comburent* arma, et scutum et clypeum, cum arcu et cum telis, et cum baculo manus, [25] et cum hasta; *ac-*

cendent illis ignem septem annis, ut non adferant ligna ex agro, et excidant ex sylvis" XXXIX: 9. 10, ita describitur consumtio et desolatio boni et veri per cupiditates; sed quis hoc videbit, nisi sciat quid significatur per habitatores urbium Israëlis, tum quid per arma, scutum, clypeum, arcum cum telis, per baculum manus [25] et hastam, per septem annos, perque ligna ex agro et ex sylvis; quod habitatores sint bona, videatur n: 2268. 2451. 2463. [26] 2712; quod urbes sint vera, et inde doctrinalia ex Verbo, n: 2268. 2449. [27] 2943. 3216. 4492; quod Israël sit Ecclesia, n: 4286. 6426. 6637, inde habitatores urbium Israëlis sunt bona doctrinalium Ecclesiae, et in opposito sensu illa versa in mala et falsa; quod scutum, clypeus, tela quae arcus, sint vera doctrinae e Verbo, per quae tutatio a falsis mali, n: 2686. 2709. 6421; [28] quod baculus manus [25] sit potentia veri ex bono, n: 4876. 7026; hasta similiter, sed potentia interior; quod septem anni sint status plenus, ita ad plenum, n: 6508. 8976, ita accendere ignem septem annis, est ad plenum consumere per cupiditates, ligna ex agro sunt bona interiora Ecclesiae, n: 3720. 8354, et quod ager sit Ecclesia, n: 2971. 3766. 7502. 7571, et ligna ex sylvis sunt bona exteriora, n: 3220. 9011 fin: his cognitis sciri potest quod per prophetica illa describatur consumtio omnium quae Ecclesiae sunt per cupiditates, usque dum nihil boni et veri Ecclesiae internae et externae supersit, quod significatur per quod accendent ignem septem annis, ut non adferant ligna ex agro, neque excidant ex sylvis. Per eandem vocem etiam describitur consumtio boni et veri Ecclesiae apud Malachiam „Ecce dies veniens, ardens sicut clibanus, quo erunt omnes insolenter peccantes, et omnis operator malitiae, stipula; et *consumet* (*accendet*) eos dies veniens, dixit Jehovah Zebaoth, qui non relinquet illis radicem aut ramum" III: 19; dies veniens est ultimum tempus Ecclesiae, quando amores sui et mundi regnaturi sunt, et consumturi omnia vera et bona Ecclesiae, usque dum nihil supersit in interno hominis et in externo ejus; quae significantur per quod non relinquet illis radicem aut ramum; radix boni et veri est in interno hominis, et ramus est in externo; inde nunc patet quod per desolare significetur consumtio per cupiditates: similiter alibi in Verbo.

9142. Ex optimo agri sui et ex optimo vineae suae rependet, quod significet restitutionem ex bonis et veris adhuc integris, constat ex significatione agri, quod sit bonum Ecclesiae, et ex significatione vineae, quod sit verum Ecclesiae, de quibus supra n: 9139; [29] optimum dicitur quod post consumtionem adhuc est integrum; et ex significatione rependere, quod sit restitutio, de qua n: 9087.

9143. Quando exiverit ignis, quod significet ex affectione mali iram, constat ex significatione ignis, quod sit amor, hic amor mali et ejus affectio, de qua mox supra n: 9141; affectio mali dicitur, quia per affectionem intelligitur continuum amoris; quod ignis sit ex affectione mali ira, est quia ira inde est, nam cum impugnatur id quod homo amat, igneum erumpit, et quasi ardet; inde est, quod ira describatur in Verbo per ignem, et dicatur ardere; ut apud Davidem „Ascendit *fumus* ex Naso ejus, et *ignis ex ore Ejus, prunae arserunt ex Eo*" Psalm: XVIII: 9. Apud Eundem „Osculamini Filium, *ne irascatur, quia ardebit brevi ira Ejus*" Psalm: II: 12. Apud Esaiam „Quis manebit nobis *igne comedente;* quis manebit nobis *focis aeternitatis*" XXXIII: 14. Apud Eundem „Effudit super illum *excandescentiam irae suae, inflammavit illum* circumcirca, nec agnovit, *incendit eum*, nec tamen posuit super cor" XLII: 25. Apud Eundem „Ecce Jehovah *in igne veniet*, et sicut procella currus ejus, ad retribuendum in *excandescentia irae suae,* et increpatio Ejus in *flammis ignis*" LXVI: 15. Apud Moschen „Respexi et descendi de monte, *cum mons ardens igne:* extimui *propter iram* et *excandescentiam*, qua *iratus fuit* Jehovah contra nos" Deut: IX: 15. 19; in his et in pluribus aliis locis ira describitur per ignem; tribuitur ira Jehovae, hoc est, Domino, sed est apud hominem, n: 5798. 6997. 8282. [30] 8483; quod Dominus apparuerit super monte Sinai populo Israëlitico secundum quale ejus, ideo in igne, fumo, caligine, videatur n: 6832. Sed sciendum, quod ira sit ignis erumpens ex affectione mali, Zelus autem ignis erumpens ex affectione boni, n: 4164. 4444. 8598; [31] ideo etiam Zelus describitur per ignem, apud Moschen „Jehovah Deus tuus *est ignis comedens*, Deus *Zelotes*" Deut: IV: 24; et apud Zephaniam „Effundam super eos *omnem excandescentiam irae meae*, quoniam *in igne Zeli*

mei comedetur tota terra» III: 8. Quod Zelus Jehovae sit amor et misericordia, et quod dicatur ira, quia apparet malis, cum incurrunt in poenam sui mali, sicut ira, n: 8875.

9144. Et apprehenderit spinas, quod significet quae infert se in falsa, constat ex significatione apprehendere, cum dicitur de ira quae ex affectione mali, quod sit inferre se, et sic accendere; et ex significatione spinarum, quod sint falsa, de qua sequitur; quomodo cum his se habet, primum aliquid dicetur; amores apud hominem sunt ignes vitae ejus, n: 9055; amores mali, qui sunt sui et mundi, sunt ignes consumentes, consumunt enim bona et vera quae sunt ipsius vitae; ignes illi vitam voluntatis hominis faciunt, et lux ex illis ignibus vitam intellectus ejus; quamdiu ignes mali tenentur in voluntate inclusi, tunc intellectus est in luce, et inde in apperceptione boni et veri; at cum ignes illi effundunt lucem suam in intellectum, tunc dissipatur prior lux, et obscuratur homo quoad apperceptionem boni et veri; et hoc quo plus amores sui et mundi, qui sunt ignes illi, augmenta capiunt, et tandem ita, ut omne verum et cum vero bonum suffocent et exstinguant. Cum amores illi impugnantur, tunc erumpit ignis e voluntate in intellectuale, et concipit flammam ibi; haec flamma est quae vocatur ira; inde est, quod homo dicatur excandescere, exardescere, et inflammari, cum irascitur; haec flamma aggreditur vera et bona, quae in intellectuali, et non modo abscondit illa, sed etiam consumit; et, quod arcanum, cum ignis ille malus e voluntate in intellectuale erumpit, tunc clauditur intellectuale supra, et aperitur infra, hoc est, clauditur quo spectat ad coelum, et aperitur quo spectat ad infernum; inde est, quod tunc influant mala et falsa, quae flammam concipiunt, cum homo malus in iram exardescit; se habet hoc similiter ac fibra in corpore, haec si aculeo acus tangitur, illico se contrahit et claudit, et sic arcet, ne laesio ulterius vadat, ac infestet vitam in principiis; falsum etiam, cum sistitur videndum, apparet sicut aculeatum. Status hominis mali, cum irascitur, etiam similiter se habet sicut fumus, qui admoto igne concipit flammam, nam falsum mali in intellectuali est sicut fumus, et ira est sicut flamma accensi fumi; correspondent etiam; inde est quod fumus sit falsum, et flamma ejus sit ira in Verbo; ut apud Davidem « *Ascendit fu-*

mus ex naso Ejus, et ignis ex ore ejus, prunae arserunt in Eo" Psalm: XVIII: 9.; et apud Esaiam „*Ardet sicut ignis*, malitia, senticetum et vepretum *comedit*, et incendit implexa sylvae, et *elevant se elatione fumi*, in excandescentia Jehovae Zebaoth" IX: 17. 18; fumus hic est falsum, ex quo accenso ira; quod fumus sit falsum, videatur n: 1861. Ex his nunc patet, quid in sensu interno significatur per quando exiverit ignis, et apprehenderit spinas, ut consumatur acervus, aut seges stans, quod nempe si affectio mali erumpit in iram, ac infert se in falsa concupiscentiarum, et consumit vera et bona fidei; qui expendit, videre potest, quod aliqua causa hujus legis sit, quae interius latet, et non apparet, nam lex de igne apprehendente spinas, et inde consumente acervum vel segetem stantem, nullibi lata est, quia tale perquam raro evenit; sed quod ignis malitiae et irae corripiat et accendat falsa concupiscentiarum, et sic consumat vera et bona, quae Ecclesiae, omni die evenit. Quod spinae sint falsa concupiscentiarum, constat ex sequentibus his locis; apud Esaiam „Super terra populi mei *spina* et *sentis* ascendit" XXXII: 13; terra est Ecclesia, spina et sentis sunt falsa et inde mala. Apud Eundem „Spiritum vestrum *ignis consumet vos*, ita erunt populi *combusti in calcem*, *spinae excisae quae igne succenduntur*" XXXIII: 12, spinae quae igne succenduntur pro falsis quae flammam arripiunt, et consumunt vera et bona. Apud Ezechielem „Non erit amplius domui Israëlis *sentis pungens, et spina dolòre afficiens*" XXVIII: 24, sentis pungens pro falso concupiscentiarum amoris sui, spina pro falso concupiscentiarum amoris mundi. Apud Hoscheam „Scortata est mater vestra, *propterea Ego obsepiens viam tuam per spinas*, et semitas suas non inveniet" II: 5. 6, [32] viae et semitae pro veris, et spinae pro falsis loco illorum. Apud Eundem „Perdentur excelsa Aven, peccatum Israëlis, *tribulus et spina ascendet super altaria illorum*" X: 8, tribulus et spina pro malo et falso vastante bona et vera cultus. Apud Davidem „Circumdederunt me sicut apes, exstinguunt sicut *ignem spinarum*" Psalm: CXVIII: 12, ignis spinarum pro concupiscentia mali. Apud Matthaeum „A fructibus eorum cognoscetis eos, *numquid colligunt de spinis uvas*, aut de tribulis ficus" VII: 16; colligere de spinis uvas pro ex falsis concupiscentiarum bo-

na fidei et charitatis, quod uvae sint *illa* bona, videatur n: 1071. 5117. 6378. Apud Marcum „Aliud semen cecidit *inter spinas*, *sed ascenderunt spinae* et suffocarunt illud, ut fructum non dederit. *Qui inter spinas seminantur*, sunt ii qui sermonem audiunt, sed curae mundi hujus, et fraus divitiarum, et circa reliqua *concupiscentiae* ingredientes suffocant sermonem, ut infrugifer [33] fiat" IV: 7. 18. 19; ibi explicatur quid sit seminari inter spinas, ita quid spinae; eadem significantur per serere inter spinas, ac metere spinas apud Jeremiam „Ita dixit Jehovah viro Jehudae et Hierosolymae, novate vobis [34] novale, *et non serite inter spinas*" IV: 3. „severunt tritica, et *messuerunt spinas*" XII: 12. 13. Falsa concupiscentiarum, quae significantur per spinas, sunt falsa confirmantia illa quae mundi et ejus voluptatum sunt; nam haec falsa prae aliis arripiunt flammam et flagrant, quia sunt ex concupiscentiis in corpore, quae sentiuntur; ideo etiam claudunt internum hominem, ut nihil quod est salutis animae et vitae aeternae sapiat. Quod „*Corona ex spinis plexa* Capiti Domini imposita fuerit, cum crucifigeretur, et tunc salutatus sit Rex Judaeorum, et dixerit ecce Homo" Johan: XIX: 2. 3. 5, [35] repraesentabat quale fuit Verbum Divinum tunc in Ecclesia Judaica, quod nempe ex falsis concupiscentiarum suffocatum, Rex Judaeorum, ut tunc ab illis salutabatur, significabat Verum Divinum; quod per Regem in Verbo significetur Verum a Divino, videatur n: 1672. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4966. 5044. 6148; et quod simile per Unctum, qui in Hebraeo idiomate est Messias, et in Graeco Christus, n: 3004. 3008. 3009. 3732 fin: quod per Jehudam in sensu supremo intelligatur Dominus quoad Divinum Bonum, et in sensu interno quoad Verbum, et sic quoad doctrinam e Verbo, n: 3881; et quod Dominus, quum talis corona super Capite Ipsius, dixerit, ecce Homo, significabat, ecce Divinum Verum, quale hodie in Ecclesia est; Divinum enim Verum procedens a Domino in coelo est Homo, inde Coelum est Maximus Homo, et hoc ex Influxu et ex Correspondentia, quod ad finem plurium Capitum ostensum est, videatur n: 1871. 1276. 2996. 2998. 3624 ad 3649. 3741 ad 3750. 7396. [36] 8547. 8988; inde etiam Ecclesia Coelestis Domini vocata est Homo, n: 478. 479; haec Ecclesia erat, quam Judaei reprae-

sentabant, n: 6363. 6364. 8770; inde patet, quid significatum sit per Spineam Coronam, tum per salutationem, Rex Judaeorum, ut et quid per ecce Homo; et quoque quid per inscriptionem super cruce, Jesus Nazarenus Rex Judaeorum, Johan: XIX: 19. 20, nempe quod Divinum Verum seu Verbum in tali aspectu et ita tractatum fuerit a Judaeis, apud quos Ecclesia; quod omnia, quae fiebant Domino a Judaeis, cum crucifigeretur, significaverint Ecclesiae illorum status quoad Verum Divinum seu Verbum, videatur n: 9093; quod Dominus fuerit Verbum, constat apud Johannem « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; et Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam Ipsius » I: 1. 14; Verbum est Divinum Verum.

9145. Et consumatur acervus, quod significet damnum veris et bonis fidei receptis, constat ex significatione acervi, quod sit verum et bonum fidei receptum; quod acervus id sit, est quia est seges jamdum collectus, et per segetem stantem significatur verum et bonum fidei in conceptione, de quo in nunc sequente articulo.

9146. Aut seges stans aut ager, quod significet verum et bonum fidei in conceptione, constat ex significatione segetis, quod sit verum fidei, de qua sequitur; et ex significatione agri, quod sit Ecclesia quoad bonum, ita bonum Ecclesiae, de qua supra n: 9139. Quod seges sit verum fidei, est quia illa quae segetis sunt, ut triticum et hordeum, ac inde panis, significant bona Ecclesiae, n: 3941. 7602; bona Ecclesiae sunt quae charitatis erga proximum, et amoris in Dominum, haec bona sunt Esse et Anima fidei, nam ex illis fides est fides, et vivit: quod seges stans sit verum fidei in conceptione, est quia nondum collecta est in acervos, nec illata in horrea; quapropter seges cum stat, aut adhuc in nascentia est, est verum fidei in conceptione: simile per segetem stantem significatur apud Hoscheam « Israël regem fecerunt, et non a Me, principes fecerunt et non novi; argentum suum et aurum suum fecerunt idola: quia ventum serunt, procellam metent; *seges stans non illi*, germen non faciet farinam; si forte fecerit, alieni deglutient illam » VIII: 4. 7; agitur ibi de veris et bonis fidei Ecclesiae dissipatis per vana et falsa, quod de illis agatur patet a serie rerum, sed quid

de illis dicitur, patet ex sensu interno; in hoc sensu enim per regem intelligitur verum fidei Ecclesiae in complexu, videatur n: 1672. 2015. 2069. [37] 3009. 3670. 4575. 4581. 4966. 5044. 6148; per principes vera primaria, n: 1482. 2089. 5044; inde patet, quid intelligitur per quod Israël regem fecerunt et non a Me, principes fecerunt et non novi, Israël enim est Ecclesia, n: 4286. 6426. 6637: per argentum ibi significatur verum boni, ac in opposito sensu falsum mali, n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 8932, per aurum bonum, ac in opposito sensu malum, n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 8932, per idola cultus ex falsis et malis, n: 8941; inde patet quid significatur per argentum suum et aurum suum fecerunt idola; per ventum quem serunt, significantur inania; per procellam quam metent, turba inde in Ecclesia; per segetem stantem quae non illi, verum fidei in conceptione; per germen quod non faciet farinam, sterilitas; per alienos qui deglutient illam, significantur falsa quae consument.

9147. Rependendo rependet incendens incensum, quod significet restitutionem ablatorum per iram ex affectione mali, constat ex significatione rependere, quod sit restitutio, de qua n: 9087; ex significatione ignis qui exit, quod sit ira ex affectione mali, de qua n: 9143, inde incendere est ablatio seu consumtio per illam, et incensum est ablatum seu consumtum.

9148. Vers: 6 ad 14. *Quando dederit vir socio suo argentum vel vasa ad custodiendum, et furto ablatum fuerit e domo viri, si deprehensus fur, rependet duplum. Si non deprehensus fur, adducetur dominus domus ad Deum, annon miserit manum suam in opus socii sui. Super omni verbo praevaricationis, super bove, super asino, super pecude, super veste, super omni perdito, quod dixerit quod hoc illud, usque ad Deum veniet verbum amborum illorum, quem condemnaverint Deus, rependet duplum socio suo. Quando dederit vir socio suo asinum vel bovem, vel pecudem, et omnem bestiam ad custodiendum, et moriatur aut frangatur, aut captivum abducatur, nemine vidente; juramentum Jehovae erit inter ambos illos, annon miserit manum suam in opus socii sui, et sumserit dominus ejus, et non rependet. Et si furando furto ablatum fuerit ab illo, rependet domino ejus. Si discerpen-*

do discerptum fuerit, adducet illi testem, discerptum non rependet. Quando commodato petiverit vir ex socio suo, et frangatur vel moriatur, dominus ejus haud cum illo, rependendo rependet. Si dominus ejus cum illo, non rependet; si mercenarius ille, veniet in mercede sua. Quando dederit vir socio suo argentum aut vasa ad custodiendum, significat vera ex bono et scientifica correspondentia in memoria; et furto ablatum fuerit e domo viri, significat jacturam illorum inde; si deprehensus fur, significat recordationem; rependet duplum, significat restitutionem ad plenum; si non deprehensus fur, significat si ablati nulla recordatio; adducetur dominus domus ad Deum, significat inquisitionem ex bono; annon miserit manum suam in opus socii sui, significat num in illud intraverint; super omni verbo praevaricationis, significat quodcunque damnum ac quamcunque jacturam; super bove, super asino, super pecude, significat boni et veri exterioris et interioris; super veste, significat veri sensualis; super omni perdito, quod dixerit quod hoc illud, significat omne ambiguum; usque ad Deum veniet verbum amborum illorum, quem condemnaverint Deus, significat inquisitionem et dijudicationem per verum; rependet duplum, significat emendationem ad plenum; quando dederit vir socio suo asinum vel bovem vel pecudem, et omnem bestiam ad custodiendum, significat verum et bonum exterius et interius, ac omne quod est affectionis illorum, in memoria; et moriatur aut frangatur, significat jacturam vel damnum; aut captivum abducatur, significat remotionem; nemine vidente, significat de qua mens non conscit; juramentum Jehovae erit inter ambos illos, significat inquisitionem per vera ex Verbo de omnibus et singulis illis; annon miserit manum in opus socii sui, et sumserit dominus ejus, significat conjunctionem cum bono; et non rependet, significat quod non damnum; et si furando furto ablatum fuerit ab illo, significat si jactura; rependet domino ejus, significat restitutionem pro illo; si discerpendo discerptum fuerit, significat si damnum non ex culpa; adducet illi testem, significat confirmatum id; discerptum non rependet, significat non poenam; et quando commodato petiverit vir ex socio suo, significat verum et bonum ex alia prosapia; et frangatur vel moriatur, significat damnum ei vel exstinctionem; dominus ejus

haud cum illo, significat si bonum illius veri non simul; rependendo rependet, significat restitutionem; si dominus cum illo, non rependet, significat si bonum veri simul, quod non restitutio; si mercenarius ille, significat si propter bonum lucri; veniet in mercede sua, significat submissionem et servitium.

9149. Quando dederit vir socio suo argentum aut vasa ad custodiendum, quod significet vera ex bono et scientifica correspondentia in memoria, constat ex significatione argenti, quod sit verum ex bono, de qua n: 1551. 2954. 5658. 6914. 6917. 7999. 8932; ex significatione vasorum, quod sint scientifica, de qua n: 3068; quod sint scientifica correspondentia, est quia omnia vera spiritualia reconduntur in scientificis, ut in suis vasis, n: 3079; et omnia scientifica correspondent veris quae continentur; et ex significatione ad custodiendum, quod sit in memoria; nam custodiri in sensu spirituali, in quo agitur de veris et de scientificis, est teneri in memoria, quoniam in illa custodiuntur talia; dare vir socio suo ad custodiendum, est reponere penes se in memoria, nam quod in sensu literae dicitur de uno et de altero, ut hic vir et socius, in sensu interno intelligitur de uno, nam duo vera, ut et verum et scientificum correspondens, sunt in homine vir et socius.

9150. Et furto ablatum fuerit e domo viri, quod significet jacturam illorum inde, constat ex significatione furti, quod sit ablatio talium quae faciunt vitam spiritualem hominis, proinde verorum et scientificorum, quae per argentum et vasa significantur, n: 9149; et ex significatione domus, quod sit ubi aliquid reconditur, inde est, quod domus varia significet, prout Ecclesiam, bonum ibi, tum quoque hominem, ut et mentem ejus utramque, naturalem et rationalem, hic vero memoriam, quia inibi ut in domo sua sunt vera et scientifica; quod domus varia significet, videatur n: 3128. 3142. 3538. 3652. 3720. 3900. 4973. 4982. 5023. 5640. 6690. 7353. 7848. 7929.

9151. Et deprehensus fur, quod significet recordationem, constat ex significatione deprehendi, cum dicitur de veris et scientificis ablatis in memoria, quod sit recordatio; et ex significatione furis, quod sit quod ablatum est; per furem enim simile significatur quod per furtum, n: 9125. 9126.

9152. Rependet duplum, quod significet restitutionem ad

plenum, constat ex significatione rependere, quod sit restitutio, de qua n: 9087; et ex significatione dupli, quod sit ad plenum, de qua n: 9103. Agitur in hoc Versu et in sequentibus usque ad 14 in sensu interno de jactura veri fidei apud hominem, ita de jactura vitae spiritualis, et de ejus restitutione, nam homo per vera fidei introducitur ad bonum charitatis, et fit spiritualis, sed haec de quibus in nunc sequentibus in sensu interno agitur, sunt quoad plurimam partem ignota homini; causa est, quia non scitur quid vita spiritualis, ita nec quod haec vita sit interior vita, quae distincta est a vita naturali, quae exterior; neque scitur quod illa vita detur homini a Domino per receptionem veri fidei in bono charitatis; inde est, quod quae dicuntur de jactura vitae illius, et de ejus restitutione, cadant in caliginem apud hominem, quia inter illa quae non sciuntur; sed usque talia faciunt sapientiam angelicam, adaequata enim sunt Luci, in qua Angeli sunt; quapropter cum homo Ecclesiae, qui in bono fidei est, legit Verbum, adjungunt se ei Angeli, et delectantur homine, quia sapientia quae per Verbum ad illos tunc a Domino influit; inde est conjunctio coeli cum homine; quae nulla forêt absque Verbo; Verbum enim tale est, ut ne quidem apex aut jota sit in Lingua ejus originali, quae non afficit Angelos, et conjungit illos homini; quod ita sit asseverare possum, quia ostensum est e coelo.

9153. Si non deprehensus fur, quod significet si ablati nulla recordatio, constat ex significatione si deprehensus fur, quod sit si recordatio ablati, de qua mox supra n: 1951, hic nulla recordatio, quia dicitur si non deprehensus.

9154. Adducetur dominus domus ad Deum, quod significet inquisitionem ex bono, constat ex significatione adduci ad Deum, quod sit ut fiat inquisitio, de qua infra n: 9160; et ex significatione domini domus, quod sit bonum ex quo; quod dominus domus sit bonum, est quia agitur de veris et scientificis e memoria ablatis, quae significantur per argentum et vasa ad custodiendum data, et furto ablata, n: 9149. 9150; [38] illa quia boni sunt, et in bono, ideo dominus domus est bonum, cujus sunt [39], et apud quem sunt; bonum dicitur dominus, quia vera et scientifica sunt boni ut sui domini, et quoque bonum dicitur domus, quia vera et scientifica in bono sunt ut in sua domo,

videatur n: 3652, ubi explicantur Domini verba apud Matthaeum „*Qui super tecto domus, ne descendat ad tollendum quid e domo*" XXIV: 17. Cum hoc, quod de veris et scientificis e memoria ablatis, inquirendum sit ex bono, ita se habet; bonum apud hominem est quod recipit omnia vera in se, nam bonum quale suum a veris habet, et quantum vera in se habent bonum, et quoque circum se, tantum vera vivunt; se habet hoc sicut cum fibra aut cum vase in vivo animali, quantum fibra in se habet spiritum, et quantum vas in se habet sanguinem, tantum vivunt; pariter quantum vas sanguineum circum se habet fibras in quibus spiritus; simile est cum vero et bono, verum absque bono est sicut fibra absque spiritu, et sicut vena aut arteria absque sanguine; quae qualia sunt, quisque potest comprehendere, quod nempe absque vita, ita absque usu in vivo animali; similiter se habet cum fide absque charitate; quia bonum habet quale, ut dictum est, a veris, etiam bonum habet formam ab illis, nam ubi forma ibi est quale, et ubi non forma, ibi nec quale, se habet hoc etiam similiter sicut spiritus et sanguis in vivo animali; spiritus per fibras accipit determinationes suas, ita formam, pariter sanguis per vasa. Inde patet quod verum absque bono non vitam habeat, et quod bonum absque vero non quale, consequenter quod fides absque charitate non sit fides viva; per fidem hic intelligitur fides veri, et per charitatem vita boni. Ex his constare potest, quomodo intelligendum sit, quod vera et scientifica ablata inquirenda sint ex bono; nempe cum homo in bono est, hoc est, in affectione bonum faciendi, quod tunc veniat in recordationem omnium verorum, quae intraverunt bonum; at cum e bono deflectit, quod tunc disparentur vera, nam falsum mali est quod illa sicut furto aufert; sed disparata vera rursus in recordationem veniunt cum homo in affectionem boni aut veri per vitam redit. Quod ita sit, quisque qui reflectit, per experientiam in se et apud alios scire potest. Inde patet, quid sit inquirere vera et scientifica e memoria seu e mente hominis ablata ex bono.

9155. Annon miserit manum suam in opus socii sui, quod significet num in illud intraverit, constat ex significatione annon miserit manum suam, quod sit num bonum sui juris ac potentiae fecerit; et ex significatione in opus socii, quod sit verum

ac scientificum, quae ablata; argentum enim et vasa ad custodiendum data, et furto ablata, sunt quae vocantur opus socii; quod argentum et vasa sint vera et scientifica, videatur supra n: 9149; inde patet, quod per annon dominus domus miserit manum suam in opus socii, significetur num bonum sui juris ac potentiae fecerit vera et scientifica, quae ablata sunt; ita num haec intraverint prius in bonum, secundum illa quae nunc supra n: 9154 ostensa sunt; quod manus sit potentia, videatur n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5296. 6292. 7188. 7189. 7518. 7673. 8153; quod in manu, sit, quod est apud aliquem et in aliquo, n: 9133.

9156. Super omni verbo praevaricationis, quod significet quodcunque damnum ac quamcunque jacturam, constat ex significatione praevaricationis, quod sit omne quod contra verum fidei, ita quod laedit aut exstinguit illud, proinde quodcunque damnum et quamcunque jacturam ejus. In Verbo mala nunc vocantur peccata, nunc iniquitates, et nunc praevaricationes, sed quid in specie per has et per illa intelligitur, non patet nisi ex sensu interno; *praevaricationes* dicuntur quae fiunt contra vera fidei, *iniquitates* quae fiunt contra bona fidei, *peccata* quae fiunt contra bona charitatis et amoris; priora bina egrediuntur ex perverso intellectu, haec autem ex prava voluntate; ut apud Davidem „Lava me *ab iniquitate mea*, et *a peccato meo munda me; nam praevaricationes meas agnosco*, et *peccatum meum* coram te jugiter" Psalm: LI: 4. 5; iniquitas pro malo contra bona fidei, peccatum pro malo contra bona charitatis et amoris, et praevaricatio pro malo contra vera fidei; haec quia est malum egrediens ex perverso intellectu, et sic ex veris fidei cognoscitur, ideo dicitur, praevaricationes meas agnosco. Apud Eundem „Memento misericordiarum tuarum Jehovah, et miserationum tuarum, *peccatorum pueritiae meae*, et *praevaricationum mearum* ne memineris" Psalm: XXV: 6. 7; peccata pro malis ex prava voluntate, et praevaricationes pro malis ex perverso intellectu. Apud Esaiam „Ecce *ob iniquitates* venditi estis, et *ob praevaricationes* dimissa est mater vestra" L: 1; iniquitates pro malis contra bona, et praevaricationes pro malis contra vera fidei Ecclesiae; mater est Ecclesia, quae dimissa dicitur cum discedit a fide. Apud Micham „Propter *praevaricatio-*

nem Jacobi omne hoc, et *propter peccatum domus Israëlis;* quid *praevaricatio Jacobi*, nonne Samaria; *principium peccati* haec filiae Zionis, quia in te inventae sunt *praevaricationes Israëlis* » I: 5. 13, [40] hic similiter peccatum quod contra bonum charitatis et amoris, et praevaricatio quod contra verum fidei; Samaria enim est perversae fidei Ecclesia, pariter his Israël. Quia praevaricationes sunt quae contra vera fidei, etiam sunt transgressiones et defectiones, quae quoque in Lingua originali per eandem vocem significantur; ut patet apud Davidem « *Propter multitudinem praevaricationum eorum* impelle eos, qui rebellant contra Te » Psalm: V: 11, rebellare dicitur cum defectio et transgressio; et apud Esaiam « Nonne vos *nati praevaricationis*, semen mendacii; qui incaluistis in diis [41] sub omni arbore viridi, qui mactatis natos in fluviis » LVII: 4. 5, quod praevaricatio sit malum contra vera fidei, manifeste ex his patet; nati praevaricationis sunt falsa quae destruunt vera fidei, ideo quoque vocantur semen mendacii, mendacium enim est falsum, n: 8908; et ideo dicitur de illis, quod incalescunt in diis sub omni arbore viridi, per quae in sensu interno intelligitur cultus ex falsis, dii enim sunt falsa, n: 4402 fin: 4544. 7873. 8867, arbor viridis est perceptivum falsi ex perverso intellectu, n: 2722. 4552; et ideo quoque dicitur, mactatis natos in fluviis, per quae intelligitur exstinctio verorum fidei ex falsis; mactare enim est exstinguere, nati seu filii sunt vera fidei, n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2813. 3373; et fluvii sunt falsa, n: 6693.

9157. Super bove, super asino, super pecude, quod significet boni et veri exterioris et interioris, nempe damnum aut jacturam, constat ex significatione bovis et asini, quod sit bonum et verum exterius, et ex significatione pecudis, quod sit verum et bonum interius, de quibus supra n: 9135.

9158. Super veste, quod significet veri sensualis, constat ex significatione vestis, quod sit verum, de qua n: 4545. 4763. 5319. 5954. 6914. 6917; in genere est vestis verum exterius seu inferius, quod tegit interiora seu superiora, n: 297. 2576. 5248. 6918; hic itaque verum sensuale, nam hoc est extremum seu infimum, n: 5081. 5125. 5767. 6564. 6614. Quod vestes sint vera, ducit originem ex repraesentativis in altera vita,

spiritus enim et angeli apparent omnes vestibus induti secundum vera fidei apud illos, n: 165. 5248. 5954.

9159. Super omni perdito, quod dixerit quod hoc illud, quod significet omne ambiguum, constat ex significatione perditi, quod sit omne cui damnum aut jactura; et ex significatione quod dixerit quod hoc illud, quod sit ambiguum, nam quod dicitur hoc illud, est num sit ita vel non ita, et quod ideo sub disquisitionem et dijudicationem venit.

9160. Usque ad Deum veniet verbum amborum [42] illorum, quem condemnaverint Deus, quod significet inquisitionem et dijudicationem per verum, constat ex significatione usque ad Deum veniet verbum, quod sit disquisitio per verum, de qua sequitur; et ex significatione condemnare, quod sit dijudicatio et adjudicatio poenae ei qui praevaricatus est. Quod usque ad Deum veniet verbum, significet inquisitionem per verum, est quia ad Deum est ad judices, qui ex vero de illa re inquisituri erant; ideo etiam dicitur, quem condemnaverint Deus, in plurali; Deus etiam in Lingua originali dicitur El in singulari, sed frequentius Elohim in plurali, ex eo quia Divinum Verum procedens a Domino in Coelo inter angelos multifariam divisum est, nam quot angeli sunt, tot recipientes Veri Divini sunt, quisque suo modo, n: 3241. 3744. 3745. 3746. 3986. 4149. 5598. 7236. 7833. 7836; inde est, quod Angeli dicantur dii, n: 4295. 4402. 7268. 7873. 8301; et quoque judices, quia hi non ex semet sed ex Domino judicaturi erant, etiam judicabant ex Lege Moschis, ita ex Verbo quod ex Domino; etiam hodie judicatur ex Domino, cum secundum vera ex conscientia. Dominus vocatur Deus in Verbo ex Divino Vero quod procedit ab Ipso, et Jehovah ex Divino Bono, n: 4402. 6303. 6905. 7268. 8988; inde est, quod ubi in Verbo agitur de bono, dicatur Jehovah, et ubi de Vero Deus, n: 2586. 2769. 2807. 2822. 3921 fin: 4402. 7268. 8988; et quod sic Deus sit Verum, n: 4287. 7010. 7268. Ex his nunc patet, quid significatur per „si non deprehensus fur, adducetur dominus domus *ad Deum*" Vers: 7, et hic „usque *ad Deum* veniet verbum amborum [42] illorum, quem *condemnaverint Deus*, rependet:" tum quid per Deum in sequentibus his locis „Aharon loquetur tibi ad populum, et fiet, ille erit tibi ad os, et *tu eris illi ad Deum*" Exod:

IV: 16, quod Mosche sit Divinum Verum seu Lex, et ad os doctrina inde, quam Aharon repraesentabat, videatur n: 7010; tum „Dixit Jehovah ad Moschen, vide, *dedi te Deum Pharaoni*, et Aharon frater tuus erit propheta tuus" Exod: VII: 1, n: 7268; et in Libro I Samuelis „Olim in Israële ita dixit vir, quando ivit *ad quaerendum Deum*, ite, et abibimus ad Videntem, nam propheta hodie dicitur, dicebatur olim Videns" IX: 9, Videns et propheta est Verum Divinum, et inde Doctrina veri et boni, n: 2534. 7269.

9161. Rependet duplum socio suo, quod significet emendationem ad plenum, constat ex significatione rependere, quod sit emendatio, de qua n: 9097; et ex significatione dupli, quod sit ad plenum, de qua n: 9103.

9162. Quando dederit vir socio suo asinum vel bovem vel pecudem, vel omnem bestiam ad custodiendum, quod significet verum et bonum exterius et interius, ac omne quod est affectionis illorum, in memoria, constat ex significatione asini, bovis et pecudis, quod sit verum exterius et interius, de qua supra n: 9135; ex significatione bestiae, quod sit affectio boni ac veri, de qua n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 716. 719. 1823. 2179. 2180. 2781. 3218. 3519. 5198. 7424. [43] 7523. 9090; et ex significatione dari ad custodiendum, quod sit reponi ac teneri in memoria, de qua supra n: 9149; quod vir socius non sit unus et alter, sed duo in uno, n: 9149.

9163. Et moriatur aut frangatur, quod sit jactura vel damnum, constat ex significatione mori, quod sit exstinctio ac jactura; et ex significatione frangi, quod sit damnum; fractura et frangi in Verbo significat dissipationem, et quoque damnum; hoc trahit originem ex spirituali mundo, ubi omnia et singula conjuncta sunt secundum receptionem Veri Divini a Domino, ita secundum receptionem ordinis, qui omnibus et singulis inducitur per Verum Divinum quod procedit a Domino, n: 8700. 8988; inde est, quod vera apud hominem nexum inter se habeant secundum receptionem illorum in bono; vera, quae ita connexa sunt, unum faciunt; quapropter cum illa franguntur in communi, dissipantur vera cum bono, et cum franguntur in particulari, dissipantur vera quae ibi; nam cum in nexu sunt, subsistit unum ab altero, at cum franguntur, recedit unum ab

altero; inde est, quod per frangi in Verbo significetur dissipatio, sicut etiam per dividi, n: 9093; et quoque damnum; dissipatio nempe cum totum frangitur, et damnum cum pars; ut patet ab his locis in Verbo, apud Esaiam „Impingent inter illos multi, et cadent, *et frangentur*" VIII: 15. Cap: XXVIII: 13, [44] impingere pro scandalizari, et inde ex veris in falsa labi, cadere et frangi pro dissipari, hic in communi. Apud Ezechielem „Ecce Ego contra Pharaonem regem Aegypti, *frangam brachia ejus*, validum et *fractum*" XXX: 22, Pharao rex Aegypti pro scientificis quae pervertunt et destruunt vera et bona fidei, n: 6651. 6679. 6683. 6692; frangere brachia, pro dissipare vires eorum, ita illa, n: 4932; validum et fractum pro illa quae non damnum passa ac resistunt, et illa quae [45] damnum passa et non resistunt. Apud Lucam „Scriptum est, Lapis, quem rejecerunt architecti, factus est in caput anguli, *quicunque ceciderit super illum lapidem, frangetur*, et super quem ceciderit, [eum] comminuet" XX: 17. 18, Lapis pro Domino quoad Divinum Verum, n: 6426; frangi, quia de veris quae ab Ipso, pro dissipari, ita destrui, et cum veris, illa quae vitae spiritualis sunt, quod fit apud illos qui negant [46] Dominum, et reprobant vera quae ab Ipso, qui sunt qui rejiciunt Lapidem. Apud Jeremiam „Adduc super eos diem mali, *geminata fractione frange*" XVII: 18, geminata fractione frangere, pro prorsus destruere. Apud Esaiam „Disposui me usque ad matutam, sicut leo, *ita frangit omnia ossa mea*, a die usque ad noctem consummabis me" XXXVIII: 13: apud Jeremiam „Inveteravit carnem meam, et cutem meam, et *fregit ossa mea*" Thren: III: 4; [47] apud Moschen „Non efferes e domo de carne agni Paschalis, *neque os frangetis in eo*" Exod: XII: 46, frangere ossa est destruere vera a Divino quae sunt ultima in ordine, quibus innituntur et a quibus suffulciuntur vera et bona interiora, quae si destruuntur, etiam cadunt illa quae superinstructa sunt; vera ultima in ordine sunt vera sensus literae Verbi, in quibus sunt vera sensus interni, et quibus haec innituntur sicut columnae suis stylobatis; quod ossa sint vera, videatur n: 3812. 6592. 8005; ex his patet, quid repraesentatum et significatum est per illa de Domino apud Johannem „Venerunt ad Jesum, cum viderent Illum mortuum, *non fregerunt Illius crura;* quod factum est, ut Scri-

ptura impleretur, *Os non frangetis Illius*" XIX: [33.] 36; causa erat, quia Ipse erat Ipsum Divinum Verum tam in primo quam in ultimo ordinis. Apud Esaiam „Obligabit Jehovah *fracturam populi sui*, et vulnus plagae ejus sanabit" XXX: 26. Apud Jeremiam „Propheta usque ad Sacerdotem quisque facit mendacium, et *sanant fracturam populi mei* per nullius ponderis rem" VI: 13. 14. Apud Eundem „*Super fracturam populi mei fractus sum*, atratus sum" VIII: 21. Apud Davidem „Tremefecisti terram, *confregisti*, *sana fracturas ejus*" Psalm: LX: 4. Apud Sachariam „Ego excitabo pastorem in terra, *fractam* [48] *non sanabit*, stantem non sustentabit" XI: 16. Apud Nahum „*Non cicatrix fracturae tuae*, desperata plaga tua" III: 19; in his locis fractura significat damnum veris et bonis fidei, ita Ecclesiae, illatum; sanare est emendare et restituere. Simile significatum est per quod „vir, cui *fractura pedis*, aut *fractura manus*, non accederet ad offerendum panem Dei" Levit: XXI: 17. 19; et per quod „*fractum* non offerretur Jehovae super altari" Levit: XXII: 22, fractum enim significabat destructum. Damnum etiam significatur per rupturam, ut apud Esaiam „*Rupturas domus Davidis* vidistis, quod plurimae sint" XXII: 9; et apud Amos „In die illo erigam tentorium Davidis collapsum, et *obsepiam rupturas ejus*, *destructa ejus* restituam, et aedificabo ea juxta dies aeternitatis" IX: 11, [49] domus Davidis et tentorium Davidis pro Ecclesia Domini, David enim in Verbo Prophetico est Dominus, n: 1888.

9164. Vel captivum abducatur, quod significet remotionem, constat ex significatione captivum abduci, cum de bono et vero apud hominem praedicatur, quod sit remotio; cum hoc ita se habet; cum homo in vero ex bono est, tunc Verum quod maximae fidei est, in medio est, et abinde succedunt vera quae minoris fidei sunt, et tandem quae dubiae; in terminis circum illa sunt falsa, quae tamen non in serie sunt cum veris, nec stant erecta ad coelum sicut vera boni, sed flexa deorsum, et spectant infernum quantum a malo exeunt; cum autem falsum loco veri subit, tunc invertitur ordo, et abeunt vera ad latera, et faciunt circuitus, et falsa mali occupant medium: inde patet, quid per remotionem intelligitur, de qua etiam videatur n: 3436. 6084. 6103; quod remotio talis per captivum abduci si-

gnificetur, est quia falsa, cum captivant vera, eo modo abducunt illa; talia etiam per captivari aut captivum abduci, significantur apud Jeremiam „Omnes pastores tuos pascet ventus, et *amasii tui in captivitatem abducentur*" XXII: 22. Apud Eundem „Vae tibi Moabe, periit populus Kemoschi, *nam abducti sunt filii tui in captivitatem, et filiae tuae in captivitatem: reducam tamen captivitatem Moabi* in extremitate dierum" XLVIII: 46. 47; [50] filii, qui abducti in captivitatem, sunt vera, et filiae bona. Et apud Lucam „Cadent ore gladii, et *captivabuntur inter omnes gentes*, et tandem Hierosolyma erit conculcata a gentibus" XXI: 24, ibi de consummatione saeculi, quae est ultimum tempus Ecclesiae; cadere ore gladii est perire per falsa, gladius enim est falsum pugnans contra verum, n: 2799. 4499. [51] 6353. 7102. 8294; gentes, inter quas captivabuntur, et a quibus conculcabitur Ecclesia, sunt mala ex quibus falsa, videatur n: 1259. 1260. 1849. 1868. 6306; et quod Hierosolyma, quae tunc erit conculcata, sit Ecclesia, n: 2117. 3654.

9165. Nemine vidente, quod significet de quo mens non conscit, constat ex significatione videre, quod sit intelligere, ut et fidem habere, de qua n: 2325. 2807. 3863. 3869. 4403 ad 4421. 5114. 5400; et quia intellectus est visus mentis, inde videre est quod mens conscit; hic quod mens non conscit, quia dicitur nemine vidente.

9166. Juramentum Jehovae erit inter ambos illos, quod significet inquisitionem per vera ex Verbo de omnibus et singulis illis, constat ex significatione juramenti, quod sit confirmatio per vera, de qua n: 2842. 3037. 3375, inde juramentum Jehovae, est per vera ex Verbo, nam ibi sunt vera Jehovae seu vera Divina; et ex significatione amborum illorum, quod sit in omnibus et singulis, nam inter ambos in sensu interno non significat inter duos, sed in omnibus et singulis, duo enim sunt conjunctio in unum, n: 1686. [52] 3519. 5194. 8423, ita est quicquid est in uno, seu omnia et singula ibi; quod per duo illa percipiantur in coelo, est causa, quia cum sermo est Angelis de duobus veris inter se discrepantibus, tunc sistuntur duo spiritus infra qui disceptant, qui sunt subjecta plurium societatum, apparent omnia et singula quae unius veri sunt apud unum spiritum, et omnia et singula quae alterius veri apud alterum, inde

percipitur quomodo illa conjungi possunt; quod ita sit, ab experientia scire datum est; inde est, quod per duo etiam significetur plenum, n: 9103. Quod licitum fuerit apud Gentem Israëliticam et Judaicam jurare per Jehovam, erat quia non interni sed externi homines fuerunt, et cum in cultu Divino in externo fuerunt absque interno; quod tales fuerint, videatur n: 4281. 4293. 4429. 4433. 4680. 4844. 4847. 4865. 4903. 6304. 8588. [53] 8788. 8806; confirmatio veri cum cadit in externum hominem separatum ab interno fit per juramentum; aliter cum cadit in externum per internum; in interno enim apparet verum in sua luce, at in externo absque interno apparet verum in tenebris: inde est, quod Angeli coelestes, qui in intimo seu tertio coelo sunt, quia in summa luce, ne quidem confirment vera per rationes, minus quod disceptent aut ratiocinentur de illis, sed solum dicant, *ita* aut *non*, causa est quia percipiunt et vident illa a Domino; inde est, quod Dominus ita de juramentis dixerit „*Audivistis quod dictum sit, non jurabis, solves vero Domino juramenta tua: Ego vero dico vobis, non jurabis omnino, neque per Coelum, quia thronus Dei est; neque per Terram, quia scabellum pedum Ipsius est; neque per Hierosolymam, quia urbs est magni Regis: neque jurabis per Caput tuum, quia non potes unum pilum album aut nigrum facere. Esto vero sermo vester ita ita, non non, quod ultra haec est, ex malo est*" Matth: V: 33 ad 37; haec involvunt, quod vera Divina confirmanda sint a Domino, et non ab homine, quod fit cum interni homines sunt et non externi; externi enim homines confirmant illa per juramenta; interni autem per rationes; qui adhuc interiores homines sunt, non confirmant illa, sed modo dicunt quod ita sit vel non ita sit; externi homines sunt qui vocantur naturales homines; interni qui vocantur spirituales homines; et adhuc interiores sunt qui vocantur coelestes homines; quod hi, nempe coelestes ex Domino percipiant num verum sit vel non sit, videatur n: 2708. 2715. 2718. 3246. 4448. 7877; ex his patet, quid involvit, quod Dominus dixerit, *non jurabis omnino;* tum, *esto sermo vester ita ita, non non:* sed explicabitur, cur etiam dicitur, quod non jurarent per coelum, nec per terram, nec per Hierosolymam, neque per caput; et quod sermo ultra ita ita, non non, ex malo

sit; *Jurare per Coelum* est per Divinum Verum, ita per Dominum ibi, nam Coelum non est coelum ex angelis in se spectatis, sed ex Divino Vero procedente a Domino, ita ex Domino, in illis, nam Divinum in illis facit ut sint et dicantur Angeli coeli; inde est, quod qui in coelo sunt, dicantur esse in Domino, tum quod Dominus sit omne in omnibus et singulis coeli, ut et quod angeli sint Vera Divina, quia recipientes Veri Divini a Domino; quod Coelum sit et dicatur coelum ex Divino Domini ibi, videatur n: 552. 3038. 8700; quod angeli sint vera Divina, n: 4295. 4402. 7268. 7873. 8301; [54] et quod aliquid Domini intelligatur per Angelum in Verbo, n: 1925. 2821. 3039. 4085. 4295. 6280: quia Coelum est Dominus quoad Divinum Verum, ideo dicitur non jurabis per coelum, quia thronus Dei est, nam Thronus Dei est Divinum Verum quod procedit a Domino, n: 5313. 6397. [55] 9039. *Jurare* autem *per terram,* est per Ecclesiam, ita per Divinum Verum ibi; nam sicut Coelum est Dominus ex Divino Vero quod procedit ab Ipso, ita quoque est Ecclesia, quoniam Ecclesia est Coelum Domini aut Regnum Ipsius in terris; quod Terra in Verbo sit Ecclesia, videatur n: 662. 1066. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 2928. 3355. 4535. 4447. 5577. 8011. 8732; et quia terra est Ecclesia, ubi Divinum Domini infra coelum est, ideo dicitur, non jurabis per terram, quia scabellum pedum Dei est; scabellum pedum est Verum Divinum infra Coelum, quale est Verbum in sensu literali, nam huic innititur et quasi insistit Verum Divinum in coelo, quod est Verbum in sensu interno; illud verum per scabellum pedum significatur apud Davidem Psalm: XCIX: 5. [56] Psalm: CXXXII: 7. apud Esaiam Cap: LX: 13. et apud Jeremiam in Lamentat: Cap: II: 1. *Jurare* autem *per Hierosolymam* est per doctrinam veri ex Verbo, nam Hierosolyma in sensu lato est Ecclesia, n: 2117. 3654; sed cum dicitur terra, quae est Ecclesia, et dein Hierosolyma, est Hierosolyma doctrina Ecclesiae, proinde doctrina Veri Divini ex Verbo; inde est quod dicatur Urbs magni Dei; per urbem enim in Verbo in sensu ejus interno significatur doctrina veri, videatur n: 402. 2449. [27] 2943. 3216. 4478. 4492. 4493. *Jurare* autem *per caput suum* est per verum quod ipse homo credit verum esse, et facit suae fidei, id enim apud hominem facit caput, et quoque significatur per

caput apud Esaiam Cap: XV: 2. Cap: XXIX: 10. apud Ezechielem Cap: VII: 18. Cap: XIII: 18. Cap: XVI: 12. Cap: XXIX: 18. apud Matthaeum Cap: VI: 17, et alibi; quare etiam dicitur, quia non potes unum pilum album aut nigrum facere, pilus enim est verum externi seu naturalis hominis, n: 3301, quale est illis qui in fide veri sunt non ex eo quod percipiant verum esse, sed ex eo quod doctrina Ecclesiae ita doceat; et quia id non aliunde sciant, dicitur quod non jurandum sit per id, quia non possunt pilum album aut nigrum facere; facere pilum album est dicere verum esse verum ex se, et facere pilum nigrum est dicere falsum esse falsum ex se; album enim praedicatur de vero, n: 3301. 3993. 4007. 5319, et inde nigrum de falso. Ex his nunc patet, quid intelligitur per quod omnino non jurandum sit, non per coelum, non per terram, non per Hierosolymam, neque per Caput suum, quod nempe non confirmandum sit Verum Divinum ab homine, sed a Domino apud hominem: idcirco ultimo dicitur „*Sermo vester erit ita ita, non non, quod ultra haec est, ex malo est;*" qui enim a Domino percipiunt et vident verum, illi non aliter confirmant illud; sicut faciunt Angeli intimi seu tertii coeli, qui Angeli Coelestes vocantur, de quibus supra: quod sermo ultra illa sit ex malo, est quia quod ultra est, non ex Domino est, sed ex proprio hominis, ita ex malo, nam proprium hominis non est nisi quam malum, videatur n: 210. 215. 874. 875. 876. 987. 1023. 1044. 1047. 3812 fin: 4328. 5660. 8941. 8944. Ex his iterum patet, quomodo Dominus loquutus est, quod nempe ut in omnibus et singulis sit sensus internus; quia loquutus est ex Divino; ita pro Angelis simul cum pro hominibus, nam Angeli Verbum secundum sensum ejus internum percipiunt.

9167. Annon miserit manum suam in opus socii sui, et sumserit Dominus ejus, quod significet conjunctionem sub bono, constat ex significatione annon miserit manum in opus socii sui, cum de vero et bono exteriori et interiori dicitur, quod sit num in bonum intraverint, de qua supra n: 9155, ita num sub bono conjuncta sint; quid sit conjunctio sub bono, videatur n: 9154; et ex significatione domini, quod sit bonum, de qua n: 9154; ita annon sumserit dominus ejus, est, num bonum illa per conjunctionem sua fecerit. Quod dominus sit bonum, est

quia bonum apud hominem spiritualem primo loco est, ac verum secundo, et quod primo loco est, hoc dominus est; secundum boni quale, etiam omnia vera disposita sunt apud hominem, sicut a domino domus. Inde est, quod per Dominum in Verbo intelligatur Dominus quoad Divinum Bonum; et per Deum, Regem, et Magistrum, Dominus quoad Divinum Verum; ut apud Moschen „Jehovah Deus vester, *Ipse Deus deorum, et Dominus dominorum*" Deut: X: 17; apud Johannem „Agnus vincet illos, quia *Dominus dominorum est, et Rex regum*" Apoc: XVII: 14. Apud Eundem „Habet super vestimento et super femore suo Nomen scriptum, *Rex regum*, et *Dominus dominorum*" XIX: 16; quod Dominus dicatur Deus quoad Divinum Verum, videatur n: 2586. 2769. 2807. 2822. 4402. 7268. 8988; et quoque quod dicatur Rex quoad Divinum Verum, n: 2015 fin: 3009. 3670. 4581. 4966. 5068. 6148; inde patet, quod Dominus dicatur Dominus quoad Divinum Bonum, nam ubi dicitur de Vero in Verbo etiam dicitur de Bono, n: 683. 793. 801. 2516. 2618. 2712. 2803. 3004. 4138 fin: 5138. 5502. 6343. 8339 fin: Apud Johannem „Vos vocatis Me *Magister* et *Dominus*, et recte dicitis, sum namque; Ego lavi pedes vestros *Dominus* et *Magister*" XIII: 13. 14; [57] Dominus etiam ibi dicitur Dominus ex Divino Bono, et Magister ex Divino Vero. Apud Malachiam „Subito veniet ad Templum suum *Dominus*, quem vos quaeritis, et *Angelus foederis*, quem vos desideratis" III: 1, ibi de adventu Domini, ubi Dominus dicitur ex Divino Bono, et Angelus ex Divino Vero, n: 1925. 2821. 3039. 4085. 4295. 6280. Inde est quod in Veteri Testamento tam frequenter dicatur *Dominus Jehovih*, et hoc cum supplicatur, per quod significatur Bone Jehovah, n: 1793. 2921; et quod in Novo Testamento *Dominus* dicatur pro Jehovah, n: 2921. Ex his quoque sciri potest, quid intelligitur per haec apud Matthaeum „Nemo potest *duobus dominis* servire; nam aut unum odio habebit, et alterum amabit" VI: 24; duo domini sunt bonum et malum; homo enim sive in bono erit sive in malo, in utroque simul esse non potest; in pluribus veris potest esse, sed quae ordinata sunt sub uno bono; bonum enim facit coelum apud hominem, malum autem infernum; sive erit in Coelo sive in inferno, non in utroque, nec

inter utrumque. Inde nunc patet quid in Verbo intelligitur per Dominum.

9168. Et non rependet, quod significet quod non damnum, constat ex significatione rependere, quod sit emendatio et quoque restitutio, de qua n: 9087. 9097; inde non rependere, est non restitutio ac non emendatio, quia non damnum.

9169. Et furando furto ablatum fuerit, quod significet si jactura, constat ex significatione furti, quod sit ablatio boni et veri, de qua n: 9125; ita jactura.

9170. Rependet Domino ejus, quod significet restitutionem pro illo, constat ex significatione rependere, quod sit restitutio, de qua n: 9087; et ex significatione domini, quod sit bonum, de qua mox supra, n: 9167; ita per rependet domino ejus significatur restitutio veri bono pro illo quod ablatum est.

9171. Si discerpendo discerptum fuerit, quod significet si damnum non ex culpa, constat ex significatione discerpti, quod sit damnum illatum a falsis quae a malo absque sua culpa, de qua n: 4171. 5828.

9172. Adducet [58] illi testem, quod significet confirmatum id, constat ex significatione testis, quod sit confirmatio, de qua n: 4197.

9173. Discerptum non rependet, quod significet non poenam, nempe pro damno absque culpa, constat ex significatione discerpti, quod sit damnum absque culpa, ut mox supra n: 9171; et ex significatione rependere, quod sit poena, de qua n: 9102; hic non poena, quia dicitur non rependet.

9174. Et quando commodato petiverit vir ex socio suo, quod significet verum ex alia prosapia, constat ex significatione commodato petere, quod sit accipere verum aliunde quam ex se, ita verum ex alia prosapia; quod commodato seu mutuo petere id significet, est quia in spirituali mundo non alia bona sunt, quae petuntur ab aliis, et quae dantur, quam quae sunt intelligentiae et sapientiae: sunt quidem plura alia quae ad visum exstant, imo innumerabilia, sed illa sunt apparentiae ex illis quae intelligentiae et sapientiae sunt; inde patet, quod commodato petere, sit instrui ab alio, et sic accipere vera seu cognitiones veri et boni aliunde quam ex se; sed quomodo cum hoc se habet, ulterius explicabitur; homo dicitur accipere vera a se,

cum concludit illa ex veris quae apud se sunt; haec tunc conjungit prioribus; sed cum hoc facit, non alia vera admittit, quam quae concordant sub eodem bono; bonum enim est quod disponit vera in series, et connectit illa; bonum est sicut anima in homine, et vera sunt sicut illa quibus anima se induit, et per quae agit; quod omnia et singula in homine ex anima ejus vivant, notum est, ita quoque vera quae fidei sunt ex bono quod amoris in Dominum et amoris erga proximum; si non id bonum anima hominis est, sed bonum amoris sui aut amoris mundi, tunc homo non est homo, sed fera; et quoque in altera vita in luce coeli apparet sicut fera, tametsi in sua luce, quae ad lucem coeli fit caligo, ut homo. Sed intelligendum est, quod Dominus disponat vera secundum bonum vitae hominis. Homo autem dicitur accipere vera aliunde, cum instruitur ab alio; quae si non concordant sub bono, in quo est, quidem reponuntur in ejus memoria inter scientifica, sed non fiunt ejus, hoc est, ejus fidei, quia ex alia prosapia; haec vera sunt, de quibus in hoc Versu et in sequenti, agitur. In Verbo ubi dicitur mutuo petere et mutuo dare, significatur instrui ac instruere ex affectione charitatis; ut apud Matthaeum „Omni a te petenti, dato, *et cupientem mutuum accipere a te, ne averseris*" V: 42; quod hic per petere non intellectum sit petere, patet, nam dicitur omni petenti dato, ita nec per mutuum cupere et accipere; nam si omni petenti daretur, et quoque omni cupienti mutuum accipere, homo privaretur omnibus suis bonis; sed quia Dominus ex Divino loquutus est, per petere et cupere mutuum, et per dare et accipere mutuum intellecta est communicatio bonorum coelestium, quae sunt cognitionum boni et veri; nam cum hac communicatione ita se habet, quo plus angelus dat alteri ex affectione charitatis, eo plus ex communi e coelo, hoc est, ex Domino, apud illum influit, n: 6478; ita per dare petenti angelus non privatur sed locupletatur bonis; similiter quoque homo, cum bonum facit alteri ex affectione charitatis; sed charitas est dare bonis, et non charitas dare malis quae petunt et cupiunt, [59] n: 8120; secundum haec apud Davidem „*Mutuo petit* impius, sed non restituit; justus autem miseretur et dat" Psalm: XXXVII: 21. Apud Lucam „*Si mutuo datis illis*, a quibus speratis recipere, quae vobis gratia est; potius amate inimicos

vestros, et benefacite, atque mutuo [60] date, nihil inde sperantes; tunc erit merces vestra magna; et eritis filii Altissimi» VI: 34. 35; hic quoque per mutuum dare intelligitur bonum facere ex affectione charitatis, ita communicare bona coeli, et quoque bona mundi, sed haec propter illa ut finem; affectio charitatis est communicare bona absque fine remunerationis, at non affectio charitatis est communicare bona propter remunerationem ut finem, videatur n: 2373. 2400. 3816. 3956. 4943. 6388. 6389. 6390. 6392. 6393. 6478. 8002; amare inimicos, et benefacere malis, est affectio charitatis, sed inimici amantur et illis benefit, cum instruuntur, et quoque cum per convenientia media emendantur, n: 8121. Exercitium charitatis etiam per mutuum dare significatur apud Moschen „Si obediveris voci Jehovae, et custodiveris ad faciendum praecepta Ipsius, *mutuo dabis populis multis, tu autem mutuo non petes*» Deut: XXVIII: 12, mutuo dare populis multis, est abundare bonis intelligentiae et sapientiae, et ex abundantia communicare, et non aliorum indigere, quia omnia ei a Domino dantur. Apud Davidem „Bonus vir *qui miseretur* et *mutuo dat*, sustinebit verba sua in judicio, nam in aeternum non dimovebitur» Psalm: CXII: 5; per misereri et mutuo dare describitur ita status illorum, qui in genuina charitate sunt: similiter Psalm: XXXVII: 21: praeter etiam alibi.

9175. Et frangatur vel moriatur, quod significet damnum ei vel exstinctionem, constat ex significatione frangi, quod sit damnum, de qua n: 9163; et ex significatione mori, quod sit exstinctio.

9176. Dominus ejus haud cum illo, quod significet si bonum illius veri non simul in communi, constat ex significatione domini, quod sit bonum, de qua n: 9167; et ex significatione haud cum illo, quod sit non simul in communi. Quomodo cum hoc se habet, constare potest ex illis, quae de veris in bono supra n: 9154, ostensa sunt, quod nempe omnia vera in communi disposita sint sub bono; agitur autem hic de veris commodatis, hoc est, ab alio receptis, videatur n: 9174; haec vera vel secum habent suum bonum, vel non habent; quae secum habent suum bonum, sunt quae, cum audiuntur, afficiunt, at quae non habent, sunt quae tunc non afficiunt; vera quae secum

habent suum bonum, intelliguntur per commodata, quae [non] franguntur aut moriuntur, si dominus cum illis; at vera quae non secum habent suum bonum, intelliguntur per commodata, quae franguntur aut moriuntur, si dominus haud cum illis: Vera haec quidem describi possunt, sed non ad captum, nisi illorum, qui in luce coeli a Domino sunt; caeteri, qui solum ex luce mundi, hoc est, ex lumine naturali, vident, quia in caligine sunt quoad coelestia, illa non comprehensuri erunt; et si viderentur sibi comprehendere, foret usque ex fallaciis et ex materialibus, quae plus obscurant et involvunt umbris, quam illustrant; satis est scire, quod agatur de Veris fidei conjunctis suo bono et non conjunctis; vera non conjuncta, sunt quae ab aliis discuntur, et non penitius intrant quam in memoriam, et ibi manent ut scientifica, et non percipiuntur inter vera, quae ordinata sunt in communi sub bono. Ex his aliquantisper sciri potest, in qualibus consistit sapientia Angelica, nam angeli non modo comprehendunt quomodo cum his se habet, sed etiam simul innumerabilia de illis, ita quae homo ne quidem scit quod sint, minus quid sunt; sunt enim angeli in luce coeli, et lux coeli infinita in se habet; nam lux coeli est Divinum Verum procedens a Domino.

9177. Rependendo rependet, quod significet restitutionem, constat ex significatione rependere, quod sit restitutio, de qua n: 9087.

9178. Si dominus [61] cum illo, non rependet, quod significet si bonum veri [62] simul, quod non restitutio, constat ex significatione si dominus [haud] cum illo, quod sit si bonum veri [non] simul, de qua supra n: 9176; et ex significatione rependere, quod sit restitutio, ut nunc supra n: 9177, [63] ita non rependere est non restitutio.

9179. Si mercenarius cum illo, quod significet si propter bonum lucri, constat ex significatione mercenarii, quod sit qui bonum facit propter bonum lucri aut propter mercedem, de qua n: 8002, ita in sensu abstracto est bonum lucri seu merces.

9180. Veniet in mercede sua, quod significet submissionem et servitium, constat ex significatione venire in mercede, quod sit se submittere et servire. Cum hoc ita se habet; qui ex Verbo, aut ex doctrina Ecclesiae, aut quoque ex aliis quibus-

cunque, imo qui a semet ipsis per conclusiones, discunt et hauriunt vera, lucri causa, hoc est, ut lucrentur honores aut opes, aut quoque ut mereantur coelum, illi sunt qui in sensu interno intelliguntur per mercenarios qui venient in mercede sua, hoc est, qui se submittent et servient; lucra enim erunt ultimo loco homini Ecclesiae, non primo; cum ultimo loco sunt, tunc servi sunt, at si primo, domini sunt: qui primo loco spectat lucra, is inversus homo est, et quoque repraesentatur ut inversus in altera vita, capite in inferno; at qui primo loco spectat charitatem et fidem, ita Dominum et proximum, is erectus homo est, et quoque sistitur erectus in altera vita, capite in coelo; inde patet, quid intelligitur per bonum quod fit lucri causa, et quod id submittetur et serviet, quae significantur per si mercenarius cum illo, quod venturus in mercede sua.

9181. Vers: 15 ad 16. *Quando persuaserit vir virgini, quae non desponsata, et cubuerit cum illa, dotando dotabit illam sibi in mulierem. Si renuendo renuerit pater ejus ad dandum eam illi, argentum pendet secundum dotem virginum.* Si quando persuaserit [64] vir virgini, quae non desponsata, significat bonum non conjunctum vero; et cubuerit cum illa, significat illegitimam conjunctionem; dotando dotabit illam sibi in mulierem, significat tesseram consensus ad conjunctionem legitimam; si renuendo renuerit pater ad dandum eam illi, significat si bonum interius non admittit conjunctionem; argentum pendet secundum dotem virginum, significat verum aliud consentiens loco ejus.

9182. Si quando persuaserit vir virgini, quae non desponsata, quod significet bonum non conjunctum vero, constat ex significatione persuadere, cum de viro et virgine dicitur, quod sit allicere ad conjunctionem; ex significatione viri, quod sit verum, de qua n: 3134. 7716. 9007; ex significatione virginis, quod sit Ecclesia quoad bonum, de qua n: 3081. 4638; ita bonum quod Ecclesia; et ex significatione desponsari, quod sit conjunctio. Paucis hic dicetur, unde Lex de illegitima conjunctione, de qua nunc agitur, causam et originem ducit: omnes leges latae filiis Israëlis in coelo habent suam causam, et ex legibus ordinis ibi trahunt originem; leges ordinis in coelo sunt omnes ex Divino Vero et Bono quae procedunt a Domino, inde

sunt leges boni amoris et veri fidei; conjunctio boni et veri in coelo vocatur conjugium coeleste; et hoc repraesentatur in conjugiis in terra, et quoque per conjugia in Verbo significatur; inde patet, quid involvunt conjunctiones illegitimae, et quoque quid scortationes et adulteria; in his binis Versibus agitur de illegitima conjunctione, quae dein vel fit legitima, vel solvitur; de illegitima conjunctione quae dein fit legitima, agitur in hoc Versu; et de illegitima conjunctione quae dein solvitur, agitur in Versu sequente. Illegitima conjunctio est, quae fit non ex affectione conjugiali, sed ex quacunque alia affectione, ut ex affectione pulchritudinis, ex affectione lucri, ex affectione dignitatis personae, et quoque quae fit ex lascivia: hae conjunctiones sunt illegitimae in principio, ex causa quia externa sunt quae conjungunt, et non simul interna: sed usque potest ex illis ut mediis postea fieri conjunctio legitima, quae fit cum conjunguntur animi; et quoque potest ex illis postea fieri nulla conjunctio, quod fit cum disjunguntur animi; quod ita sit, in mundo communiter notum est. Conjunctio legitima, quae est animorum, fit cum ambo simili bono et vero sunt, nam bonum et verum faciunt vitam hominis, bonum et verum morale et civile vitam externi hominis, et bonum et verum spirituale vitam interni hominis; sciendum, quod vita hominis non aliunde sit, quam ex bono et vero, nam bonum dicitur omne id quod homo amat, et verum omne id quod homo credit; seu quod idem, bonum dicitur omne id quod homo vult, et verum omne id quod homo intelligit; inde patet, quod legitima conjunctio fit, cum unus conjugum in vero est, et altera in correspondente bono; sic enim in binis illis repraesentatur conjugium coeleste, quod est boni et veri: inde est; quod amor conjugialis ex illo conjugio descendat, videatur n: 2727 ad 2759. 2803. 3132. 4434. 4835. [65] Ex his ut praemissis sciri potest, quomodo se habet cum conjunctionibus, de quibus in hoc et in sequenti Versu agitur. Desponsationes ante conjugia ab Antiquis temporibus usu receptae fuerunt, et repraesentabant conjunctionem primam, quae est Interni hominis absque Externo, ipsa dein conjugia repraesentabant conjunctionem alteram, quae est Interni hominis cum Externo; nam cum regeneratur homo per bona et vera fidei, primum regeneratur Internus homo, et postea Externus, quia

hic ab illo, n: 3286. 3321. 3493. 3882. 8746. Ex his patet, quid per desponsationem et per desponsari, et quoque quid per sponsum et sponsam, in Verbo significatur, quod nempe per desponsationem conjunctio veri et boni in Interno homine; ac per sponsum, ubi de Domino et de Ecclesia, bonum, ac per sponsam Verum; ut in sequentibus locis; apud Jeremiam „ Recordatus sum tibi misericordiam juventutis tuae, *amorem desponsationum tuarum*, cum ivisti post Me, in deserto, in terra non consita " II: 2, ibi de Ecclesia Antiqua, et de ejus instauratione a Domino; amor desponsationum est affectio vitae spiritualis, quae ex veris fidei et bono amoris est, status desiderii, cum adhuc in ignorantia et defectu illorum fuerunt, significatur per ire post Me in deserto et in terra non consita. Apud Hoscheam „ Feriam illis foedus in die illo cum fera agri, et cum ave coelorum, et reptili terrae; et arcum et gladium et bellum frangam, et *desponsabo te Mihi* in justitia et in judicio, et in misericordia et in miserationibus " II: 18. 19; [66] agitur ibi de instauratione Ecclesiae novae; ferire foedus cum fera agri, cum ave et cum reptili terrae, est conjunctio Domini per bonum et verum internum et externum apud hominem; foedus est conjunctio, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. [67] 2003. 2021. 6804. 8767. 8778; fera agri est vita ex bono, n: 841. 908; avis est vita veri, n: 40. 745. 776. 991. 3219. 5149. 7441; reptile terrae sunt bona et vera externi et sensualis hominis, n: 746. 909; frangere arcum, gladium, et bellum, est destruere doctrinam et vires falsi, arcus est doctrina falsi, n: 2686. 2709; gladius est falsum pugnans contra verum, n: 2799. 4499. 6353. 7102; bellum est ipsa pugna, seu pugna spiritualis, n: 1664. 2686. 8273, frangere illa est destruere; desponsare in justitia et in judicio, est conjungi Domino in bono et vero, desponsare est sibi conjungere, justitia praedicatur de bono et judicium de vero, n: 2235; desponsare in misericordia et in miserationibus, est ex amore erga illos qui in bono sunt, et in amore erga illos qui in veris; misericordia Domini praedicatur erga illos qui in deficientia et tamen in desiderio boni, et miserationes erga illos qui in ignorantia et tamen in desiderio veri; ex his patet, quod desponsatio sit conjunctio boni et veri apud hominem a Domino; quisque videre potest, quod talia ibi

significentur, nam coram perceptione solum ex naturali lumine patet, quod Jehovah non feriat foedus cum fera agri, cum ave, ac cum reptili terrae, sed cum illis qui in bono et vero fidei sunt, ita cum bono et vero apud hominem, proinde quod talia in prophetico illo lateant. Apud Malachiam „Perfide egit Jehudah, quia prophanavit sanctitatem Jehovae, quia amavit et *desponsavit sibi filiam dei alieni*" II: 11, desponsare filiam dei alieni, est conjungi malo falsi, deus alienus est falsum, n: 4402 fin: 4544. 7873. Quod sponsus, ubi agitur de Domino et de Ecclesia, sit bonum, et sponsa verum, apud Esaiam „Jehovah induit me vestibus salutis, amiculo justitiae texit me, *sponsus imponit cidarim*, et sicut *sponsa ornat se vasis suis*" LXI: 10; apud Johannem „Vidi urbem sanctam Hierosolymam descendentem a Deo e coelo, *paratam sicut sponsam ornatam marito*" Apoc: XXI: 1. 2. Apud Eundem „Dixit Angelus, veni, *ostendam tibi sponsam Agni uxorem*" Apoc: XXI: 9. 10; [68] ibi sponsa pro Ecclesia. Apud Matthaeum „Jesus dixit ad discipulos Johannis, num possunt filii nuptiarum lugere, *quamdiu cum illis est sponsus;* venient autem dies, quando auferetur *ab illis sponsus*, et tunc jejunabunt" IX: 15, et Luc: V: 34. 35, filii nuptiarum dicuntur illi qui in veris Ecclesiae sunt et recipiunt bonum, nam bonum quod a Domino est sponsus; quod filii nuptiarum non lugeant quamdiu cum illis est sponsus, est quod in statu beato ac felici sint, ita apud Dominum, cum in veris conjunctis suo bono; jejunabunt cum aufertur ab illis sponsus, est quod in statu infelici cum non amplius bonum conjunctum est veris; hic status est status ultimus Ecclesiae, ille vero status primus. Simile *per sponsum*, ad cujus occursum exiverunt decem virgines, significatur apud Matthaeum Cap: XXV: 1 ad 12; virgines enim quae oleum habebant in lampadibus, sunt qui bonum in veris suis habent; at quae non oleum in lampadibus habebant, sunt qui non bonum in veris habent, videatur n: 4638; et quod oleum sit bonum amoris, n: 886. 3722. 4582. [69] Apud Johannem „Johannes dixit, non sum ego Christus, sed quod missus coram Ipso; *qui habet sponsam sponsus est;* amicus autem *sponsi*, qui stat et audit Ipsum, gaudio gaudet *ob vocem Sponsi*" III: 28. 29; sponsa pro vero quod fidei Ecclesiae, et sponsus pro bono [70] quod amoris

Ecclesiae, utrumque a Domino; ita pro homine Ecclesiae, apud quem conjunctum est bonum veris. Ex his etiam patet, quid in sensu interno intelligitur per gaudium et vocem *sponsi* et *sponsae*, apud Esaiam LXII: 5. [71] apud Jeremiam Cap: VII: 34. Cap: XVI: 9. Cap: XXV: 10. Cap: XXXIII: 11. Apoc: XVIII: 23, quod nempe sit coelum et felicitas ex conjunctione boni et veri apud hominem et Angelum.

9183. Et cubuerit cum illa, quod significet illegitimam conjunctionem, constat ex significatione cubare cum virgine [non] desponsata, quod sit illegitima conjunctio; per desponsari enim significatur conjunctio Interni hominis, per cubare autem conjunctio externi, de qua nunc supra n: 9182.

9184. Dotando dotabit illam sibi in mulierem, quod significet tesseram consensus a sua parte ad conjunctionem legitimam, constat ex significatione dotis et dotare, quod sit tessera consensus, de qua n: 4456; et ex significatione in mulierem, quod sit ad conjunctionem legitimam; nam accipere aliquam in mulierem, est legitime conjungi. Illegitima conjunctio in spirituali sensu est conjunctio veri cum affectione ex jucundo lucri aut ex jucundo honoris, in quali affectione sunt illi qui vera Ecclesiae propter illa jucunda discunt; sed haec conjunctio non nocet illis, qui postea a Domino regenerantur, quoniam apud hos remanent illae affectiones, sed subordinatae sub affectione veri propter bonum usus et vitae, atque serviunt; sunt namque ultimo loco, tametsi visae prius quod fuerint primo loco; cum enim regeneratur homo, invertitur ordo vitae ejus; eo modo ex conjunctione illegitima fit conjunctio legitima. Quod hoc fieri possit, est quia vera quae fidei sunt, intrant per auditum, ita per externum hominem, et externus homo non sapit nisi illa quae mundi et quae sui sunt, quae sunt jucunda ex lucris et ex honoribus; at cum Internus homo per regenerationem apertus est, tunc per illum influit a Domino bonum, quod adoptat et sibi conjungit vera fidei quae per externum intrarunt; et secundum conjunctionem invertitur ordo, hoc est, ponitur in ultimo loco quod fuerat in primo; attrahit tunc Dominus omnia quae sunt vitae apud hominem ad se, ut spectent sursum; tunc quae Domini et Coeli sunt, intuetur homo ut fines, et Ipsum Dominum ut finem propter quem omnia, et priora, quae sunt jucun-

da lucri et honorum, ut media ad illum finem; notum est, quod media non vitam aliunde habeant quam ex fine, et absque fine nullam; ita jucunda lucri et honorum, cum facta sunt media, tunc vitam habent ex vita e coelo, hoc est, per coelum a Domino, nam finis propter quem est Dominus. Cum homo in tali ordine vitae est, tunc lucra et honores sunt ei benedictiones; at si in inverso ordine est, lucra et honores sunt ei maledictiones; quod omnia sint benedictiones cum homo in ordine coeli est, docet Dominus apud Matthaeum « Quaerite primo Regnum coelorum et Justitiam ejus; et omnia adjicientur vobis » VI: 33.

9185. Si renuendo renuerit pater ad dandum eam illi, quod significet si bonum interius non admittit conjunctionem, constat ex significatione renuere, quod sit non admittere; ex significatione dare eam illi, nempe in mulierem, quod sit conjunctio legitima, de qua nunc supra n: 9184; et ex significatione patris, quod sit bonum, de qua n: 3703. 3704. 5581. [72] 5902. 6050. 7499. 8328. 8897, quod sit bonum interius; quia a bono interiori ut patre et a vero interiori ut matre concipiuntur et nascuntur vera et bona exteriora, quae ideo in Verbo vocantur filii et filiae.

9186. Argentum pendet secundum dotem virginum, quod significet verum aliud consentiens loco ejus, constat ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917; ex significatione pendere, quod sit substitutio loco prioris, nam qui pendit dotem et [73] non accipit virginem, ille dat aliud pro illa; et ex significatione dotis virginum, quod sit tessera consensus ad conjunctionem, de qua mox supra n: 9184; quae tessera est verum consentiens bono interiori; nam dos erat quinquaginta argenti data patri puellae, Deut: XXII: 29, ita vera initiantia ad plenam conjunctionem; argentum enim est verum, ut hic supra ostensum est, et quinquaginta sunt ad plenum, n: 2252, hic vera alia loco priorum et consentientia [74] bono. Quomodo cum his se habet, ex illis, quae supra ostensa sunt, patet; quibus hoc addendum est; ut illegitima conjunctio fiat legitima, bonum quod per internum hominem influit a Domino, conjunget sibi verum, quod per externum, hoc est, per ejus auditum intrat; si hoc verum non con-

cordat cum illo bono, tunc loco ejus aliud verum, quod concordat seu consentit ad conjunctionem, substituetur. Hoc per exempla illustrari posset; sed quia conjunctio boni et veri in caligine est, propter remotionem boni amoris e veris fidei, et illius rejectionem post vera, et paene ad tergum, ideo haec res per exempla non illustratior evadet; in genere, nemo potest sensum internum Verbi, ita nec res sapientiae angelicae capere, nisi qui scit et intelligit, quod omnia et singula in coelo se referant ad bonum et verum, et quod ibi nihil existat nisi ex uno conjuncto alteri; inde est, quod in tenebris sint, qui separant unum ab altero, nempe verum quod fidei a bono quod charitatis, sicut faciunt illi, qui dicunt hominem per solam fidem, seu per solam confidentiam quae fidei, salvari; illi quia referunt omnia ad fidem, et nihil ad charitatem, nusquam aliquod capere possunt de rebus coelestibus, quae in sensu interno Verbi sunt; sunt enim in tenebris de bono, ita quoque in tenebris de conjunctione boni et veri, consequenter de ipso vero, nam hoc tunc involutum est iisdem tenebris; inde tot et tantae hallucinationes et haereses; qui illustrantur de veris, sunt illi pauci, qui in doctrina et simul in vita veri sunt. Sciant qui in sola fide sunt, quod omnes ideae cogitationis angelorum, qui in secundo coelo sunt, et spirituales vocantur, sint ex veris quae facta bona per vitam, et quod omnes ideae cogitationis angelorum, qui in tertio coelo sunt, et coelestes vocantur, sint ex bono; et quod hi inde in ipsa sapientia sint, de qua mirabilia, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicentur.

9187. Vers: 17. 18. 19. *Praestigiatricem non vivificabis. Omnis cubans cum bestia, moriendo morietur. Sacrificans diis, devovebitur, praeterquam Jehovae soli.* Praestigiatricem, significat illos apud quos aliquid Ecclesiae conjunctum est falsis mali amoris sui; non vivificabis, significat deprivationem vitae spiritualis; omnis cubans cum bestia, significat conjunctionem cum malis cupiditatum amoris sui; moriendo morietur, significat damnationem; sacrificans diis, significat cultum falsorum ex malo; devovebitur, significat ejectionem; praeterquam Jehovae soli, significat quod Dominus qui solus et unicus Deus, sit colendus.

9188. Praestigiatricem, quod significet illos apud quos ali-

quid Ecclesiae conjunctum est falsis mali amoris sui, constat ex significatione praestigiarum, quod sint falsa mali amoris sui conjuncta cum talibus quae Ecclesiae; sunt duo quae faciunt coelum, ita vitam spiritualem apud hominem, verum fidei in Dominum et bonum amoris in Ipsum, et sunt duo quae faciunt infernum, ita mortem spiritualem apud hominem, falsum fidei et malum amoris sui, haec duo conjuncta sunt apud illos, qui in inferno sunt, et faciunt conjugium infernale; illa vero duo sunt conjuncta apud illos qui in coelo sunt, et faciunt conjugium coeleste; Dominus, quantum fieri potest, detinet hominem a conjunctione veri et boni cum falso et malo; quia haec conjunctio est prophanatio; sed usque non detineri possunt plures ab illis qui in Ecclesia sunt; causa est, quia ab infantia sua hauserunt talia quae Ecclesiae sunt ex Verbo et ex doctrina e Verbo, et quidam eorum imbuerunt illa, et fecerunt fidei suae; hi cum ad aetatem adultam pervenerunt, quando non ut prius ex aliis sed ex semet cogitare coeperunt, tunc illa, quae fidei eorum facta sunt, nihili fecerunt, et pro illis arripuerunt falsa, et quoque imbuerunt; illi sunt qui apud se conjunxerunt vera falsis; nam vera, quae semel fidei facta sunt, manent, nec possunt eradicari; et falsa quae dein fidei fiunt, conjungunt se cum illis; haec conjunctio est, quae in sensu interno significatur per praestigias. Quod falsa illa sint falsa mali amoris sui, est quia omne malum ab illo amore principaliter scaturit, et cum malum etiam falsum, quoniam cohaerent. Inde patet, quod apud tales vita spiritualis nulla sit, quia destructa per falsa mali; et quantum conjunxerunt falsa illa veris, tantum vitae spiritualis apud se exstinxerunt; et quia sic mortui pro vivis facti sunt, dicitur quod illos non vivificabis. Quod illa conjunctio per Praestigias in Verbo significetur, patet apud Esaiam „ Dixit, non sedebo vidua, nec cognoscam orbitatem; at venient tibi duo illa momento in die uno, orbitas et viduitas, *propter multitudinem praestigiarum tuarum, propter magnitudinem magiarum tuarum valde:* confisa es in malitia tua, dixisti, non videns me; sapientia tua et scientia tua seduxit te, cum dixisti in corde tuo, ego et non sicut ego praeterea; ideo veniet super te malum quod non scies deprecari; et cadet super te calamitas, quam non poteris expiare; veniet super te subito devastatio, non scies, [75] persta nam-

que in magiis tuis, et *in multitudine praestigiarum tuarum*, in quibus laborasti a juventute tua. Defatigata es multitudine consilii tui; stent nunc et salvent te *scrutatores coeli*, *videntes stellas*, et *cognoscentes novilunia*, ab illis quae venient super te; ecce facti sunt sicut stipula, ignis adussit eos, non eripiunt animam suam e manu flammae » XLVII: 8 ad 14; quod praestigiatores sint qui conjungunt falsa mali amoris sui veris fidei, et sic pereunt, patet a singulis ibi in sensu interno spectatis; describuntur enim ibi; exstinctio vitae spiritualis illorum describitur per viduitatem et orbitatem; viduitas est privatio veri et inde boni, orbitas est privatio veri et boni: falsi origo, quod sit ex malo amoris sui, describitur per haec « sapientia tua et scientia tua seduxit te, cum dixisti in corde tuo, ego et non sicut ego praeterea » et ipsum malum amoris sui per haec « ecce facti sunt sicut stipula, ignis adussit eos, non eripiunt animam suam e manu flammae; » ignis et flamma est amor sui; quod omne vitae spiritualis exstinctum sit, per haec « Veniet super te malum, quod non poteris deprecari, et cadet super te calamitas, quam non poteris expiare;» dicuntur illi scrutatores coeli, videntes stellas, et cognoscentes novilunia, ex eo quod in externis absque interno sunt; nam tales ab externo homine, et nihil ab interno vident, ita a naturali lumine, et nihil a spirituali luce; coelum enim, stellae, et novilunia, in sensu interno sunt cognitiones et scientifica, hic quae spectantur e mundo, et non e coelo. Quod praestigiae talia falsa sint, etiam patet apud Micham « Exscindam urbes terrae tuae, et destruam omnia munimenta tua, *exscindam praestigias e manu tua*, et arioli non erunt tibi » V: 10. 11; urbes terrae sunt falsa doctrinalia Ecclesiae eorum; quae vocantur praestigiae, quia destruunt vera fidei. Apud Nahum « *Prae multitudine scortationum scorti* boni causa, *magistra praestigiarum*, vendentis [76] gentes in scortationibus suis, et *familias in praestigiis suis* » III: 4; scortationes sunt perversiones veri, praestigiae sunt falsa inde; similiter in Libro II Regum « Jehoramus dixit ad Jehu, num pax Jehu, qui dixit, quid pax, usque ad scortationes Isabelis matris tuae, *et praestigias ejus multas* » IX: 22. [77] Quod illi praestigiatores sint, qui docti sunt a se, confidunt sibi solis, eo quod se ament, et velint ut Numina coli, patet etiam

ex locis ubi aperte agitur de adventu Domini, qui docebit illos, et praestigiatores ejiciet; nam qui doctus erit in veris et bonis fidei, a Domino doctus erit, et nullatenus a se; quare ita apud Malachiam „*Ecce ego mittens Angelum meum, qui parabit viam ante Me; et subito veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quaeritis, et Angelus foederis quem vos desideratis:* et accedam ad vos in judicium; et ero testis festinans *in Praestigiatores*, et in Adulteros, et jurantes falso" III: 1. 4. 5; praestigiatores pro illis qui docti sunt a se, et sic destruunt vera quae a Domino; adulteri pro illis qui destruunt bona, et in jurantes falso pro illis qui confirmant falsa; quod Dominus sit qui illos ejiciet, patet, nam dicitur quod veniet ad Templum suum Dominus, et Angelus foederis. Etiam apud Moschen „Quum venis ad terram, quam Jehovah Deus daturus tibi, non invenietur in te, *qui traducat filium aut filiam suam per ignem, divinans divinationes*, et *interrogans inferna*, et *augurator*, et *praestigiator*, et *incantator*, et *interrogans pythonem*, et *ariolus*, et *quaerens mortuos;* nam abominatio Jehovae omnis faciens illa; et propter abominationes has Jehovah Deus tuus expellens illos coram te. *Prophetam de medio tui, de fratribus tuis, sicut me, excitabit tibi Jehovah Deus tuus, Ipsi obedietis; dixit Jehovah in Chorebo, Prophetam excitabo illis e medio fratrum illorum, sicut te; et dabo verba mea in ore Ipsius, ut loquatur ad eos omne quod praecepero Ipsi; unde fiet vir, qui non obediverit verbis meis, quae loquetur in Nomine meo, Ego quaeram ex illo*" Deut: XVIII: 9 ad 19; per divinatores, auguratores, praestigiatores, et reliquos qui ibi nominantur, in sensu interno intelliguntur, qui destruunt vera et bona Ecclesiae per scientifica perverse applicata, ita qui ex propria intelligentia, perque falsa ex malis amorum sui et mundi, ita qui ex cupiditate lucri et honorum discunt et docent, et non ex affectione veri fidei et boni vitae; et quia inde omnia falsa doctrinae et mala vitae existunt, ideo dicitur de Propheta qui venturus et docebit; quod ille Propheta sit Dominus, notum est in Ecclesia; et quoque notum fuit Judaeis et gentibus illo tempore, ut patet apud Matthaeum Cap: XXI: 11. Luc: I: 76. Cap: VII: 16. Cap: XIII: 33. Marc: VI: 4. Docentur a Domino, cum non propter se et mundum, sed propter ipsum bonum et verum,

legunt Verbum, nam tunc illustrantur; cum autem propter se et mundum, tunc occaecantur. Propheta significat docentem, et in sensu abstracto a persona, doctrinam, n: 2534. 7269, ita Dominus quoad Verbum seu Divinum Verum.

9189. Non vivificabis, quod significet deprivationem vitae spiritualis, constat ex significatione vivificare, quod sit donare vita spirituali, de qua n: 5890, ita non vivificare, est deprivare vita spirituali. Quod illi deprivent se vita spirituali, qui conjungunt veris fidei falsa ex malo amoris sui, et per praestigiatores significantur, videatur mox supra n: 9188. [78]

9190. Omnis cubans cum bestia, quod significet conjunctionem cum malis cupiditatum amoris sui, constat ex significatione cubare, quod sit conjungi; et ex significatione bestiae, quod sit affectio bona apud bonos, et affectio mala apud malos, de qua n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. 776. 2781. 3518. 3519. 5198. 7424. [43] 7523. 7872. 9090; ita cupiditates, hic cupiditates amoris sui; affectiones malae vocantur cupiditates.

9191. Moriendo morietur, quod significet damnationem, constat ex significatione mori, quod sit damnatio, de qua n: 5407. 6119. 9008.

9192. Sacrificans diis, quod significet cultum falsorum ex malo, constat ex significatione sacrificare, quod sit cultus: quod sacrificare sit cultus, est quia sacrificia erant primaria cultus apud populum Israëliticum et Judaicum, n: 923. 6905. 8680. 8936; et ex significatione deorum, quod sint falsa, de qua n. 4402 fin: 4544. 7873. 8941. Cultus falsorum ex malo dicitur, quia opponitur cultui verorum ex bono; nam omnis cultus pro normis habet doctrinalia, quae sunt vera quatenus ex bono sunt, et falsa quatenus ex malo; nam vera habent essentiam et vitam suam a bono, et vicissim illa suam mortem a malo. Sed cum hoc ita se habet; sunt qui in genuinis veris sunt, sunt qui in non genuinis veris, et sunt qui in falsis; et tamen illi qui in genuinis veris sunt saepe damnantur, et qui in non genuinis veris, et quoque qui in falsis, saepe salvantur: hoc ut paradoxon apparebit plerisque, sed usque veritas est; ipsa experientia id confirmavit; nam visi sunt in inferno, qui prae aliis docti fuerunt in veris ex Verbo et ex doctrina Ecclesiae suae, tam antistites

quam alii; et vicissim visi sunt in coelo, qui in non veris, etiam qui in falsis, tam Christiani quam Gentiles: causa quod illi in inferno essent, erat, quod quidem in veris quoad doctrinam fuerint, sed in malis quoad vitam; et quod hi in coelo essent, erat quod quidem in non veris quoad doctrinam, sed usque in bono quoad vitam fuerint; aliqui recentes spiritus, cum quibus loqui datum est, mirati sunt, quod illi qui docti fuerunt prae aliis in Verbo et in doctrina Ecclesiae suae, inter damnatos essent, quos tamen crediderunt futuros lumina in coelo, secundum haec apud Danielem „Intelligentes splendebunt sicut splendor expansi, et justificantes multos sicut stellae in saeculum et aeternitatem" XII: 3; sed illis dictum est, quod Intelligentes sint qui in vero sunt, et vera docent; et quod justificantes qui in bono sunt, et ad bonum ducunt, et quod ideo Dominus dixerit, quod „Justi fulgebunt ut sol in Regno Patris sui" Matth: XIII: 43; quod Justitia dicatur de bono, et sic Justi qui in bono sunt, videatur n: 2235. Porro dictum est, quod docti illi quoad doctrinam, sed mali quoad vitam, sint qui intellecti a Domino apud Matthaeum „Multi dicent Mihi in illa die, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, et per Nomen tuum daemonia ejecimus, et in Nomine tuo multas virtutes fecimus, sed tunc confitebor illis, *non novi vos, discedite a Me operarii iniquitatis*" VII: 22. 23; et apud Lucam „Tunc incipietis dicere, edimus coram Te, et bibimus, in plateis nostris docuisti, sed dicet, dico vobis non novi vos, unde estis, discedite a Me *omnes operarii iniquitatis*" XIII: 26. 27; et quod illi etiam intellecti sint per virgines stultas, quae non oleum habebant in lampadibus, de quibus apud Matthaeum „Tandem venerunt illae Virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; ille vero respondens dixit, amen dico vobis, non novi vos" XXV: 11. 12; habere oleum in lampadibus, est bonum in veris quae fidei Ecclesiae, n: 4638, quod oleum sit bonum amoris, videatur n: 886. 4582. Tum quod illi qui in non veris sunt, imo qui in falsis ex ignorantia, et tamen in bono et inde in affectione sciendi verum, intellecti sint a Domino, apud Matthaeum „Dico vobis, quod multi ab oriente usque ad occidentem venient, et accumbent cum Abrahamo, et Isaco, et Jacobo, in Regno coelorum; filii vero regni ejicientur in tenebras exterio-

res» VIII: 11. 12; et apud Lucam „Venient ab ortibus et occasibus, et a septentrione et meridie, accumbentes in Regno Dei; et ecce sunt extremi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt ultimi» XIII: 29. 30; quod Gentiles qui in bono, tametsi ex ignorantia in non veris, recipiantur in coelum, videatur n: 2589 ad 2604. 2861. 2863. 3263. 4190. 4197. Ex his nunc constare potest, quod per sacrificantes diis significentur qui in cultu falsi ex malo sunt, et quod illi sint qui devovebuntur, hoc est, ejicientur: falsa enim ex malo, sunt mala in forma, nam malum cum se ostendit in luce, ac se format, dicitur falsum: inde est, quod qui in malo sunt quoad vitam, tametsi in veris quoad doctrinam, usque tamen in falsis sui mali sint: quod ita sit, se manifestat clare in altera vita; illi quum sibi relinquuntur, cogitant ex malo contra vera quae sciverunt et professi sunt, ita falsa; similiter faciunt iidem in mundo, cum sibi relicti cogitant; tunc enim vel pervertunt vera, vel negant vera, ad patrocinandum malis vitae suae; at qui in bono sunt, et usque in non veris, imo qui in falsis ex ignorantia, ut sunt plures intra Ecclesiam, et quoque plures extra Ecclesiam qui Gentiles vocantur; hi spectant quidem sua falsa ut vera; sed quia falsa illa exeunt ex bono, flectunt illa ad bonum, ideo nihil maligni illis inest; sicut inest falsis quae a malo; et quia falsa inde sunt mitia et flexibilia, illi in facultate sunt recipiendi vera, et quoque recipiunt cum instructi ab angelis; falsa illa comparari possunt cibis ad visum immundis, sed usque sapidis; at falsa ex malo comparari possunt cibis immundis, qui intus putidi sunt; vera autem ex malo comparari possunt cibis ad visum mundis, sed qui intus maligni sunt, et, si hypocrisis, venenati; sicut dominus docet apud Matthaeum „Vae vobis Scribae et Pharisaei, hypocritae, quia similes vos facitis sepulchris dealbatis, quae foris quidem apparent pulchra, intus vero sunt plena ossibus mortuorum, et omni immunditie» XXIII: 27.

9193. Devovebitur, quod significet ejectionem, constat ex significatione devoveri, cum de illis qui in cultu falsorum ex malo sunt, quod sit ejici, nempe ab Ecclesia; quod ejectio ex Ecclesia, et sic exstirpatio talium falsorum, significetur per devoveri, patet apud Moschen „Si exiverint viri belial e medio tui, et impulerint habitatores urbis suae dicendo, eamus et *servia-*

mus diis aliis, quos non novistis; si veritas et certa res, facta est abominatio in medio tui, percutiendo percuties habitatores urbis illius ore gladii, *devovendo illam, et omnem qui in illa*, etiamque bestiam ejus, ore gladii; omnem praedam ejus comportabis in medium plateae, et combures igne urbem, et omnem praedam ejus Jehovae Deo tuo, ut sit acervus aeternitatis, nec aedificetur amplius, *adeo ut non haereat in manu tua quicquam de devotione*" Deut: XIII: 14 ad 18; quod sit falsum ex malo, quod significatur per devotum, patet ex singulis ibi in sensu interno; urbes enim quae devovendae, sunt doctrinae, hic doctrinae falsae, n: 2712. 2943. [79] 3216; os gladii quo percutiendi homines et bestiae, est verum pugnans et destruens falsum quod ex malo, n: 2799. 4499. 7102. 8294; platea in cujus medium comportanda erat praeda est verum doctrinae et in opposito sensu falsum doctrinae, n: 2336; ignis quo combureretur praeda cum urbe, est malum amoris sui, n: 1297. 2446. 5071. 5215. 6314. 6832. 7324; inde patet quod devotio sit ejectio ab Ecclesia et exstirpatio; ideo etiam mandatum est, ut gentes in terra Canaane *devoverentur*, Deut: VII: 2. 24. 25. 26; gentes enim prius constituerunt Ecclesiam in illa terra, quapropter etiam habebant altaria, et quoque sacrificabant, n: 3686. 4447. 4516. 4517. 5136. 6306. [80] 6516. 8054, sed cum cultum repraesentativum, qui fuit Ecclesiae Antiquae, verterunt in cultum idololatricum, et sic falsificarunt vera et adulteraverunt bona, n: 8317, jussum est ut devotioni darentur, non modo homines, sed etiam urbes, et quod in urbibus; causa erat, quia omnia ibi repraesentabant falsa ex malo, urbes ipsas doctrinas falsi, bestiae affectiones malas, aurum et argentum eorum mala et falsa, similiter reliqua; Principale cultus Antiquae Ecclesiae fuerunt, colere Deum sub Humana forma, ita Dominum; sed cum a bono deflexerunt in malum, colere coeperunt ipsa Repraesentativa, sicut solem, lunam, stellas, tum lucos, statuas, et deum sub varia specie idoli, ita externa absque interno; quod fit quando Internus homo clausus est; clauditur ille per vitam mali; per bonum enim influit Dominus, et aperit internum hominem, inde per malum clauditur ille; quo clauso, vertuntur vera in falsa; et ubi manent, solum serviunt malis quae sunt amoris sui et mundi; principale cultus interni

est agnoscere Dominum, solum et unicum Deum, et quod ab Ipso omne bonum et verum; qui Ipsum in Ecclesia non agnoscunt, non possunt in bono esse, ita nec in vero; et agnoscunt qui in fide sunt et simul in bono vitae, non autem qui in malo vitae, n: 8878; quod agnoscere et colere Dominum sit vivere secundum praecepta Ipsius, hoc est, vivere vitam fidei et charitatis, videatur n: 8252 ad 8257; vita fidei est facere praecepta ex obedientia, et vita charitatis est facere praecepta ex amore.

9194. [81] Praeterquam Jehovae soli, quod significet quod Dominus, qui solus et unicus Deus, sit colendus, constat ex significatione sacrificare, hic Jehovae soli, quod sit cultus, de qua supra n: 9192; [82] quod Jehovae sit Domino, est quia per Jehovam in Verbo non alius intelligitur quam Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 4692. 5663. 6303. 6905. 8864; quod Divinum, quod vocavit Patrem, sit Divinum Bonum in Ipso, n: 2803. 3704. 7499. 8897; ita quod Dominus sit Solus et Unicus Deus, n: 1607. 2149. 2156. 2329. 2447. 2751. 3194. 3704. 3712. 3938. 4577. 4687. 5321. 6280. 6371. 6849. 6993. 7014. 7182. 7209. 8241. 8724. 8760. [83] 8864. 8865.

9195. Vers: 20. 21. 22. 23. *Et peregrinum non affliges, et non opprimes, quia peregrini fuistis in terra Aegypti. Ullam viduam et orphanum non affligetis. Si affligendo afflixeris illum, quod si clamaverit ad Me, audiendo audiam clamorem ejus. Et exardescet ira mea, et occidam vos gladio, et fient mulieres vestrae viduae, et filii vestri orphani.* Et peregrinum non affliges et non opprimes, significat quod qui in veris et bonis fidei instrui volunt non falsis doctrinae ac malis vitae infestandi: quia peregrini fuistis in terra Aegypti, significat quod a falsis et malis tutati sint cum infestati ab infernalibus: ullam viduam, significat qui in bono absque vero sunt, et usque desiderant verum: et orphanum, significat qui in vero sunt et nondum in bono, et usque desiderant bonum: non affligetis, significat quod non defraudandi: si affligendo afflixeris illum, significat si defraudantur: quod si clamando clamaverit ad Me, significat supplicationem ad Dominum de ope: audiendo audiam clamorem illorum, significat quod opitulandi: et ex-

ardescet ira mea, significat statum illorum qui id faciunt: et occidam vos gladio, significat quod se deprivent bono et vero per falsa: et fient mulieres vestrae viduae, significat quod bona apud illos peribunt: et filii vestri orphani, significat quod simul tunc vera.

9196. Et peregrinum non affliges et non opprimes, quod significet quod qui in veris et bonis fidei instrui volunt, non falsis fidei et malis vitae infestandi sint, constat ex significatione peregrini, quod sit qui instrui vult in illis quae Ecclesiae sunt, ita qui in veris et bonis fidei, ac qui recipit illa et vivit secundum illa, de qua n: 1463. 8007. 8013; quod peregrinus ille sit, est quia peregrinari significat instrui ut et vivere, n: 2025. 3672. 6095; et ex significatione affligere, cum de illis qui in veris et bonis fidei instrui [84] volunt, quod sit non falsis fidei infestari; et ex significatione opprimere, cum de iisdem, quod sit non malis vitae infestare; qui enim infestant tales falsis, illi affligunt illos, et qui infestant malis, opprimunt illos.

9197. Quia peregrini fuistis in terra Aegypti, quod significet quod a falsis et malis tutati sint cum infestati ab infernalibus, constat ex illis quae de afflictione et oppressione filiorum Israëlis in Aegypto, et de tutatione et tandem eductione inde ad Capp: VII: VIII: IX: X: XI: XIII: XIV Exodi, dicta sunt, ubi ostensum, quod afflictiones et oppressiones filiorum Israëlis in Aegypto significaverint infestationes fidelium, qui ab Ecclesia spirituali fuerunt, ab infernalibus ante adventum Domini; et quod tutatio, et eductio filiorum Israëlis e terra Aegypti, significaverint tutationem et liberationem eorum qui ab Ecclesia spirituali, a Domino cum in mundo fuit, et cum resurrexit: sed haec singula nunc iterum exponere, nimis prolixum foret; videantur quae ad supradicta Capita Exodi ostensa sunt; imprimis quae n: 6854. 6914. [85] 7035. 7091. 7474. 7828. 7932[$\frac{1}{2}$]. 8018. 8054. 8099. 8159. 8321.

9198. Ullam viduam, quod significet qui in bono absque vero, et usque desiderant verum, constat ex significatione viduae, quod sit bonum absque vero, et tamen desiderans verum; quod vidua id sit, est quia per virum significatur verum, et per ejus mulierem bonum, quapropter mulier viri vidua facta significat bonum absque vero. At vidua in sensu adhuc interiori

significat verum absque bono, causa est quia maritus in eo sensu significat bonum et ejus uxor verum, videatur n: 3236. 4510. 4823; in hoc sensu Dominus a Divino Bono vocatur Maritus ac Sponsus, et Regnum Ipsius atque Ecclesia a receptione Divini Veri quod procedit a Domino, vocatur uxor ac sponsa, n: 9182; sed quia hic non de coelesti Ecclesia Domini agitur, sed de spirituali, per viduam significatur qui in bono et non in vero est, et usque desiderat verum; similiter se habet cum orphano, is in intimo seu coelesti sensu significat illos qui in bono sunt ac desiderant verum; videantur quae de significatione viduae et orphani in sensu coelesti allata et explicata sunt, n: 4844: quibus addere licet quae Dominus de Vidua in Sarepta dicit apud Lucam „ Amen dico vobis, quod nullus propheta acceptus sit in patria sua; in veritate dico vobis, *multae viduae erant in diebus Eliae* in Israël, cum clausum fuit coelum per annos tres et menses sex, dum fuit fames magna super totam terram, ad nullam tamen earum missus est Elias nisi ad Sareptam Sidonis, *ad mulierem Viduam* " IV: 25. 26; quia omnia quae Dominus loquutus est, ex Divino loquutus est, ideo sensum internum habent, et in eo sensu agitur de Ipso Domino, deque Regno Ipsius et de Ecclesia; quod itaque in eo sensu intellectum sit a Domino, per illa quae loquutus est de Vidua in Sarepta Sidonis, patet si evolvuntur; *quod nullus propheta acceptus sit in patria sua*, significat quod Dominus ac Divinum Verum quod ab Ipso, minus recipiatur et ametur corde intra Ecclesiam, quam extra illam; loquutus est ad Judaeos, apud quos tunc Ecclesia; quod Dominus ibi minus receptus fuerit quam a Gentibus, quae extra Ecclesiam erant, notum est: similiter in Ecclesia hodie, quae ab Ipso Christiana vocatur; in hac quidem Dominus receptus est doctrina, sed usque a paucis agnitione cordis, et ab adhuc paucioribus ex affectione amoris: aliter a gentibus conversis extra Ecclesiam, hae Ipsum colunt et adorant ut suum unicum Deum, et dicunt ore atque cogitant corde, quod Ipsum pro Deo agnoscant, quia apparuit in forma humana, n: 5256; contrarium est intra Ecclesiam, ibi, quia Homo natus est, aegre agnoscitur pro Deo ex corde, hi Humanum Ipsius faciunt simile sui humani, tametsi sciunt Patrem Ipsius Jehovam fuisse, et non hominem; ex his patet, quid in

sensu interno intellectum sit per quod nullus propheta acceptus sit in patria. Propheta in eo sensu est Dominus quoad Divinum Verum, ita quoad Doctrinam Ecclesiae; quod Propheta sit docens, et in sensu abstracto doctrina, et cum de Domino, quod sit Divinum Verum seu Verbum, videatur supra n: 9188 fin: *Multae viduae erant in diebus Eliae in Israële,* in sensu interno significat statum tunc agnitionis Veri Divini ex Verbo in Ecclesia; Viduae enim sunt qui in bono absque vero, ut supra dictum est; Elias est Dominus quoad Verbum; dies Eliae sunt status receptionis Veri Divini ex Verbo tunc; et Israël est Ecclesia; quod Elias repraesentaverit Dominum quoad Verbum, videatur Praefatio ad Cap: XVIII Geneseos, et n: 2762. 5247 fin: 8029; quod dies sint status, n: 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 6110. 8426; et quod Israël sit Ecclesia, n: 4286. 6426. 6637. 8805. *Cum clausum fuit coelum per annos tres et menses sex,* significat vastationem Internae Ecclesiae plenariam; coelum enim est internum Ecclesiae; Anni tres et menses sex sunt ad plenum; quod coelum sit internum Ecclesiae, videatur n: 1733. 1850. 3355. 4535; hoc clausum dicitur cum vastatum seu non amplius; quod anni tres et menses sex sint ad plenum, constat ex significatione dierum 1260 in Apocalypsi Cap: XI: 3; et Cap: XII: 6, qui dies faciunt tres annos et sex menses, quod sint ad plenum seu usque ad finem; similiter a significatione dierum trium et dimidii, Apoc: XI: 9. 10 [. 11]; tum a significatione temporis et temporum et dimidii temporis, in Apoc: Cap: XII: 14; et apud Danielem Cap: XII: 7, quod sint ad plenum, seu usque ad finem. *Dum fames magna super totam terram*, significat vastationem quoque externae Ecclesiae, nam fames est defectus et desolatio veri et boni, n: 3364. 5277. 5279. 5281. 5300. 5360. 5376. 5415. 5576. 6110. 7102; et terra est externa Ecclesia, n: 1262. 1413. 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 3355. 4535. 5577. 8011. 8732. *Ad nullam tamen earum missus est Elias*, significat Dominum quoad Verbum, ita Verbum Domini, non ad alios, quia non alibi receptum; Elias enim, ut supra dictum, est Dominus quoad Verbum. *Nisi ad Sareptam Sidonis ad mulierem viduam*, significat quam ad illos qui in bono sunt et desiderant verum; Sarepta Sidonis dicitur, quia Sidon significat cognitiones boni et ve-

ri, n: 1201; quod mulier vidua sit qui in bono est, et desiderat verum, patet inde, imprimis ex illis quae de ea memorantur in Libro Regum Primo, ubi haec „*Elias venit ad Sareptam Sidonis ad mulierem viduam, ut sustentaret illum, dixit ad illam, ut sumeret sibi parum aquae, ut biberet, dein ut sumeret sibi frustum panis in manu; dixit quod ei sit tam parum farinae in cado, et tam parum olei in lenticula, ut modo sit sibi et filio placenta; dixit Elias, fac mihi placentam parvam priore loco, et educ mihi, ac tibi et filio tuo fac posteriori loco: fecit illa ita; et cadus farinae non consumtus est, et lenticula olei non defecit*" XVII: 9 ad 15; Obedientia, et desiderium boni ad verum describitur per quod ex mandato dederit prophetae aquam, et dein ex suo pauco priori loco fecerit illi placentam, et posteriori loco sibi et filio suo; et quod inde locupletata sit bono veri, per quod cadus farinae non consumtus sit, et lenticula olei non defecerit; aqua enim in sensu interno est verum, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8568; farina est verum ex bono, n: 2177; oleum est bonum amoris, n: 886. 4582. 4638; et placenta ex illis est verum conjunctum suo bono, n: 7978; ex his liquet, quod Vidua sit, qui in bono et desiderat verum; bonum ac ejus desiderium ad verum describitur per charitatem erga prophetam, majorem quam erga se et filium; propheta est doctrina veri, ut supra ostensum est. Ex his patet, quale est Verbum, quod nempe intus in se recondat arcana coeli, quae non apparent in litera, cum tamen in singulis, quae Dominus Ipse loquutus est, cum fuit in mundo, et quae prius loquutus est per Prophetas, sint coelestia et Divina prorsus et elevata a sensu literae; et hoc non solum in singulis vocibus, sed etiam in singulis syllabis vocum, imo in singulis apicibus cujusvis syllabae; sed quod ita sit, quis credit, et tamen res certa est mihi prorsus testata et indubia facta, de qua, ex Divina Domini Misericordia, alibi.

9199. Et orphanum, quod significet qui in vero sunt et nondum in bono, et usque desiderant bonum, constat ex significatione orphani, quod sint qui in vero et desiderant bonum; quod illi per orphanos significentur, est quia filii orbati patre et matre, ita qui privati bono et vero interiori, orphani sunt, nam per patrem in Verbo significatur bonum interius, et per matrem

verum conjunctum illi bono, n: 5581; [86] per filios autem significantur vera inde derivata, quod filii sint vera, videatur n: 489. 491. 533. 1147. 2813. 3373. 6583, et quod filii hic per orphanos intelligantur, et non filiae, patet a Vers: 23 sequente, ubi dicitur „et filii vestri erunt orphani." Quod filii orphani sint qui desiderant bonum, est quia loco patris eorum tunc Dominus est „*Pater orphanorum et judex viduarum Deus* in habitaculo sanctitatis suae" Psalm: LXVIII: 6. Quod Orphani sint qui instructi sunt in Veris fidei Ecclesiae ex Verbo, et per illa dein ducuntur ad bonum, patet etiam a Domini verbis apud Johannem „Ego rogabo Patrem, ut *alium paracletum det vobis*, ut maneat vobiscum in aeternum, *spiritum veritatis*, quem mundus non potest accipere, quoniam non videt illum, neque cognoscit illum; vos autem cognoscitis Illum, quia apud vos manet, et inter vos est; *non relinquam vos orphanos*, veniam ad vos; haec loquutus sum vobis, apud vos manens, *Paracletus autem Spiritus Sanctus*, ille vos docebit omnia" XIV: 16. 17. 18. 24. 25. [26.] Quod illi orphani sint, qui in veris sunt et desiderant bonum, constare potest [ex] singulis ibi; per Paracletum enim intelligitur Divinum Verum, quod fuit Dominus cum in Mundo, et quod procedit a Domino, postquam glorificavit Humanum suum, et abivit e mundo, ideo dicit quod missurus sit Paracletum, et quod venturus Ipse; mittere Paracletum est illustrare et instruere in veris fidei; ac venire ad illos est ducere in bonum, ideo dicit, *non relinquam vos orphanos.* Dictum est, quod per Paracletum intelligatur Divinum Verum, quod fuit Dominus cum in mundo, et quod procedit a Domino postquam glorificavit Humanum suum, et abivit e mundo, quod ita sit, Dominus aliquoties manifeste docuit; sed qui Divinum distinguunt in Personas, et non in Essentias unitas in uno, illi non capiunt hoc; nam Verbum secundum captas ideas ab homine explicatur et comprehenditur; ita quoque ubi Dominus dicit, quod Ipse in Patre sit, et Pater in Ipso; quod Pater et Ipse Unum sint; tum quod omnia sua Patris sint, et omnia patris sua, Johan: X: 30. Cap: XIV: 1 ad 11. 20. Cap: XVI: 15. Cap: XVII: [10.] sed explicentur illa, quae supra dicta sunt, ulterius. *Quod per Paracletum intelligatur Divinum Verum*, patet ab ipsis verbis Domini, vocatur enim spiritus *veritatis*, et quo-

que dicitur, Paracletus spiritus sanctus vos *docebit* omnia. *Quod Dominus fuerit Divinum Verum cum in mundo*, patet quoque a Domini verbis ibi, nam dicit, quod Paracletum *alium* (hoc est, loco sui) seu *spiritum veritatis* missurus sit; et de Se, *quod cognoscant Illum, quia apud vos manet*, et *inter vos est;* et quoque *Ego Veritatem vobis dico, si non abivero, Paracletus non veniet ad vos,* si *vero abivero, mittam illum ad vos,* Joh: Cap: XVI: 7; et alibi, hoc dicit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in Ipsum; *nondum enim erat spiritus sanctus, quia Jesus nondum glorificatus erat*, Joh: VII: 39: et adhuc alibi, Quod Ipse sit via et *Veritas*, Joh: XIV: 6, tum quod sit *Verbum*, et quod Deus sit *Verbum*, et quod Verbum *Caro factum sit*, Joh: I: 1. 2. 3. 14, Verbum est Divinum Verum; quod Dominus fuerit Divinum Verum cum in mundo, videatur n: 3195. 4687. 4727. 6716. 6864. 7499. 8127. 8724. Et *quod Divinum Verum procedat a Domino postquam glorificavit Humanum suum, et abivit e mundo*, patet etiam a Domini verbis „Cum abivero *mittam* spiritum veritatis ad vos," mittere est exire et procedere, n: 2397. 4710; et quoque, „cum venerit, docebit vos in omni veritate; *non* enim *loquetur a seipso*, sed *quaecunque audiverit, loquetur;* ille *Me* glorificabit, quia *ex Meo* accipiet, et annuntiabit vobis" Joh: XVI: 7. 13. 14. 15. Quod Dominus cum e Mundo abivit, factus sit Divinum Bonum, etiam quoad Humanum, videatur n: 3704. 3712. 3737. 3969. 4577. 5704. 6864. 7014. 7499. 8241. 8724. 8760. 9167; et quod tunc a Divino Bono, quod Ipse, procedat Divinum Verum, sicut a Sole Lux universi, n: 3636. 3643. 3969. 5704. 7083. 8127; addantur his quae supra n: 9194, citata sunt.

9200. Non affligetis, quod significet quod non defraudandi, constat ex significatione affligere, cum de illis qui volunt instrui in veris et duci ad bonum, quod sit defraudare, hic non defraudare, quia dicitur non affligetis. In Verbo passim nominantur simul, *Peregrinus, Orphanus* et *Vidua*, sicut apud Davidem „Jehovah qui custodit peregrinum, *Orphanum* et *Viduam*" Psalm: CXLVI: 7. 8. 9. Apud Jeremiam „*Peregrinum, Orphanum* et *viduam* ne defraudate" XXII: 3. Apud Ezechielem „Cum *Peregrino* egerunt per oppressiones in te,

Orphanum et *Viduam* defraudarunt in te » XXII: 6. 7. Apud Moschen « Ne declinate judicium *peregrini*, *Orphani* et *Viduae* » Deut: [XXIV: 17. Cap:] XXVII: 19; [87] apud Eundem « Relicta in agris, olivetis et vineis erunt *Peregrino*, *Orphano* et *Viduae*», Deut: XXIV: 19. 20. 21. 22. Cap: XXVI: 12. 13; [88] apud Eundem « Jehovah facit Judicium *orphani viduae*, et amat *Peregrinum*; » Deut: X: 18, [89] similiter hic « *Peregrinum* non affliges et non opprimes: ullam *Viduam* et *Orphanum* non affligetis; » hi tres, cum simul ita nominantur, cadunt in unum sensum apud Angelos, nempe in hunc, quod apud illos qui in Ecclesia, bonum et verum conjungenda sint secundum ordinem, ita reciproce verum cum bono, et bonum cum vero; nam per *peregrinum* intelliguntur, qui in talibus, quae Ecclesiae sunt, instrui volunt, per *Viduas* conjunctio boni cum vero, et per *orphanos* conjunctio veri cum bono, quae conjunctio est reciproca; similiter se habet cum reliquis in Verbo, quae cum quoad sensum internum explicantur, apparent sparsa, sed apud Angelos conjuncta sunt in unum sensum, imo in unam ideam.

9201. Si affligendo afflixeris illum, quod significet si defraudentur, constat ex significatione affligere, quod sit defraudare, ut nunc supra n: 9200. [90]

9202. Quod si clamando clamaverit ad Me, quod significet supplicationem ad Dominum de ope, constat absque explicatione. Quod intensa supplicatio in Verbo exprimatur per clamorem, est quia supplicatio, etiamsi tacita, eorum qui ex corde supplicant, sicut clamor auditur in coelo; hoc fit cum homines modo cogitant, et magis cum ingemiscunt, ex sincero corde; hoc repraesentatum est per Clamorem in Ecclesia Repraesentativa; et inde id factum est rituale apud Judaeos; similiter se habet cum illis qui docent, illi in coelo audiuntur sicut clamantes; non modo cogitationes, sed imprimis affectiones, quae sunt boni et veri, loquuntur in coelo; quod hae loquantur, et si ardentes sunt, quod clament, ab experientia scire datum est, de qua, ex Divina Domini Misericordia, alibi. Sed affectiones mali et falsi, prorsus nihil audiuntur in coelo, etiamsi homo, qui ex illis supplicat, alte clamet, et etiam simul tunc palmas valde comprimat, et illas cum oculis, elevet ad coelum; au-

diuntur illae in inferno, et quoque ibi ut clamores, si ardentes sunt.

9203. Audiendo audiam clamorem illorum, quod significet quod opitulandi, constat absque explicatione.

9204. Et exardescet ira mea, quod significet statum illorum qui id faciunt, constat ex significatione irae, cum tribuitur Jehovae, hoc est, Domino, quod sit clementia et misericordia, de qua n: 6997. 8875; quod autem sit status illorum qui id faciunt, nempe status illorum qui affligunt et opprimunt peregrinum, viduam et orphanum, est quia ira est apud illos, et tunc apparet sicut foret apud Dominum; quod ira tribuatur Domino, cum tamen sit apud hominem, videatur n: 6997. 8284. 8483. 8875; in genere malum, quod tribuitur Domino in Verbo, sit apud illos qui in malo sunt, n: 1861. 2447. 6071. 6991. [91] 7533. 7632. 7643. 7679. 7710 fin: 6832. 7926. [92] 8197. 8227. 8228. 8282.

9205. Et occidam vos gladio, quod significet quod deprivent se bono et vero per falsa, constat ex significatione occidere, cum de illis qui defraudant illos qui in bono et vero sunt, qui per viduas, orphanos et peregrinos significantur, quod sit illos deprivare talibus; quod occidere sit deprivare vita spirituali, videatur n: 3607. 6768. [93] 8902; et ex significatione gladii, quod sit verum pugnans et destruens falsum, et in opposito sensu falsum pugnans et destruens verum, de qua n: 2799. 4499. 6353. 7102. 8294, hic itaque occidere gladio est deprivare bonis et veris per falsa.

9206. Et fient mulieres vestrae viduae, quod significet quod bona apud illos peribunt, constat ex significatione mulierum, quod sint bona, de qua n: 6014. 8337; [94] quod mulieres sint bona, est quia per conjugium viri et mulieris repraesentatur conjunctio veri et boni; quod per virum significetur verum, et per mulierem bonum, videatur n: 4510. 4823; et ex significatione viduarum, quod sint qui in bono et non in veris, sed usque desiderant vera, n: 9198, hic autem qui non desiderant vera, quia de malis qui affligunt viduas, inde est, quod hic intelligantur apud quos bona pereunt. Cum hoc ita se habet; qui in bono sunt, et non desiderant verum, illi non in bono sunt; causa est, quia bonum fit bonum per vera, nam bonum accipit

suum quale a veris, videatur n: 9154; bonum conjunctum vero est quod intelligitur per bonum spirituale, quapropter cum perit verum apud hominem, etiam perit bonum, et vice versa, cum perit bonum etiam perit verum, nam distrahitur et dissipatur conjunctio, videatur n: 3804. 4149. 4301. 4302. 5835. 6917. 7835. 8349. 8356: inde cognoscitur bonum ex eo, quod desideret verum, et afficiatur vero, propter usum bonum, ita propter vitam; ipsum desiderium, seu ipsa affectio veri propter vitam in se spectata est affectio conjunctionis: se habet hoc sicut cibus aut panis quod desiderent aquam aut vinum, conjunctionis causa, conjuncta enim nutriunt; se habet quoque sicut lux et calor, lux conjuncta calori producit et vegetat omnia in tellure, at si dissipatur conjunctio, perit quod productum ac vegetatum est. Sicut se habet cum bono, ita se habet cum omni jucundo, amoeno, dulci, consentiente et harmonico, illa non talia sunt ex se, sed ex illis quae insunt, conjunctio facit ut talia sint, et secundum conjunctionem sunt; quae autem inibi se referunt ad bonum, et quae ad verum, intelligentes scire possunt, si expendunt; nam omnia quaecunque in mundo sunt, et quaecunque in coelo, ita quae in universo, se referunt ad bonum et ad verum; omne productum ab illis ad utrumque simul, ita ad conjunctionem eorum; inde est, quod Antiqui omnia assimilaverint conjugiis, videatur n: 54. 55. 1432. 5194. 7022, et quod in singulis Verbi sit conjugium boni et veri, n: 683. 793. 801. 2516. 2712. 4138 fin: 5138. 5502. 6343. 7945. 8339 fin.

9207. Et filii vestri orphani, quod significet quod simul tunc vera, nempe peribunt, constat ex significatione orphanorum, quod sint qui in vero et nondum in bono, et usque desiderant bonum, de qua n: 9198, hic qui in vero sed non desiderant bonum, ita apud quos pereunt, nam dicitur de malis, quorum filii fient orphani. Quod vera pereant apud illos qui non desiderant bonum, patet ab illis quae mox supra n: 9206, [95] de Conjunctione boni et veri dicta sunt. Quomodo cum illa conjunctione se habet, porro dicendum est; vera quae conjuncta bono sunt, in se semper desiderium faciendi bonum habent, et simul per id se arctius conjungendi cum bono; seu quod idem, illi qui in veris sunt, semper desiderant facere bonum, et sic

conjungere id suis veris; quapropter qui credunt se in veris esse, et non desiderant facere bonum, illi non in veris sunt, hoc est, in fide illorum, utcunque putant quod sint: hoc describitur a Domino per Salem, apud Matthaeum „*Vos estis sal terrae*, quod si *sal infatuetur, per quid salietur*, ad nihil conducet amplius, nisi ut projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus" V: 13. 14, haec dicit Dominus ad discipulos et ad populum; per salem terrae intelligitur verum Ecclesiae, quod desiderat bonum; per salem infatuatum intelligitur verum absque desiderio ad bonum; quod tale verum ad nihil prosit, describitur per quod sal infatuatum ad nihil conducat amplius, nisi ut projiciatur foras et conculcetur: desiderare bonum est desiderare facere bonum, et sic conjungi bono. Apud Marcum „*Omnis igne salietur*, et omne sacrificium *sale salietur: bonum est sal*, si autem *sal insulsum fit*, quonam id condietis: *habete in vobis salem*, et pacem colite inter vos invicem" IX: 49. 50, igne saliri est desiderium boni ad verum, et sale saliri, est desiderium veri ad bonum; sal insulsum est verum absque desiderio ad bonum; habere in se salem est id desiderium. Apud Lucam „Omnis ex vobis qui non abnegat omnes suas facultates, non potest meus esse discipulus: *bonum sal est, si vero sal infatuatum fuerit*, per quid condietur; neque in terram, neque in sterquilinium commodum est, foras projiciunt id" XIV: 34. 35, hic similiter sal pro vero desiderante bonum; et sal infatuatum pro vero quod est absque desiderio ad bonum; non commodum in terram nec in sterquilinium, pro quod prorsus non conducat ad aliquem usum, neque bonum neque malum; qui sunt in tali vero, sunt qui vocantur tepidi, quod patet ab illis quae praecedunt „quod non discipulus Domini esse possit, qui non abnegat omnes suas facultates," hoc est, qui non amat Dominum supra omnia; qui enim amant Dominum, et quoque semet pari gradu, illi sunt qui vocantur tepidi, et qui non commodi sunt ad usum bonum nec ad usum malum. Apud Moschen „Omne munus minchae tuae *sale salietur:* nec cessare facies *sal foederis Dei tui* super mincha tua: [96] *super omni munere tuo offeres sal*" Levit: II: 13; quod in omni munere esset sal, significabat quod desiderium veri ad bonum ac boni ad verum esset in omni cultu; inde quoque sal illud vocatur sal foederis

Dei, foedus enim est conjunctio, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 2037. 6804. 8767. 8778, et sal est desiderium conjunctionis. Cum desiderat unum conjungi alteri reciproce, hoc est, bonum vero et verum bono, tunc se mutuo spectant; cum autem se divellit verum a bono, tunc se avertunt a se mutuo, et spectant retro aut post se; hoc significatur per uxorem Lothi factam statuam salis, apud Lucam „Quicunque erit super domo, et vasa illius in domo, ne descendito ad tollendum ea, et quicunque in agro similiter, *ne revertatur in quae post illum, mementote uxoris Lothi*" XVII: 31. 32, quod id sit spectare post se seu retro, videatur n: 8652. 5895 fin: 5897. 7857. 7923. 8505. 8506. 8510. 8516; quod sal significet desiderium veri, est quia sal fertilem reddit terram, et sapidum facit cibum, et quia sali [97] igneum et simul conjunctivum inest, sicut inest vero ardens desiderium ad bonum, et simul conjunctivum: statua salis est disjunctio a vero, nam sal in opposito sensu significat destructionem et vastationem veri, ut apud Zephaniam Cap: II: 9. apud Ezechielem Cap: XLVII: 11. apud Jeremiam Cap: XVII: 6. apud Davidem Psalm: CVII: 33. 34. In Deuteron: Cap: XXIX: 22. in Libro Judicum Cap: IX. 45; et in Libro II Regum Cap: II: 19 ad 22. Haec allata sunt, ut sciatur quid intelligitur per desiderium Veri ad [98] bonum, et per desiderium boni ad verum, quae per orphanum et per viduam significantur.

9208. [99] Vers: 24. 25. 26. *Si argentum mutuo dederis populo meo, egeno cum te, non eris ei sicut foenerator, non ponetis super illum usuram. Si oppignerando oppigneraveris vestem socii tui, usque ad intrare solis restitues illam ei. Quia illa tegumentum ejus solum, illud vestis ejus cuti ejus, in qua dormiat; et erit, quando clamaverit ad Me, et audiam, quia misericors Ego.* Si argentum mutuo dederis populo meo egeno cum te, significat instructionem eorum qui in ignorantia veri et usque in desiderio discendi: non eris sicut foenerator, significat quod ex charitate id fiet: non ponetis super illo usuram, significat quod non propter lucrum inde: si oppignerando oppigneraveris vestem socii tui, significat si verum scientificum per fallacias ex sensualibus disparetur: usque ad intrare solis restitues ei, significat quod restituendum ante statum umbrae ex jucundis

amorum externorum: quia illa integumentum ejus solum, significat quia sensualia interioribus substrata sunt: illud vestis ejus cuti ejus, significat quod etiam exteriora investiant: in qua dormiat, significat quietem super illis: quando clamaverit ad me, significat supplicationem ad Dominum: et audiam, significat opem: quia misericors Ego, significat, quod ex Ipso omne opis ex misericordia.

9209. Si argentum mutuo dederis populo egeno cum te, quod significet instructionem illorum qui in ignorantia veri et usque in desiderio discendi, constat ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2048. 2954. 5658. [100] 6112. 6914. 6917. 7999. 8932; ex significatione mutuo dare, quod sit communicare bona coeli ex affectione charitatis, de qua n: 9174, ita instruere; ex significatione populi, quod sint qui in veris, hic in ignorantia veri, quia dicitur populus egenus; quod populus dicantur qui in veris, videatur n: 1259. 1260. 2928. 3295. 3581. 7207; et ex significatione egeni, quod sint qui in ignorantia veri, et usque in desiderio discendi, hi enim in egestate spirituali sunt, qui instruendi. In Verbo frequenter dicitur, quod benefaciendum pauperibus et egenis; qui in veris externis sunt, et nondum initiati veris internis, credunt quod benefaciendum quibuscunque qui alicujus opis indigent, imprimis mendicis, qui se prae aliis pauperes vocant; qui hoc faciunt ex obedientia, quia ita mandatum est, bene faciunt, nam per id externum initiantur in internum charitatis et misericordiae; internum charitatis et Misericordiae est perspicere quinam et quales sunt quibus benefaciendum est, et quomodo cuivis; qui tandem in internum charitatis et misericordiae initiati sunt, sciunt quod ipsum internum sit bene velle et benefacere Interno homini, ita cum talibus quae ad vitam spiritualem conducunt, et quod externum sit benefacere Externo homini, ita cum talibus quae ad vitam corpoream conducunt; sed hoc usque semper cum hac prudentia, ut cum benefit Externo, etiam tunc simul benefiat Interno; nam qui benefacit Externo et malefacit Interno, is non charitatem exercet, quapropter cum unum fit alterum spectabitur. Externum charitatis est, quod describitur in sensu Verbi externo seu literali per quod benefaciendum sit pauperibus et egenis; at Internum charitatis est quod describitur in

sensu Verbi interno seu spirituali; in hoc enim sensu intelligitur Internus homo qui in paupertate et egestate est, cui benefaciendum; nam per pauperes et egenos in illo sensu intelliguntur qui in defectu et ignorantia boni et veri sunt, et usque desiderant bonum et verum; quomodo his opitulandum sit, Verbum etiam docet in litera, imprimis Verbum, quod Ipse Dominus docuit cum fuit in mundo, nam Dominus tunc aperuit talia quae Interni hominis sunt, ut patet ubivis apud Evangelistas; sed usque ita loquutus est, ut singula simul sensum internum haberent, qui pro Angelis, et simul pro Internae Ecclesiae homine; nam sensus internus continet talia, quae genuina Doctrina Ecclesiae docet; sint pro exemplo illa, quae Dominus loquutus est ad discipulos a Johanne Baptista missos, quaerendi causa, num Dominus esset qui venire deberet; quibus responsum est „ Euntes renuntiate Johanni, quae videritis et audiveritis, quod caeci videant, claudi ambulent, leprosi mundentur, surdi audiant, *pauperibus Evangelium praedicetur* " Luc: VII: 20. 22; [101] haec pro Externo et simul Interno homine dicta sunt; pro *Externo*, quod talia miracula facta sint; pro *Interno*, quod Ecclesia instauretur apud tales, qui in spirituali sensu sunt caeci, claudi, leprosi, surdi, et pauperes; ita apud gentes quae in ignorantia boni et veri sunt, et usque desiderant ea; caeci enim dicuntur qui in ignorantia veri, n: 6990; claudi qui in bono sed non genuino propter ignorantiam veri, n: 4302; leprosi qui immundi, et usque desiderant mundari; surdi qui non in fide veri, quia non in perceptione ejus; pauperes autem qui Verbum non habent, et sic nihil de Domino sciunt, et usque desiderant instrui; inde dicitur quod his Evangelium praedicetur. Quod per pauperes et egenos in sensu interno intelligantur, qui extra Ecclesiam in ignorantia veri sunt, quia non habent Verbum, et tamen desiderant instrui, et per id quod sciunt usque in pauco bono sunt; et intra Ecclesiam qui ex varia causa ignorant verum, sed usque ex aliquo bono desiderant illud, constat ex locis, ubi pauperes et egeni in Verbo nominantur, ut apud Davidem „ Ego *Egenus et Pauper;* Deus festina mihi, auxilium meum et ereptor meus, Jehovah " Psalm: LXX: 6, haec loquutus est David, qui non pauper et egenus erat, ex quo patet, quod intellecta sit paupertas et egestas spiritualis: similiter alibi

„Ego *Egenus* et *Pauper*, Domine, memento mei, auxilium meum et ereptor meus" Psalm: XL: 18. Apud Eundem „Deus judicabit populum suum in justitia, et *Egenos suos* in judicio; ferent montes pacem populo, et colles in justitia; judicabit *Egenos populi*, servabit *filios pauperis*, conteret oppressorem" Psalm: LXXII: 2. 3. 4; egeni hic sunt qui in egestate spirituali, et sic in fame, hoc est, in desiderio velle veris instrui. Apud Eundem „Omnia Ossa mea dicant, Jehovah, quis sicut Tu, eripiens *Egenum* a validiori illo, ac *Egenum* et *Pauperem* a spoliantibus illum" Psalm: XXXV: 10, Ossa sunt vera scientifica, n: 8005, egeni hic pro illis qui in pauco vero sunt, et pauperes pro illis qui in pauco boni, ac infestantur a malis et falsis, ex infestationibus illis etiam egeni sunt afflicti in Lingua originali, nam affligi est infestari a falsis, n: 9196. Similiter apud Eundem „Impius in tentorio insidiatur ad rapiendum *Egenum*, rapit *Egenum*, et trahit eum in rete suum" Psalm: X: 9. Apud Esaiam „Nonne hoc jejunium, frangere famelico panem, et *Egenos* exules [102] introducere domum" LVIII: 7. 8. Apud Eundem „Consolatus est Jehovah populum suum, et *Egenorum suorum* miserebitur" XLIX: 13. Apud Zephaniam „Relinquam in medio tui *populum egenum* et tenuem, qui sperant in Nomine Jehovae" III: 12, in his locis egeni sunt qui in ignorantia Veri sunt et desiderant instrui.

9210. Non eris sicut foenerator, quod significet quod ex charitate id fiet, constat ex significatione foeneratoris, quod sit qui bonum facit propter lucrum; nam foenerator concredit pecunias alteri propter usuram, et fert opem alteri propter remunerationem; et quia genuina charitas non spectat lucrum aut remunerationem ut finem, sed bonum proximi, ideo per non eris sicut foenerator, significatur quod ex charitate id fiet. Qui non scit, quid charitas Christiana, is potest credere, quod non modo sit dare egenis et pauperibus, sed etiam facere bonum concivi, patriae ac Ecclesiae, propter quamcunque causam, seu ex quocunque fine; sed sciendum, quod finis sit qui qualificat omnia facta hominis; si finis seu intentio sit facere bonum propter famam, ut aucupetur honores aut lucrum, tunc bonum quod facit non est bonum, quia est propter se, ita quoque ex se; at si finis est facere bonum propter concivem, vel patriam,

vel Ecclesiam, ita propter proximum; tunc bonum quod facit est bonum, nam est propter ipsum bonum, quod in genere est ipse proximus, n: 5025. 6706. 6711. 6712. [103] 8123; sic etiam est propter Dominum, nam tale bonum non est ab homine sed a Domino, et quod a Domino est, hoc Domini est: hoc bonum est quod intelligitur a Domino apud Matthaeum „Quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis" XXV: 40. Sicut se habet cum bono, ita quoque se habet cum vero, qui faciunt verum propter verum, illi quoque faciunt propter Dominum, quia ex Domino; facere verum propter verum, est facere bonum; nam verum fit bonum cum ab intellectuali intrat in voluntatem, et a voluntate exit in actum. Facere ita bonum est Charitas Christiana. Qui bonum ex Charitate Christiana faciunt, illi quandoque spectant famam inde propter honorem aut propter lucrum: sed prorsus aliter quam qui pro fine illa spectant; spectant enim bonum ac justum ut essentiale ac unicum, ita in supremo loco, et tunc lucrum et honorem, et propter illa famam, ut non essentialia respective, ita in infimo loco; qui tales, cum in intuitione justi ac boni sunt, sunt sicut qui in praelio pugnant pro Patria, et tunc nihil curant vitam, ita nec suam dignitatem ac suas opes in mundo, quae tunc nihili sunt respective; at qui spectant se et mundum primo loco, illi sunt tales ut ne quidem videant justum et bonum, quia in intuitione sui et lucri sunt. Ex his patet, quid sit facere bonum propter se aut mundum, et quid facere bonum propter Dominum aut proximum, et quae differentia inter illa, differentia est tanta, quanta inter duo opposita, ita quanta inter coelum et infernum; etiam qui propter proximum aut Dominum faciunt bonum, illi in coelo sunt; at qui propter se et mundum, illi in inferno sunt; nam qui propter proximum et Dominum bonum faciunt, amant Dominum supra omnia et proximum sicut seipsum, quae praecepta sunt primaria omnium praeceptorum, Marc: XII: 28. 29. 30. 31; at qui propter se et mundum omnia faciunt, illi amant se super omnia, ita prae Deo, et proximum non modo contemnunt, sed etiam odio habent si non unum faciat secum, et suus sit: hoc intelligitur per quod Dominus docet apud Matthaeum „Nemo potest duobus dominis servire, nam aut unum odio habebit, et alterum amabit; aut uni adhaerebit et alterum

contemnet, non potestis Deo servire et mammonae » VI: 24. Sunt qui utrisque serviunt, sed illi sunt qui vocantur tepidi, neque frigidi neque calidi, qui expuuntur, Apoc: III: 15. 16. Ex his nunc patet, quid repraesentatum sit per foeneratores qui usuram ceperunt, quod nempe illi qui propter lucra bonum faciunt; inde liquet unde hoc, quod non esset sicut foenerator, et super fratrem poneret usuram, ut quoque alibi apud Moschen „*Non impones fratri tuo usuram argenti, usuram cibi, usuram ullius* [104] *rei*, quae imponitur: Alienigenae impones *usuram;* ut benedicat tibi Jehovah Deus tuus in omni missione manus tuae super terra, qua tu veniens ad possidendum eam » Deut: XXIII: 20. 21. Levit: XXV: 36. 37. 38; imponere fratri usuram argenti, est propter lucrum commodare vera, seu instruere; imponere usuram cibi est propter lucrum commodare bona veri; argentum enim est verum, n: 1551. 2954. 5658. [105] 6914. 6917; et cibus est bonum veri, n: 5147. 5293. 5340. 5342. 5576. 5410. 5426. 5487. 5582. 5588. 5655. 5915. 8562; [106] quod illis qui non id faciunt, benedicat Jehovah in omni missione manus eorum in terra, est quod illi in affectione boni et veri sint, ita in felicitate quae est angelis in coelo, nam in illa affectione seu in bono illius amoris est coelum homini, n: 6478. 9174; quod alienigenis licuerit usuram imponere, erat quia per alienigenas significantur qui non aliquid boni ac veri agnoscunt et recipiunt, n: 7996, ita qui solum lucri causa bonum faciunt, illi servient homini, quia servi sunt respective, n: 1097. Apud Davidem „Qui ambulat integer, et qui facit justitiam, et loquitur veritatem in corde suo, *argentum suum non dat in usuram*, et munus contra innocentem non accipit; qui fecerit hoc, non dimovebitur in aeternum » Psalm: XV: 2. 5, argentum suum dare in usuram, est solius lucri causa docere, ita bonum facere propter remunerationem: similiter apud Ezechielem „Vir justus qui facit judicium et justitiam, *in usuram non dat, et foenus non accipit* » XVIII: 8. Apud Eundem „Qui ab egeno [107] inhibet manum suam, *usuram* et *foenus non accipit*, judicia mea facit, in statutis meis ambulat, vivendo vivet » XVIII: 17. Apud Eundem „Donum [108] acceperunt in te ad effundendum sanguinem, *usuram et foenus accepisti*, et *lucrum captasti* a sociis tuis per violentiam » XXII: 12, haec de urbe san-

guinum, per quam significatur falsum destruens verum et bonum, n: 9127; usuram et foenus accipere, est lucri ac remunerationis causa bonum facere, ita non ex charitate: quod genuina charitas sit absque meritorio, videatur n: 2371. [109] 2373. 2400. 4007. 4174. [110] 4943. 6388. 6389. 6390. 6392. 6478.

9211. Non ponetis super illo [111] usuram, quod significet quod sic non propter lucrum inde, constat ex significatione ponere usuram super aliquo, quod sit bonum propter lucrum facere, de qua nunc supra n: 9210, hic non propter lucrum, quia dicitur non ponetis super eo usuram. Ex hac Lege de foenore et usura, videri potest, quomodo se habet cum Legibus, quae Judicia vocatae sunt, apud populum Israëliticum, quod nempe cessaverint, una cum Sacrificiis et reliquis ritualibus, cum Dominus in mundum venit, et aperuit interiora cultus, et in genere interiora Verbi: interiora illius Legis sunt, quod bonum faciendum proximo ex corde, et credendum quod nihil meriti insit factis quae ex se, sed modo factis quae sunt ex Domino apud se; Ipse enim Dominus solus meruit, et solus justitia est; et cum homo hoc credit, in factis a se nihil meriti ac mercedis ponit, sed tribuit omnia bona Domino; et quia Dominus ex Divina Misericordia id facit, tribuit homo omnia soli Misericordiae: inde quoque est, quod qui ducitur a Domino, prorsus nihil cogitet de mercede, et usque ex corde bonum facit proximo. Haec sunt interiora, ex quibus Lex de Usuris apud Gentem Israëliticam et Judaicam descendit; quapropter cum homo in interioribus est, cessat illa lex, una cum similibus aliis, quae Judicia dicta sunt; nam Gens Israëlitica et Judaica fuit solum in externis, quae repraesentabant interna; inde Lex illa obstrinxit illam gentem tunc, non autem obstringit Christianos, quibus interiora a Domino revelata sunt. Quod ita sit, novit homo Ecclesiae hodie, quapropter Leges usurariae prorsus aliae sunt hodie. Sed usque non ideo sanctitas Legis hujus cessat, seu Verbum hoc abrogatum est, nam sanctitas ejus manet ex interioribus quae in illa; interiora haec sancta usque afficiunt Angelos, cum hoc Verbum legitur. Caveant tamen sibi, ne Leges vitae, quales sunt in Decalogo, et passim alibi in Veteri Testamento, credantur abrogatae, illae enim tam in interna quam in externa forma confirmatae sunt, ex causa quia separari non possunt.

9212. Si oppignerando oppigneraveris vestem socii tui, quod significet si vera scientifica per fallacias ex sensualibus disparentur, constat ex significatione oppignerare, quod sit pro communicatis bonis tesseram recipere, pignus enim est tessera pro bonis quae mutuo dantur; quum loco horum spiritualia intelliguntur, tunc communicare bona est instruere in veris, ac tessera seu pignus hic est verum sensuale, nam per vestem hic, quae pignori datur, significatur ultimum naturalis, quod est sensuale; hoc quia abundat fallaciis, et fallaciae vera exstinguunt, ideo per oppignerare vestem socii tui, significatur disparatio verorum per fallacias ex sensualibus: quod haec significentur, constat ex serie rerum sequentium in sensu interno. Per Vestem in genere significatur omne id quod alterum investit, ita quicquid respective exterius est; inde externus seu naturalis homo vocatur vestis respective ad internum seu spiritualem; similiter Verum vocatur vestis respective ad bonum, quia verum investit bonum; pariter verum scientificum respective ad verum fidei quod interni hominis est: sensuale quod est ultimum vitae apud hominem est Vestis respective ad verum scientificum. Quod vestes sint inferiora quae tegunt superiora, seu quod idem, quod sint exteriora quae tegunt interiora, videatur n: 2576. 5248: in genere quod sint vera, n: 4545. 4763. 5319. 5954. 6914. 6917. 9093: quod sint vera scientifica, n: 6918: et quod sint sensualia, n: 9158: quod sensuale sit ultimum vitae apud hominem, n: 4009. 5077. 5125. 5128. 5767. 5774. 6201. 6318. 7442. 7693: et quod sensuale in fallaciis sit, n: 5084. 5089. 6201. 6948. 6949. 7442. Quod Vestes sint Vera, ducit originem ex repraesentativis in altera vita; ibi Angeli et Spiritus apparent vestibus induti secundum status fidei seu veri in quo sunt; et vestes illorum variantur secundum mutationes status illius; qui in genuino vero sunt, induti apparent vestibus albis; et qui in veris ex bono, vestibus splendentibus; qui autem solum in bono, ut Angeli intimi coeli, qui Coelestes vocantur, apparent nudi: inde nunc est, quod Vestes sint vera; et quod per Vestes in Verbo significentur Vera; ut constare potest ex locis prius ostensis, quibus adjicere licet haec apud Evangelistas; apud Matthaeum „Cum Jesus transformatus est, splenduit facies Ipsius sicut Sol, et *vestimenta Ipsius facta sunt sicut Lux*"

XVII: 2, per faciem in Verbo significantur interiora, imprimis affectiones, n: 358. 1999. 2434. 3527. 3573. 4066. 4796. 4797. 5102. 5695. 6604. 6848. 6849; et per faciem Dei, Ipsum Bonum, n: 222. 223. 5585; per solem Amor Divinus, n: 2441. 2495. 3636. 3643. 4060. 4321 fin: 4696. 7083. 8644; inde patet quid significat quod Dominus splenduerit facie sicut sol, quod nempe Interiora Ipsius essent Bonum Divini Amoris: quod Vestimenta Ipsius facta sint sicut Lux, significat Divinum Verum procedens ab Ipso, hoc quoque in Coelo apparet ut Lux, n: 1521. 1619 ad 1632. 3195. 3222. 3485. 3636. 3643. 4415. 5400. 8644. Apud Eundem „Cum Jesus appropinquavit ad Hierosolymam, adduxerunt asinam et pullum, et *imposuerunt super eos vestimenta sua*, et collocarunt Ipsum super illa: plurima autem turba *straverunt vestimenta sua in via;* alii vero amputabant ramos de arboribus, et sternebant in via" XXI: 1. 7. 8; equitare super Asina et pullo ejus, erat repraesentativum Summi Judicis et Regis, videatur n: 2781; ut quoque patet ab illis quae Vers: 5 praecedunt „dicite filiae Zionis, ecce *Rex tuus* venit tibi mansuetus, sedens super Asina, et super pullo filio subjugalis:" tum quoque apud Marcum Cap: XI: 1 ad 12. apud Lucam Cap: XIX: 28 ad 41. apud Johannem Cap: XII: 12 ad 16. apud Sachariam, Cap: IX: 9, 10, ubi de Domino dicitur quod equitaret super Asino et super asello filio asinarum, et ibi vocatur Rex, et adjicitur quod dominium Ipsius erit a mari usque ad mare, et a fluvio usque ad fines terrae; quod summus Judex equitaverit super Asina, et filii ejus super asellis, videatur Judic: V: 9. 10. Cap: X: 3. 4. Cap: XII: 14; et quod Rex equitaverit super mula, et filii regis super mulis, I Reg: I: 33. 38. 44. 45, II Sam: XIII: 29: quod discipuli imposuerint asinae et pullo ejus sua vestimenta, repraesentabat quod Vera in omni complexu Domino ut Summo Judici et Regi substrata essent, discipuli enim repraesentabant Ecclesiam Domini quoad vera et bona, videatur n: 2129. 3488. 3858 fin: 6397; et vestimenta eorum ipsa vera, n: 4545. 4763. 5319. 5954. 6914. 6917. 9093; similiter quod turba sterneret vestimenta sua in via, et quoque ramos arborum; quod straverint in via, erat quoque quia per viam significatur verum per quod homo Ecclesiae ducitur, videatur n: 627. 2333. 3477; quod

etiam straverint ramos arborum, erat quia arbores significabant perceptiones ut et cognitiones veri et boni, n: 2682. 2722. 2972. 4552. 7692, inde rami sunt ipsa vera: quod ita factum sit, etiam fuerat ex solenni ritu, cum in sua pompa equitaverunt summi Judices et Reges, quorum tunc asinabus et mulis vestimenta sua imponebant principes populi, et ipse populus sternebat sua vestimenta super via, aut loco illorum ramos arborum; nam Judiciale in coelo est Divinum Verum ex Bono, et Regium est Divinum Verum, n: 1728. 2015. 2069. 3009. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148. Apud Lucam „*Nemo adjectionem vestimenti novi adjicit in vestimentum vetus;* sic novum scindit, et veteri non convenit commissura e novo" V: 36; Dominus hac similitudine usus est, ad describendum Verum Ecclesiae novae, et Verum Ecclesiae veteris, nam Vestimentum est Verum; assuere vel committere unum alteri est destruere utrumque; verum enim Ecclesiae novae est interius verum, ita verum pro interno [112] homine, at verum Ecclesiae veteris est exterius verum, ita verum pro Externo [113] homine, in hoc Vero erat Ecclesia Judaica, haec enim per externa repraesentabat interna, at Ecclesia hodie est in veris internis, quae repraesentabantur, nam Dominus illa vera revelavit; quod haec non conveniant externis ut simul sint, significatur per illa Domini verba: inde quoque patet, quod Vestimentum significet Verum Ecclesiae. Apud Johannem „Jesus dixit ad Petrum, amen, amen, dico tibi, cum eras puer, *cingebas lumbos tuos*, et ambulabas quo volebas; cum autem senueris, extendes manum tuam, *alius accinget lumbos tuos*, et ducet quo non vis" XXI: 18, qui non sensum internum Verbi novit, non scire potest quid haec involvunt; quod arcana sint, patet; in sensu interno per Petrum significatur fides Ecclesiae, videatur Praefatio ad Cap: XVIII et XXII Genes: et n: 3750. 6000. 6073 fin: 6344 fin: inde per Petrum cum puer significatur fides Ecclesiae qualis est in suo initio; et per Petrum cum senex, fides Ecclesiae qualis est in suo fine; inde patet, quid significat „cum eras puer, cingebas lumbos tuos et ambulabas quo volebas, quod nempe fides Ecclesiae in suo initio sit fides veri ex bono, ita fides charitatis erga proximum et amoris in Dominum, et quod tunc homo Ecclesiae ex libero bonum agat, quia ex Domino, lumbi enim sunt

bona amoris, n: 3021. 3294. 4280. 4575. 5050 ad 5062, inde cingere lumbos est investire bonum veris; ambulare est vivere, n: 519. 1794. 8417. [114] 8420, inde ambulare quo vult, est vivere in libero; illi enim in libero vivunt, seu ex libero agunt, qui in fide sunt ex amore in Dominum ac charitate erga proximum, nam illi a Domino ducuntur, n: 892. 905. 2870 ad 2893. 6325. 9096: cum senueris, extendes manus tuas, et alius accinget lumbos tuos, et ducet quo non vis, significat quod fides Ecclesiae in fine suo nulla erit, et quod tunc falsa mali ex amoribus sui et mundi succedent, ac servituti subjicient. Hoc arcanum est, quod in his Domini verbis latet, quod solum ex sensu eorum interno videri potest. Inde iterum patet, quomodo Dominus loquutus est, quod nempe ut singulis inesset sensus internus; ob finem, ut coelum conjunctum esset mundo per Verbum, nam absque Verbo nulla conjunctio, hoc est absque Divino Vero revelato; et si nulla conjunctio, perit Genus humanum.

9213. Usque ad intrare solis restitues ei, quod significet quod restituendum ante statum umbrae ex jucundis amorum externorum, constat ex significatione intrare seu occidere solis, quod sit status umbrae ex jucundis amorum externorum. Cum hoc ita se habet; in coelo sunt vicissitudines caloris quoad illa quae boni amoris sunt, et lucis quoad illa quae veri fidei, ita vicissitudines amoris et fidei; in inferno etiam sunt vicissitudines, sed illis oppositae, quia ibi amoris mali et fides falsi: illae vicissitudines correspondent vicissitudinibus temporum anni in terra, quae sunt Ver, Aestas, Autumnus, et Hyems, ac iterum ver, et sic porro; sed in mundo spirituali pro temporibus sunt status, nam non sunt vices caloris et lucis, sed amoris et fidei: ast sciendum, quod vicissitudines illae non sint similes uni sicut alteri, sed differunt apud unumquemvis secundum statum ejus vitae acquisitum in mundo: occasus solis in coelo correspondet statui umbrae quoad vera fidei, et statui frigoris quoad bonum amoris in Dominum et erga proximum; veniunt enim tunc in jucunda amorum externorum, quae secum habent umbram quoad fidem; nam cum Angelus aut Spiritus in externis est, etiam in umbra est; cum autem in internis est, tunc in jucundis et beatis amorum coelestium est, et simul tunc in amoe-

nis fidei, seu in luce veri; hi status sunt, quibus correspondent tempora verna et tempora aestiva in terra: ex his nunc constare potest, unde est, quod intrare seu occidere solis significet statum umbrae ex jucundis amorum externorum; de his vicissitudinibus videantur quae prius n: 5097. 5672. 5962. 6110. 7083. 8426. 8615. 8644. 8812, ostensa sunt. Ex supra dictis videri potest, quid intelligitur per quod vera scientifica per fallacias ex sensualibus disparata, restituenda sint ante statum umbrae ex jucundis amorum externorum, quae significantur per si oppigneraveris vestem socii tui, usque ad intrare solis restitues ei: intelligitur enim, quod vera per fallacias ablata restituenda sint, cum homo adhuc in luce veri est, nam tunc recuperare illa potest et quoque discutere falsa per fallacias inducta; non autem cum in statu umbrae est ex jucundis amorum externorum, quia jucunda haec rejiciunt illa, et umbra non recipit illa, ita fallaciae inhaerent et appropriantur. Quod jucunda externa seu externi hominis talia sint, est quia illa cohaerent mundo, et quoque excitantur et quasi vivificantur ex ejus calore; aliter jucunda aut beata interna seu interni hominis, ea cohaerent coelo, et quoque excitantur et vivificantur ex ejus calore, qui est amor a Domino. Hoc judicium seu haec lex traditur ita alibi apud Moschen „*Non pignori accipies molam aut molarem*, nam animam ille accipit in pignus" Deut: XXIV: 6; per molam significantur talia quae inserviunt comparandae fidei et dein charitati, n: 7780, et per animam vita fidei ex charitate, n: 9050; inde patet quid sit pignori non accipere molam, nam animam accipit in pignus: apud Eundem „Non inclinabis jus peregrini et orphani, *nec pignori accipies vestem viduae*" Deut: XXIV: 17, pignori accipere vestem viduae, est vera quae bonum desiderant auferre quocunque modo; vestis enim est verum, ut supra n: 9212, [115] et vidua est quae in bono et desiderat vera, seu in sensu abstracto, bonum desiderans vera, n: 9198, nam si verum aufertur, perit bonum cum suo desiderio: et apud Eundem „Si mutuo dederis socio tuo aliquid, non intrabis in Domum ejus ad capiendum pignus, foris stabis; vir autem cui tu mutuo dederas, educet pignus foras. Si vir egenus ille, *non cubabis in pignore ejus*, restituendo restitues illi pignus *juxta occidere solis, ut cubet in veste sua*, et benedicat tibi, et erit ju-

stitia coram Deo tuo » Deut: XXIV: 10. 11. 12. 13; quod Creditor foris staret, et educeretur ad illum pignus, significat quomodo veris communicatis respondendum est, nam per mutuo dare significatur communicatio veri, et per pignus sumere, responsum; quod haec significentur, nemo scire potest nisi ex talibus quae fiunt in altera vita, ita nisi sciat quid sit intrare in domum, et quid sit foris stare, et sic quid sit educere foras; qui in altera vita intrant in domum alterius, et in uno conclavi colloquuntur, illi ita communicant sua cogitata cum omnibus ibi, ut prorsus non sciant aliter quam quod ipsi ex se illa cogitent; at si foris stant, tunc cogitata quidem percipiuntur, sed sicut ab alio, et non a se: hoc omni die fit in altera vita; quare qui ab una opinione seu ab una sententia sunt, apparent simul in una domo, et magis si in uno conclavi domus; et cum iidem dissentiunt, tunc disparantur ab oculis eorum, [qui] dissentiunt: tales apparentiae sunt ubivis et jugiter in altera vita; causa est, quia paritas cogitationum conjungit, et praesentiam sistit, cogitatio enim est visus internus, et distantiae locorum ibi non sunt sicut in mundo: Inde patet, quid sit non intrare in domum, sed foris stare et sumere pignus, quod nempe sit, non obstringere aut incendere alterum ad confirmanda sua vera, sed audire et capere responsa, qualia sunt in ipso; nam qui obstringit et incendit alterum ad confirmanda sua vera, is facit ut alter non cogitet aut loquatur ex se, sed ex illo; et cum quis ex alio cogitat et loquitur, disturbantur vera quae apud illum, et tamen non emendatur; nisi sit apud talem qui adhuc ignorat illa. Ex his iterum liquet, quod in singulis Verbi sint, quae correspondent talibus quae in mundo spirituali sunt.

9214. Quia illa tegumentum ejus solum, quod significet quia sensualia interioribus substrata sunt, constat ex significatione tegumenti seu vestis, quod sit sensuale, de qua supra n: 9212; quod sensuale interioribus substratum sit, quia ultimum vitae hominis est, videatur etiam ibi.

9215. Illud vestis ejus cuti ejus, quod significet quod etiam exteriora investiant, constat ex significatione vestis, quod sit sensuale in communi, seu sensualia, ut supra; et ex significatione cutis, quod sit exterius, quod quoque investit interiora, sed usque intra sensuale; quid cutis, et quinam correspondent

cuti in altera vita, videatur n: 3540. 5552 ad 5559. [116] 8977. 8980. Naturale hominis est interius, est exterius seu medium, et est extremum; interius naturale communicat cum coelo; medium seu exterius naturale communicat ab una parte cum interiori, et per id cum coelo, et ab altera parte cum extremo, et per id cum mundo, videatur n: 4009. 4570. 5118. 5126. 5497. 5649. 5707; Naturale extremum est sensuale, quod hic significatur per vestem; hoc recipit objecta mundi, et sic inservit interioribus; hoc tegumentum solum vocatur, quia est ultimum, ita commune omnibus; naturale exterius seu medium est quod significatur per cutem. Inde patet, quod per *vestis ejus cuti ejus*, significetur quod sensuale etiam investiat exteriora. Quod sensuale sit ultimum vitae hominis, ita tegumentum commune, videatur n: 4009. 5077. 5125. 5128. 5767. 5774. 6201. 6313. 7442. 7693.

9216. In qua dormiat, quod significet quietem super illis, constat ex significatione dormire, quod sit quiescere, hic super sensuali externo, quod significatur per vestem, n: 9212, nam dicitur vestis in qua dormiat. Quomodo intelligendum est, quod interiora quietem habeant super sensuali, dicetur; sensuale est ultimum vitae hominis, ut supra ostensum est, quod ultimum est, hoc continet omnia interiora, et est commune eorum, nam in illud desinunt, ac ita super quo quiescunt: sicut pro exemplo Cutis, quae ultimum tegumentum corporis est, in illam desinunt interiora corporis, quia continet illa, ita quoque quiescunt super illa; similiter in corpore Peritonaeum, hoc quia continet viscera abdominis, etiam haec quiescunt super illo, et quoque nexum communem habent cum illo; pariter Pleura respective ad viscera thoracis. Similiter se habet cum omnibus quae ipsius vitae hominis sunt, prout cum illis, quae se referunt ad intellectuale ejus, et quae ad voluntarium; haec quoque succedunt ordine ab interioribus ad exteriora; exteriora sunt scientifica cum eorum amoenis; et extrema sunt sensualia quae communicant cum mundo, per visum, auditum, gustum, olfactum et tactum; super his quiescunt interiora, nam in illa desinunt: haec sunt quae in sensu spirituali significantur per tegumentum seu vestem, in qua dormiat. Quod sensualia sint Vestis aut tegumentum, est ex correspondentiis, nam ut supra n: 9212, di-

ctum est, Spiritus et Angeli apparent vestibus induti secundum vera fidei eorum, splendentibus qui in veris ex bono sunt, prout Angeli ad sepulchrum Domini, Luc: XXIV: 4. Matth: XXVIII: 3; et quoque byssinis albis, prout illi de quibus in Apocalypsi Cap: XIX: 14, ac vestibus varii coloris alii. Praeterea sciendum, quod omnia et singula a Primo seu Intimo progrediantur successive ad sua ultima, et ibi quiescunt; etiam priora seu interiora cum ultimis in successivo ordine nexum habent; quapropter si ultima disparantur, etiam interiora dissipantur; inde quoque sunt tres coeli, intimum seu tertium coelum influit in medium seu secundum coelum, medium seu secundum coelum influit in primum seu ultimum coelum, hoc iterum influit apud hominem, inde humanum genus est ultimum in ordine, in quod desinit, et in quo quiescit coelum: quapropter Dominus ex Divino suo semper providet, ut apud Genus humanum Ecclesia sit, in qua sit Verum Divinum revelatum, quod in nostra tellure est Verbum; per hoc datur continens nexus humani Generis cum coelis; inde est quod singulis Verbi sensus internus insit, qui pro Coelo, qui talis est, ut conjungat mentes angelicas mentibus humanis vinculo tam stricto, ut unum agant: inde iterum patet, quomodo se habet cum quiescentia interiorum super ultimis.

9217. Quando clamaverit ad Me, quod significet supplicationem ad Dominum, constat ex significatione clamare ad Jehovam, quod sit supplicatio ad Dominum, ut supra n: 9202.

9218. Et audiam, quod significet opem, ut quoque supra n: 9203.

9219. Quia misericors Ego, quod significet quod ab Ipso omne opis ex misericordia, constat ex significatione misericors esse, cum de Domino, quod sit quod ab Ipso omne opis; quod ex Misericordia, est, quia omnia quae a Domino, sunt ex misericordia; ipsum enim Esse Domini est Divinus Amor; et Amor vocatur Misericordia, cum erga illos qui in miseriis sunt, ita respective ad totum genus humanum, nam hoc in Miseriis constitutum est; proprium enim ejus non est nisi quam malum, n: 210. 215. 874. 875. 876. 987. 1581. 5660. 5786. 8480.

9220. Vers: 27. 28. 29. 30. *Deo non maledices, et principem in populo tuo non execraberis. Primitias frumenti tui, et primitias vini tui non tardabis; primogenitum filiorum tuo-*

rum dabis Mihi. Ita facies bovi tuo, gregi tuo, septem diebus erit cum matre sua, die octavo dabis illud Mihi. Et viri sanctitatis eritis Mihi; et carnem in agro discerptam non comedetis, cani projicietis eam. Deo non maledices, significat quod non veris Divinis blasphemandum: et principem in populo tuo non execraberis, significat quod nec doctrinae veri: et primitias frumenti tui et primitias vini tui non tardabis, significat quod quia omnia bona et vera fidei sunt a Domino, Ipsi addicanda sint, non sibi: primogenitum filiorum tuorum dabis Mihi, significat omnia fidei quae per illa: ita facies bovi tuo, gregi tuo, significat quod ad bonum exterius et interius: septem diebus erit cum matre sua, significat statum illorum primum cum veris: die octavo dabis illud Mihi, significat principium status sequentis cum ex bono vivitur, quod tunc apud Dominum: et viri sanctitatis eritis Mihi, significat statum vitae tunc ex bono: et carnem in agro discerptam non comedetis, significat quod non conjungetur bonum fidei falsificatum: cani projicietis eam, significat quod immunda illa.

9221. Deo non maledices, quod significet quod veris Divinis non blasphemandum, constat ex significatione maledicere, quod sit blasphemare, nam qui blasphemant, illi maledicunt: quod sit quod non blasphemandum *Veris Divinis*, est quia Deus in sensu interno est Divinum Verum procedens a Domino, quapropter cum in Verbo agitur de Vero, Dominus vocatur Deus, et cum de Bono, vocatur Jehovah, n: 2769. 2807. 2822. 3921 fin: 4287. 4402. 7010. 7268. 8988. 9160, [117] inde angeli sunt vera, quia receptiones Veri Divini a Domino, n: 4295. 4402. 7268. 7873. 8301. 8867. 8192; et quoque Judices, n: 9160.

9222. Et principem in populo tuo non execraberis, quod significet quod nec doctrinae veri, nempe blasphemandum, constat ex significatione principis, quod sint primaria vera Ecclesiae, de qua n: 5044; ex significatione populi, quod sint qui in veris doctrinae, de qua n: 1259. 1260. 2928. 3295. 3581. 7207; et ex significatione execrari, quod sit blasphemare. Quomodo haec cohaerent, patet a sensu interno, nam per non maledicere Deo, significatur non blasphemare Verum Divinum, et per execrari principem significatur non blasphemare doctrinam

veri; Verum Divinum est Verbum, et doctrina Ecclesiae est Verum inde. Paucis licet dicere, quomodo se habet cum blasphematione Veri Divini; Verum Divinum est Verbum, et est doctrina e Verbo; qui haec negant corde, illi blasphemant, etiamsi ore id laudant et praedicant; latet in negatione blasphemia, quae etiam erumpit, cum sibi relicti cogitant, imprimis in altera vita, nam ibi remotis externis corda loquuntur. Qui blasphemant seu negant Verbum, illi nihil veri ac boni fidei possunt recipere, nam Verbum docet Dominum esse, Coelum et infernum esse, vitam post mortem esse, fidem et charitatem esse, et plura alia, quae absque Verbo seu revelatione prorsus non scirentur, n: 8944; quare qui negant Verbum, non recipere possunt aliquid quod Verbum docet, nam cum legunt illud, aut audiunt illud, occurrit negativum, quod vel exstinguit verum, vel vertit in falsum. Quapropter omnium primum apud hominem Ecclesiae est, credere Verbum, et hoc primarium est apud illum qui in vero fidei et bono charitatis est, at apud illos qui in malis amorum sui et mundi sunt, primarium est non credere Verbum, nam rejiciunt illud illico cum de eo cogitant, et quoque blasphemant: si videret homo quantae et quales blasphemiae contra Verbum sunt illis qui in malis illorum amorum sunt, horresceret; ipse homo, cum in mundo est, id non scit, quia latent post ideas cogitationis activae, quae abit in loquelam cum hominibus; at usque revelantur in altera vita, et apparent horrendae. Blasphemiae sunt duplicis generis, sunt quae ex intellectuali et non simul ex voluntario prodeunt, et sunt quae ex voluntario per intellectuale; hae blasphemiae sunt quae tam horrendae sunt, illae vero non: quae ex voluntario per intellectuale prodeunt, sunt ex malo vitae; at quae solum ex intellectuali et non simul ex voluntario, sunt ex falso doctrinae aut ex fallaciis sensuum externorum, quae fallunt hominem in ignorantia constitutum. Haec dicta sunt, ut sciatur quomodo se habet cum blasphematione Veri Divini, hoc est, Verbi, ac doctrinae inde, quae significantur per maledicere Deo, et execrari principem populi.

9223. Primitias frumenti tui, et primitias vini tui, non tardabis, quod significet quod quia omnia bona et vera sunt a Domino, Ipsi addicanda sint, non sibi, constat ex significatione primitiarum, quod sint quae primo loco erunt, ita quae omnium

primaria, de qua sequitur; ex significatione frumenti, quod sit bonum veri fidei, de qua n: 5295. 5410. 5959; et ex significatione vini, quod sit verum boni, ita verum boni fidei, de qua n: 1798. 6377; et ex significatione non tardare, cum de bono et vero fidei, quod sit addicare ex affectione, nam quod non tarde, sed festine fit, hoc ex affectione amoris fit, n: 7695. 7866; quod sit addicare Domino, est quia primitiae, sicut etiam primogenita, dabantur Jehovae, et a Jehovah Aharoni et ejus semini; et per Jehovam in Verbo intelligitur Dominus, n: 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6303. 6945. 6956. 8274. 8864: quare cum primitiae frumenti et vini sunt bona et vera fidei, intelligitur quod illa Domino addicanda sint, quia ab Ipso sunt; quod omne cogitationis et voluntatis apud hominem influat, et quod omne bonum et verum a Domino, videatur n: 2886. 2887. 2888. 3142. 3147. 4151. 4249. 5119. 5147. 5150. 5259. 5482. 5649. 5779. 5854. 5893. 6027. 6982. 6985. 6996. 7004. 7055. 7056. 7058. 7270. 7343. 8321. 8685. [118] 8701. 8717. 8728. 8823. 8864. 9110. 9111: et idem ab experientia, n: 6053 ad 6058. 6189 ad 6215. 6307 ad 6327. 6466 ad 6495. 6598 ad 6626. Primitiae, quae offerendae erant Domino, erant primitiae messis, et primitiae vindemiae, tum quoque primitiae tonsurae, ut et primitiae fructus; primitiae messis erant spicae tostae ac virentes, tum fasciculus qui motitaretur, et postea ex area, quae erant placentae; primitiae autem vindemiae erant primitiae vini, musti ac olei, et praeter illas erant primitiae tonsurae pecoris, et quoque primitiae fructus, hae offerebantur in calatho: praeterea etiam offerebantur omnia primogenita Domino, e quibus redimebantur primogeniti hominum, tum quoque primogenita bestiarum, quae non in sacrificia offerebantur, prout asinorum, mulorum, equorum, et similium. Primitiae et Primogenita offerebantur Jehovae, et a Jehovah dabantur Aharoni et semini ejus, quia Aharon et filii ejus, qui Summi Sacerdotii munere functi sunt, repraesentabant Dominum. Per primitias frumenti et vini in hoc Versu intelliguntur omnes primitiae messis et vindemiae, de quibus nunc supra; nam in Lingua originali dicitur plenitudo frumenti, et lachryma vini, plenitudo est messis matura et quoque collecta, et lachrymae sunt quae stillantur. Quid Primitiae in specie re-

praesentabant, (nam omnia statuta et ritualia mandata filiis Israëlis a Domino, repraesentabant interna Ecclesiae), constare potest ex singulis, ex quibus primitiae dabantur, in sensu interno spectatis; quod frumentum sit bonum fidei, et vinum verum fidei, videatur in locis supra citatis. Quod darentur primitiae Jehovae, significabat quod primum Ecclesiae esset, omnia bona et vera fidei addicare Domino, et non sibi; addicare Domino, est scire, agnoscere, et credere, quod illa a Domino sint, et nihil eorum a semet, nam ut supra ostensum est, omne fidei est a Domino. Quod Primitiae id significent, est quia primitiae erant oblationes et munera, quae erant gratiarum actiones pro proventu, et agnitio benedictionum a Jehovah, hoc est, a Domino, proinde agnitio quod omnia ab Ipso; in sensu interno agnitio bonorum et verorum fidei, quae significantur per messem, frumentum, oleum, mustum, vinum, lanam, et fructus, ex quibus dabantur primitiae: de Primitiis illis videatur Exod: XXIII: 19. Cap: XXXIV: 26. Levit: XXIII: 10. 11. 20. Num: XV: 19. 20. 21. Cap: XVIII: 12. 13. Deut: XVIII: 4. Cap: XXVI: 1 ad 11; simile per Primitias significatur apud Ezechielem Cap: XX: 40: et apud Micham Cap: VII: 1. 2.

9224. Primogenitum filiorum tuorum dabis Mihi, quod significet quod etiam omnia fidei quae per illa, nempe addicanda sint Domino, et non sibi, constat ex significatione primogeniti filiorum, quod sint omnia fidei Ecclesiae, de qua n: 2435. 6344. 7035. 7039. 7778. 8042, et ex significatione dare Mihi, quod sit addicare Domino, nam per Jehovam in Verbo intelligitur Dominus. Omnia fidei, quae per primogenitum filiorum significantur, sunt quae ex bono charitatis sunt, nam fides ex hoc bono existit; vera enim sive ex Verbo sive ex doctrina Ecclesiae sumantur, nullatenus possunt fieri fidei, nisi bonum sit cui implantentur; causa est, quia intellectuale est quod primum recipit vera, quoniam videt illa, ac introducit illa ad voluntatem; et cum in voluntate sunt, tunc in homine sunt; voluntas enim est ipse homo; quapropter qui putat quod fides sit fides apud hominem, priusquam vult illa, et ex velle facit illa, valde fallitur; ipsa vera fidei nec prius vitam habent: omne id quod voluntatis est, vocatur bonum, quia amatur; ita verum fit bonum, seu fides charitas in voluntate. Binae lites sunt, quae

Ecclesiam a primaevis temporibus infestaverant, una, num fides sit primogenitum Ecclesiae, vel num charitas; altera num fides separata a charitate salvet: quod illae lites exstiterint, causa fuit, quod vera quae fidei erunt, appercipiantur ab homine, non autem bonum quod charitatis, antequam homo regeneratus est; vera fidei enim intrant per viam externam, nempe per auditum, et se reponunt in memoria, et inde in intellectuali apparent; bonum charitatis autem influit per internam viam, nempe per internum hominem, e coelo, hoc est, per coelum a Domino, et ideo non ad apperceptionem venit, priusquam vera, quae fidei dicuntur, incipiunt amari propter usum bonum et propter vitam, quod fit cum fiunt voluntatis: inde nunc est, quod primogenitum Ecclesiae dixerint fidem esse, et quoque attribuerint ei jus primogeniturae, hoc est, jus prioritatis et superioritatis super bonum charitatis; cum tamen bonum charitatis actualiter prius et superius est, et verum fidei modo apparenter, videatur n: 3325. 3494. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4925. 4926. 4928. 4930. 4977. 5351. 6256. 6269. 6272. 6273. Quod homo Ecclesiae in obscuro de his fuerit, est quia non perceperat quod omnia in universo se referant ad verum et ad bonum, et quod ad utrumque ut sit aliquid; nec perceperat quod in homine binae facultates sint, Intellectus et [119] Voluntas; et quod Verum se referat ad Intellectum, et Bonum ad Voluntatem, et quod si non ad utrumque, non sit appropriatum homini; haec quia in obscuro fuerunt, et tamen ideae cogitationis hominis super talibus fundantur, ideo error coram naturali homine non manifestari potuit; cum tamen si semel manifestatus fuerit, vidisset homo Ecclesiae ut in clara luce ex Verbo, quod ipse Dominus loquutus est, innumerabilia de bono charitatis, et quod id sit principale Ecclesiae; et quod fides non alibi quam in illo bono sit: bonum Charitatis est facere bonum ex velle bonum. Vidisset etiam errores, quos inducit doctrina fidei separatae a charitate; sicut quod homo possit velle malum et credere verum, consequenter quod verum cum malo concordet: tum quoque quod fides possit facere vitam coeli apud hominem, cui vita infernalis est, proinde quod una vita possit transcribi in alteram, et sic quod qui in inferno sunt, possint elevari in coelum, et inter angelos vivere

vitam priori vitae contrariam; non considerantes quod vivere vitam contrariam vitae quam homo imbuerat in mundo, sit privari vita; et qui hoc tentant, sint sicut qui in agone mortis sunt, et per diros cruciatus finiunt suam vitam. Tales errores, et perplures alios inducit doctrina fidei separatae a charitate.

9225. Ita facies bovi tuo, gregi tuo, quod significet quod ad bonum exterius et interius, constat ex significatione bovis, quod sit bonum exterius, et a significatione gregis, quod sit bonum interius, de quibus n: 5913. 8937. 9135.

9226. Septem diebus erit cum matre sua, quod significet statum primum cum veris, constat ex significatione septem dierum, quod sit status primus illorum qui regenerantur, dies enim sunt status, n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 5672. 5962. 8426. 9213, et septem sunt a principio ad finem, ita plenum, n: 728. 6508; et ex significatione matris, quod sit Ecclesia quoad verum, ita quoque verum Ecclesiae, de qua n: 289. 2691. 2717. 3703. 4257. 5581. [120] 8897: inde sequitur, quod per septem diebus erit cum matre sua, significetur status primus ad plenum seu integer a principio ad finem, quando in veris. Quomodo cum his se habet, in sequente articulo dicetur.

9227. Die octavo dabis illud Mihi, quod significet principium status sequentis, cum ex bono vivitur, quod tunc apud Dominum, constat ex significatione diei octavi, quod sit principium status sequentis, de qua n: 2044. 8400 fin: et ex significatione dare Jehovae, quod sit Domino, nam per Jehovam in Verbo intelligitur Dominus, n: 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6303. 6945. 6956. 8274. 8864; quod sit, cum ex bono vivitur quod tunc apud Dominum, est quia in sensu interno agitur de bino statu hominis qui regeneratur, et primus status est, cum ducitur per vera fidei ad bonum charitatis, et secundus status est cum in bono illo est; quia tunc est apud Dominum, ideo haec per *dabis illud Mihi*, significantur: quod bini status sint homini cum regeneratur, primus cum ducitur per vera fidei ad bona charitatis, et secundus cum in bono charitatis est, videatur n: 7923. 7992. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701; et quod homo in coelo sit, ita apud Dominum, cum in bono charitatis est, n: 8516. 8539. 8722.

8772. 9139. Paucis adhuc dicetur, quomodo se habet cum bino illo statu apud hominem qui regeneratur; prius n: 9224 [121] ostensum est, quod vera, quae fidei vocantur, per viam externam apud hominem intrent, et quod bonum quod charitatis et amoris, per viam internam; via externa est per auditum in memoriam, et a memoria in ejus intellectum, intellectus enim est visus hominis internus; per hanc viam intrant vera quae fidei erunt, ob finem ut introducantur in voluntatem, et sic approprientur homini; bonum quod a Domino influit per viam internam, influit in voluntatem, nam voluntas est internum hominis; bonum quod a Domino in confinio ibi occurrit veris quae intraverunt per viam externam, et per conjunctionem, facit ut vera fiant bonum; et quantum hoc fit, tantum invertitur ordo, hoc est, tantum non ducitur homo per vera, sed per bonum; proinde tantum ducitur a Domino. Ex his constare potest, quomodo homo e mundo elevatur in coelum, quando regeneratur; omnia enim quae per auditum intrant, e mundo intrant; et quae in memoria reposita sunt, et in memoria apparent coram intellectu, in luce mundi, quae lumen naturale vocatur, apparent; at quae intrant voluntatem, seu quae fiunt voluntatis, in luce coeli sunt, lux coeli est verum boni a Domino: haec cum inde in actum exeunt, in lucem mundi redeunt, sed in hac luce tunc prorsus sub alia forma apparent; prius enim in singulis fuit mundus intus, postea autem in singulis est coelum intus. Ex his quoque patet, cur homo non prius in coelo sit, quam cum facit vera ex velle illa, ita ex affectione charitatis.

9228. Quod septem significent integram periodum a principio ad finem, ita plenum, constat a pluribus locis in Verbo, ut apud Esaiam „Erit lux Lunae sicut lux solis, et lux solis erit *septupla, sicut lux septem dierum*, in die quo obligabit Jehovah fracturam populi sui" XXX: 26, agitur ibi de salvatione fidelium, ac de intelligentia et sapientia eorum in Regno Domini; Luna est fides a Domino, ita fides in Dominum, et sol est amor a Domino, ita amor in Dominum, n: 30 ad 38. 1521. 1529. 1530. 1531. 2441. 2495. 3636. 3643. 4060. 4321 f. 4696. 5377. 7078. 7083. 7171. 8644; lux solis septupla, sicut lux septem dierum, est status plenus intelligentiae et sapientiae ex amore et fide in Dominum. Apud Ezechielem „Exibunt

habitatores urbium Israëlis, et incendent ac comburent arma, et scutum et clypeum, cum arcu et cum telis, et cum baculo manus, et cum hasta, *accendent illis ignem septem annis*, ut non adferant ligna ex agro, neque excidant ex sylvis, et *mundabunt terram septem mensibus*" XXXIX: 9. 12; agitur ibi de destructione falsi, arma, quae ibi recensentur, sunt falsa, per quae pugnant mali contra vera Ecclesiae; accendere illis ignem septem annis, significat destructionem plenariam per cupiditates amorum sui et mundi; ut non adferant ligna ex agro, neque excidant e sylvis, significat dum nihil boni supersit, neque in interiori homine, neque in exteriori; mundare terram septem mensibus, significat plenariam restitutionem boni et veri in Ecclesia: quod arma sint vera pugnantia contra falsa, et in opposito sensu falsa pugnantia contra vera; quod arcus cum telis sint doctrinalia veri, et in opposito sensu doctrinalia falsi; quod baculus manus sit potentia veri, et in opposito sensu potentia falsi, quod incendere et comburere sit vastare per cupiditates amorum sui et mundi, quod ligna ex agro sint bona interiora Ecclesiae, et ex sylvis scientifica boni et veri; et quod terra sit Ecclesia, ostensum est plurimis in locis: quisque videre potest, quod ibi alia significentur quam quae in litera exstant, sicut quod comburerent arma, et incenderent ignem septem annis, ut non adferant ligna ex agro, et excidant ex sylvis; quod usque significentur sancta ac Divina scitur, quia Verbum est sanctum et ex Divino; sed quae sancta ac Divina in illis verbis continentur, nullatenus sciri potest, nisi sciatur, quid significant arma, quid septem anni, et septem menses, quid ligna ex agro et ligna ex sylvis; inde patet, quod prophetica illa absque notitia ex sensu interno prorsus non capiantur. Apud Davidem „*Septies in die* laudo Te super judiciis justitiae tuae" Psalm: CXIX: 164. [122] Apud Eundem „Retribue vicinis *septuplum* in sinum eorum" Psalm: LXXIX: 12, septuplum est ad plenum. Similiter apud Moschen „Quod *septuplum* punirentur, si transgrederentur praecepta et statuta" Levit: XXVI: 18. 21. 24. 28. Qui non scit quod septem significent integram periodum a principio ad finem, et inde plenum, credet quod septem septimanae significent septem tempora apud Danielem „Scito et percipito, ab exitu Verbi ad usque restituendum et ad aedificandum

Hierosolymam, usque ad Messiam Principem, *Septimanae Septem*" IX: 25, sed septimanae septem usque ad Messiam Principem, significant id quod dicitur de Domino, quod venturus in plenitudine temporum, ita significant integram periodum. Inde patet, quod „*septem spiritus* coram throno Dei" Apoc: I: 4; „Liber obsignatus *septem sigillis*" Apoc: V: 1, et „*septem angeli* habentes *septem phialas*, quae sunt *plagae septem* ultimae" Apoc: XV: 1. 6. 7. Cap: XXI: 9, non sint septem spiritus, nec septem sigilla, nec septem angeli, septem phialae, ac septem plagae, quae significantur, sed quod sint omnia usque ad plenum: pariter quod „sterilis *pareret septem*" I Sam: II: 5, non sint septem, sed multum usque ad plenum. Quia septem talia significabant, ideo statutum est, quod „Sacerdos *septem diebus* indutus esset vestibus, cum initiaretur" Exod: XXIX: 30; quod „*septem diebus* implerentur manus ejus" ibid: Vers: 35; „*septem diebus* sanctificaretur altare" ibid: Vers: 37; quod „initiati in sacerdotium non decederent [123] a tentorio *septem diebus*" Levit: VIII: 33. 34: similiter, „spiritus immundus exiens ex homine, et revertens cum *septem aliis*" Matth: XII: 43. 44. 45. Luc: XI: 26; tum „si frater *septies in die* peccaverit, et *septies* conversus fuerit, quod ei remittetur" Luc: XVII: 4; quod cor Nebuchadnezaris mutaretur ab homine, et cor bestiae daretur ei, dum „*septem tempora* transiverint" Dan: IV: 12. 22. 29: inde quoque erat, quod amici Hiobi „in terra *septem dies* et *septem noctes* sederint cum illo, et nihil loquuti ad illum" Hiob: II: 13. Quod *septuaginta* similiter significent plenum, videatur n: 6508; tum quoque *septimana*, n: 2044. 3845. Ex his nunc constare potest, quod per octavum diem significetur principium status sequentis.

9229. Et viri sanctitatis eritis Mihi, quod significet statum vitae tunc ex bono, constat ex significatione virorum sanctitatis, quod sint qui a Domino ducuntur, nam Divinum a Domino procedens est ipsum sanctum, n: 6788. 7499. 8127 fin: 8302. 8806; inde qui id recipiunt fide et quoque amore, sancti vocantur: qui credit, quod homo aliunde sanctus sit, et quod aliud apud ipsum sit sanctum, quam quod a Domino est, et recipitur, maxime fallitur; nam quod hominis est, et ejus proprium vocatur, id malum est; quod proprium hominis non sit nisi quam

malum, videatur n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1047. 4328. 5660. 5786. 8480. 8944: et quod quantum homo detineri potest a suo proprio, tantum Dominus adesse possit, ita quod tantum homini sanctum sit, n: 1023. 1044. 1581. 2256. 2406. 2388. 2411. 8206. 8393. 8988 fin: 9014. Quod Dominus sit Solus Sanctus, et quod solum id sit sanctum quod procedit a Domino, ita id quod homo recipit a Domino, patet a Verbo übivis, ut apud Johannem „*Ego sanctifico Me Ipsum*, ut etiam illi sint *sanctificati in veritate*" XVII: 19, sanctificare Se Ipsum est Se Divinum facere ex propria potentia; inde sanctificati in veritate dicuntur, qui recipiunt Divinum Verum procedens ab Ipso fide et vita: quapropter etiam Dominus post resurrectionem loquens cum discipulis „*inspiravit* et dixit illis, *accipite spiritum sanctum*" XX: 22, inspiratio erat repraesentativum vivificationis per fidem et amorem, sicut etiam in Cap: II Genes: „*Jehovah inspiravit in nares ejus spiraculum vitarum, et factus homo in animam viventem*" Vers: 7; similiter alibi, ut Psalm: XXXIII: 6. Psalm: CIV: 29. 30. Hiob: XXXII: 8. Cap: XXXIII: 4. Joh: III: 8; ex eo quoque Verbum dicitur inspiratum quia a Domino, ac illi dicti inspirati qui Verbum scripserunt; quod respiratio, ita inspiratio correspondeat vitae fidëi, videatur n: 97. 1119. 1120. 3883 ad 3896; inde est quod *spiritus* in Verbo dicatur *a Vento*, et quod sanctum a Domino dicatur *Ventus Jehovae*, n: 8286; et quod spiritus sanctus sit sanctum procedens a Domino, n: 3704. 4673 f. 5307. 6788. 6982. 6993. 8127 fin: 8302. 9199: sicut etiam apud Johannem, quod Dominus „*baptizet spiritu sancto*" I: 33, et apud Lucam „quod baptizet *spiritu sancto* et igne" III: 16, baptizare in sensu interno significat regenerare, n: 4255. 5120 fin: 9088, [124] baptizare spiritu sancto [et igne] est regenerare per bonum amoris; quod ignis sit bonum amoris, videatur n: 934. 4906. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324. Apud Johannem „Quis non timeat Te Domine, et non glorificet Nomen tuum, quia *Solus sanctus*" Apoc: XV: 4: [125] ab Angelo de Domino apud Lucam „*Nascetur ex te sanctum*" I: 35: et apud Danielem „Videns fui in visionibus capitis mei super cubili meo, et ecce Vigil et *Sanctus* de Coelo descendit" IV: 10, sanctum et sanctus ibi pro Domino. Quia Dominus solus San-

ctus est, ideo Ipse vocatur *Sanctus Israëlis*, Redemptor, Servator, Regenerator, in Veteri Testamento, ut Esai: I: 4. Cap: V: 19. 24. Cap: X: 20. Cap: XII: 6. Cap: XVII: 7. Cap: XXIX: 19. [126] Cap: XXX: 11. 12. 15. Cap: XXXI: 1. Cap: XXXVII: 23. Cap: XLI: 14. 16. 20. Cap: XLIII: 3. 14. Cap: XLV: 11. Cap: XLVII: 4. Cap: XLVIII: 17. Cap: XLIX: 7. Cap: LIV: 5. Cap: LV: 5. Cap: LX: 9. 14. Jerem: Cap: L: 29. Cap: LI: 5. Ezech: XXXIX: 7. Psalm: LXXI: 22. Psalm: LXXVIII: 41. Psalm: LXXXIX: 19. [127] Et ideo Dominus in coelo, et inde ipsum Coelum, vocatur „*Habitaculum sanctitatis*" Jerem: XXXI: 23. Esai: LXIII: 15. Jerem: XXV: 30: [128] tum „*Sanctuarium*" Ezech: XI: 16. Cap: XXIV: 21: et quoque „*Mons sanctitatis*" Psalm: III: 5: ac [129] ideo medium tentorii, ubi arca in qua Lex, dicta fuit „*Sanctum Sanctorum*" Exod: XXVI: 33. 34, nam per Legem in arca in medio tentorii repraesentabatur Dominus quoad Verbum, nam Lex est Verbum, n: 6752. 7463. [130] Ex his constare potest, unde est quod *Angeli* dicantur *sancti*, Matth: XXV: 31. Marc: VIII: 38. Luc: IX: 26. Psalm: CXLIX: 1. Dan: VIII: 13; et quoque „*Prophetae*" Luc: I: 70; ut et „*Apostoli*" Apoc: XVIII: 20; non quod sancti sint ex se, sed ex Domino, qui Solus Sanctus est, et a quo Solo sanctum; per Angelos enim significantur vera, quia sunt receptiones Veri a Domino, n: 1925. 4085. 4295. 4402. 7268. 7873. 8192. 8301; per Prophetas doctrina veri quod per Verbum a Domino, n: 2534. 7269; et per apostolos omnia in complexu vera et bona fidei quae a Domino, n: 3488. 3858 fin: 6397. Sanctificationes apud populum Israëliticum et Judaicum erant ut repraesentaretur Dominus qui Solus Sanctus, ac ut repraesentaretur Sanctum quod ab Ipso Solo; inde *Sanctificatio Aharonis et filiorum ejus*, Exod: XXIX: 1 seq: Levit: VIII: 10. 11. 13. 30. *Sanctificatio Vestium illorum*, ibid: Vers: 21 seq: *sanctificatio altaris, ut esset sanctitas sanctitatum*, ibid: Vers: 37 seq: *sanctificatio tentorii conventus, arcae testimonii, mensae, omnium vasorum, altaris suffimenti, altaris holocausti, et vasorum ejus*, et *labri ac basis ejus*, Exod: XXX: 26 seq: Quod Dominus sit Ipsum Sanctum quod repraesentabatur, etiam patet a Domini verbis in sensu interno spectatis, apud Matthaeum „Stulti et caeci, utrum majus est aurum an

Templum quod sanctificat aurum; et utrum majus est munus an *Altare quod sanctificat munus*" XXIII: [17.] 18. 19; per Templum repraesentabatur Ipse Dominus, et quoque per Altare; et per aurum significabatur bonum quod a Domino, et per munus seu sacrificium significabantur quae fidei et charitatis sunt a Domino, quod Dominus per Templum repraesentatus sit, videatur n: 2777. 3720: et quod per altare, n: 2777. 2811. 4489. 8935. 8940; quod per aurum significatum sit bonum a Domino, n: 1551. 1552. 5658; et per sacrificium cultus ex fide et charitate quae a Domino, n: 922. 923. 2805. 2807. 2830. 6905. 8680. 8682. 8936. Ex his nunc patet, unde est, quod filii Israëlis *populus sanctus* vocati sint, Deut: XXVI: 16. 19, et alibi; atque hic, *viri sanctitatis*, quod nempe ex eo, quod in singulis cultus eorum repraesentata sint Divina Domini, ac coelestia et spiritualia Regni et Ecclesiae Ipsius; quapropter dicti sunt sancti in sensu repraesentativo; ipsi non ideo sancti erant, quia repraesentativa spectabant sancta quae repraesentabantur, et non personam quae repraesentabat, videatur n: 665. 1097 fin: 1361. 3147. 3881. 4208. 4281. 4288. 4292. 4307. 4444. 4500. 6304. 7048. 7439. 8588. 8788. 8806. Inde quoque est, quod Hierosolyma vocata sit Sancta, et Zion *mons sanctitatis*, Sachar: VIII: 3, et alibi; tum apud Matthaeum „Et monumenta aperta sunt, et multa corpora mortuorum *sanctorum* suscitata sunt, et exeuntes e monumentis suis post resurrectionem Domini, ingressi sunt in *Sanctam Urbem*, et apparuerunt multis" XXVII: [52.] 53; Hierosolyma ibi Urbs Sancta vocatur, cum tamen potius prophana fuit, quia Dominus tunc ibi crucifixus est; et ideo vocatur Sodoma et Aegyptus apud Johannem „Corpora illorum super platea Urbis magnae, quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus, ubi etiam Dominus noster crucifixus est" Apoc: XI: 8, sed sancta vocatur ex eo, quod significet Regnum Domini et Ecclesiam, n: 402. 2117. 3654: quod mortui sancti apparuerint ibi, quod factum est quibusdam in visione, significabat salvationem eorum qui fuerunt ab Ecclesia spirituali, ac elevationem eorum in Sanctam Hierosolymam, quae est coelum, qui usque ad illud tempus detenti fuerunt in terra inferiore, de quibus n: 6854. 6914. 7091. 7828. 7932[$\frac{1}{2}$]. 8049. [131] 8054. 8159. 8321.

9230. Et carnem in agro discerptam non comedetis, quod significet quod non conjungetur bonum fidei falsificatum, constat ex significatione carnis, quod sit bonum, de qua n: 7850. 9127; ex significatione agri, quod sit Ecclesia quoad bonum, ita bonum Ecclesiae, de qua n: 2971. 3766. 7502. 7571. 9139. [132] 9141; ex significatione discerpti, quod sit per falsa destructum, ita quoque falsificatum, de qua n: 5828; et ex significatione comedere, quod sit appropriare et conjungere, de qua n: 2187. 3168. 3513 fin: 3596. 4745. 5643. 8001; inde patet, quod per carnem in agro discerptam non comedetis, significetur quod bonum Ecclesiae, seu bonum fidei falsificatum non appropriandum seu conjungendum. Paucis hic dicetur, quid sit bonum fidei, et quid verum fidei: bonum fidei dicitur omne id Ecclesiae, quod concernit vitam et usum ex illis quae doctrina fidei Ecclesiae docet; verbo quod concernit velle illa et facere illa ex obedientia, nam vera fidei Ecclesiae per velle et facere illa fiunt bona: at verum fidei dicitur omne id quod adhuc est absque fine usus aut propter vitam, proinde quod scitur et in memoria tenetur, et inde capitur intellectu, et ex eo docetur; vera enim Ecclesiae, quamdiu non ulterius vadunt, sunt modo cognitiones et scientifica, et sunt respective ad bona extra ipsum hominem; nam memoria ac intellectus hominis sunt velut atria, et voluntas est velut conclave, nam voluntas est ipse homo: inde patet, quid verum fidei, et quid bonum fidei: sed bonum, quod homo facit in primo statu, cum regeneratur, vocatur bonum fidei; at bonum quod homo facit in altero statu, cum nempe regeneratus est, vocatur bonum charitatis: quare cum homo bonum facit ex bono fidei, ex obedientia bonum facit; at cum bonum facit ex bono charitatis, ex affectione bonum facit; de binis illis statibus apud hominem qui regeneratur, videatur n: 7923. 7992. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701. 9224. 9227.

9231. Cani projicietis eam, quod significet quod immunda illa, constat ex significatione canum, quod sint qui bonum fidei immundum reddunt per falsificationes; omnes enim bestiae in Verbo significant affectiones et inclinationes quales sunt quae apud hominem, bestiae mites et utiles affectiones et inclinationes bonas; bestiae autem immites ac inutiles affectiones et inclina-

tiones malas: causa quod talia per bestias significentur, est quia externus seu naturalis homo similibus affectionibus et inclinationibus, et quoque similibus appetitibus, et similibus sensibus, gaudet, quibus bestiae: sed discrimen est, quod homini internum sit, quod internus homo vocatur; qui ita distinctus est ab externo, ut possit videre quae in hoc existunt, et regere illa, et compescere illa; et quoque elevari in coelum usque ad Dominum, et sic conjungi Ipsi cogitatione et affectione, proinde fide et amore; qui etiam tam distinctus est ab externo, ut separetur ab eo post mortem, et dein vivat in aeternum, per haec distinguitur homo a bestiis: sed haec non vident illi qui mere naturales ac sensuales homines sunt; est enim internus eorum homo clausus versus coelum; quapropter nec sciunt discrimen facere inter hominem et bestiam aliud quam quod homo loqui possit, quod etiam mere sensuales homines parvi faciunt. Quod Canes significent illos, qui bonum fidei immundum reddunt per falsificationes, est quia Canes immunda edunt, et quoque blaterant et mordent homines: inde quoque est, quod gentes, quae extra Ecclesiam in falsis ex malo erant, a Judaeis dicti sint canes, et pro vilissimis habiti: quod illi Canes vocati sint, patet a Domini verbis ad mulierem Graecam Syrophoenissam, cujus filia a daemonio male agitabatur „Non est bonum sumere panem filiorum, et *projicere Canibus:* illa vero dixit, certe Domine, verum *Canes* etiam *edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum*", Matth: XV: 26. 27. Marc: VII: 26. 27. quod hic per canes significentur illi qui extra Ecclesiam erant, et per filios qui intra Ecclesiam, patet: similiter apud Lucam „Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso; et quotidie oblectabat se splendide: pauper vero qui erat nomine Lazarus, qui projectus ad januam ejus ulcerosus, et desiderans *saturari micis cadentibus de mensa divitis;* sed et *canes* venientes lingebant ulcera ejus" XVI: 19. 20. 21, per divitem indutum purpura et bysso significantur qui intra Ecclesiam sunt, purpura et byssus, quibus indutus, sunt cognitiones boni et veri ex Verbo; per pauperem significantur qui [extra Ecclesiam sunt, tum qui] intra Ecclesiam in pauco bono sunt ex ignorantia veri, et usque desiderant instrui, n: 9209; quod Lazarus dictus sit, erat ex Lazaro qui exsuscitatus a Domino,

de quo dicitur, quod illum amaverit Dominus, Joh: XI: 1. 2. 3. 36; et quod Ipsius amicus fuerit, Joh: XI: 11, et quod accubuerit cum Domino ad mensam, Joh: XII: 2; quod saturari voluerit a micis cadentibus e mensa divitis, significabat desiderium ejus discendi pauca vera ab illis qui intra Ecclesiam in abundantia erant; canes qui lingebant ulcera ejus, sunt qui extra Ecclesiam sunt in bono tametsi non genuino fidei, lingere ulcera est mederi illis modo quo possunt. Apud Johannem „*foris sunt canes*, incantatores, et scortatores" Apoc: XXII: 15, canes, incantatores et scortatores pro illis qui falsificant bonum et verum fidei, qui dicuntur foris esse, cum extra coelum aut Ecclesiam. Quod bonum falsificatum, ac ita immundum factum, per Canes significetur, etiam patet apud Matthaeum „*Ne detis sanctum Canibus*, ne projicite margaritas vestras ante porcos" VII: 6. Apud Moschen „Non inferes mercedem scorti, et *pretium Canis*, in Domum Jehovae, quoad votivum quodcunque, quia abominatio Dei tui ambo" Deut: XXIII: 19; merces scorti pro falsificatis veris fidei; quod scortatio sit falsificatio veri fidei, videatur n: 2466. 2729. 4865. 8904. Apud Davidem „*Circumdederunt me canes*, coetus malignorum circumcinxerunt me, perfodientes manus meas et pedes meos; libera a gladio animam meam, et *e manu canis* unicam meam" Psalm: XXII: 17. 21, Canes hic pro illis qui destruunt bona fidei, qui ideo vocantur coetus malignorum; liberare a gladio animam, est a falso vastante verum fidei; quod gladius sit falsum vastans verum fidei, videatur n: 2799. 4499. 6353. 7102. 8294; et quod anima sit vita fidei, n: 9050; inde quoque patet, quod liberare e manu canis unicam, sit a falso vastante bonum fidei. Quod „*trahendi* et *comedendi essent a canibus*" I Reg: XIV: 11. Cap: XVI: 4. Cap: XXI: 23. 24. II Reg: IX: 10. 36. Jerem: XV: 3, significabat quod per immunda perirent. Quod comparaverint se *Canibus mortuis*, I Sam: XXIV: 15. II Samuel: III: 8. Cap: IX: 8. Cap: XVI: 9, significabat quod habendi essent pro vilissimis, qui projiciendi. Quid porro significatur per Canes, videatur n: 7784.

De Spiritibus Lunae.

9232. *Quidam spiritus apparebant supra caput, et inde auditae sunt voces sicut tonitrua; nam non aliter tonabant voces eorum, quam sicut e nubibus tonitrua post fulmina: autumabam quod esset ingens multitudo spirituum, qui edocti vocem edere cum tali sonitu. Spiritus simpliciores, qui apud me erant, illos irridebant, quod valde miratus sum; causa irrisionis mox detegebatur, quae erat, quod spiritus qui tonabant, non multi essent sed pauci, et quoque parvi sicut pueri; et quod illi prius per tales sonitus terrorem incusserint, et tamen prorsus nihil damni possent inferre.*

9233. *Ut scirem quales essent, dimissi sunt quidam ex alto ubi tonabant, et quod mirum, unus portabat alterum a tergo, et sic appropinquabant bini ad me; apparebant facie non invenusta, sed longiori quam facies reliquorum spirituum; statura simili staturae pueri septem annorum, sed corpore robustiore; ita erant homunciones. Dicebatur mihi ab Angelis, quod essent e Luna.*

9234. *Qui portatus ab altero, demissus veniebat ad me, se applicans sinistro lateri sub ulna, et inde loquebatur, dicens, quod, cum vocem edunt, ita tonent, et quod sic spiritus, qui illis malum inferre volunt, territent, et quosdam in fugam agant, et quod ita tuti vadant quo volunt. Ut pro certo scirem, quod talis illorum sonus esset, recedebat ille a me ad quosdam alios, sed non plane extra conspectum, et similiter tonabat. Et porro ostendebant, quod vox eorum ex abdomine emissa ad instar eructationis ita intonaret.*

9235. *Perceptum est, quod hoc inde existeret, quod incolae Lunae non ita ex Pulmone, sicut incolae aliarum tellurum, sed ex abdomine, loquerentur, et sic ex aliquo aëre ibi collecto; ex causa quia Luna non simili atmosphaera, prout aliae tellures, circumfusa est.*

9236. *Instructus sum, quod incolae Lunae in Maximo Homine referrent Cartilaginem scutiformem seu Xiphoiden, cui anterius annectuntur costae, et e qua descendit Fascia alba, quae est fulcrum musculis abdominis.*

9237. *Quod etiam in Luna sint incolae, sciunt spiritus et angeli, nam cum illis saepe loquuntur: pariter quod in Lunis seu Satellitibus circum tellurem Jovis et tellurem Saturni. Qui illos non viderant, ac cum illis loquuti sunt, usque non dubitant, quin etiam in illis homines sint, quia aeque sunt tellures; et ubi tellus ibi est homo; homo enim est finis propter quem tellus, et a Summo Creatore nihil sine fine factum est: quod finis creationis sit humanum genus, ut ex eo coelum, cuivis, qui ex ratione cogitat, constare potest: angeli etiam dicunt, quod tellus absque humano genere non possit subsistere, quia Divinum prospicit omnia in tellure propter hominem.*

9238. *Ad finem sequentis Capitis dicetur, cur Dominus in nostra Tellure, et non in alia, nasci voluit.*



EXODI

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

9239. Dicitur credere in Deum, et credere illa quae a Deo: credere in Deum, est Fides quae salvat; at credere illa quae a Deo, est Fides quae absque priore non salvat: nam credere in Deum, est scire et facere; at credere illa quae a Deo, est scire et nondum facere: qui vere Christiani sunt, illi sciunt et faciunt, ita credunt in Deum; at qui non vere Christiani sunt, illi sciunt et non faciunt; sed hi a Domino vocantur stulti, illi autem prudentes, Matth: VII: 24. 26.

9240. Docti intra Ecclesiam vocant illam Fidem quae salvat, *Fiduciam* ac *Confidentiam*, quae est quod Deus Pater miserit Filium suum, ad reconciliandum sibi Genus humanum, et sic ad salvandum illos qui illam Fidem habent.

9241. Sed cum Fiducia et Confidentia, quae vocatur ipsa Fides, ita se habet; qui in amore sui et mundi sunt, hoc est, qui in malis et inde falsis, non possunt illam Fidem habere, nam Cor eorum non est ad Deum, sed ad seipsos et ad mundum; at qui in charitate erga proximum sunt, et in amore in Dominum, illi possunt talem fidem habere, nam Cor eorum est ad Dominum: hoc etiam Dominus docet apud Johannem « *Quotquot receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* » I: 12. 13; qui ex sanguinibus, ex voluntate carnis, et ex vo-

luntate viri, sunt qui in malo et falso ex amoribus sui et mundi sunt; et qui ex Deo nati, sunt qui in bono charitatis et fidei ex Domino; videatur n: 5826.

9242. Confidentia, quae in eminenti sensu vocatur Fides, apparet sicut confidentia spiritualis etiam apud malos, cum in discriminibus vitae sunt, et cum aegrotant; sed illi, quia tunc cogitant de statu vitae suae post mortem, vel ex timore pro inferno, vel ex amore sui pro coelo, confidentiam fidei non habent; nam quod ex timore est, hoc non ex corde est, et quod ex amore sui est, hoc ex corde malo est; quapropter tales, cum extra discrimen vitae redeunt, aut cum resipiscunt a morbo, in vitam priorem, quae fuit vita non confidentiae, seu vita non fidei, redeunt. Ex his patet, quod Fides, quae vocatur confidentia, non dabilis sit nisi apud illos, qui in charitate erga proximum, ac in amore in Dominum sunt.

9243. Fides, quae intelligitur per credere illa quae a Deo, hoc est, vera quae ex Verbo, nec datur apud illos qui in malis ex amore sui aut mundi sunt; nam amor sui et mundi vera fidei vel rejicit, vel exstinguit, vel pervertit, n: 7491. 7492. Inde iterum patet, quod iisdem nec confidentia fidei sit; nam qui non credit vera quae a Deo, non credere potest in Deum, quia credere in Deum est ex veris quae a Deo.

9244. Omnes qui in coelesti amore sunt, Confidentiam habent quod salventur a Domino, credunt enim quod Dominus in mundum venerit, ad dandum vitam aeternam illis qui credunt et vivunt secundum praecepta quae docuit, et quod hos regeneret, et sic aptos reddat coelo; et quod hoc faciat Ipse Solus absque ope hominis ex pura misericordia. Hoc intelligitur per credere in Dominum.

9245. Quod illi solum in fide sint, qui vivunt secundum praecepta fidei, docet Dominus apud Johannem „*Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim opera eorum mala; omnis qui mala facit, odit lucem, et non venit ad lucem, ne coarguantur ejus opera: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quoniam in Deo facta sunt*" III: 19. 20. 21; venire ad lucem, est ad fidem in Dominum, ita ad fidem a Domino. Pariter apud Lucam „*Quid Me vocatis Domine, Domine, et*

non facitis quae dico; omnis qui venit ad Me, et audit sermones meos, et facit illos, similis est homini aedificanti domum, qui posuit fundamentum super petra; qui vero audit et non facit, similis est homini aedificanti domum super humo sine fundamento » VI: 46 ad fin: qui faciunt sermones seu verba Domini, sunt illi qui amant proximum et amant Dominum, nam qui amat is facit; Johan: XIV: 20. 21. 23. 24. Cap: XV: 9 ad 17.

CAPUT XXIII.

1. Non feres famam vanitatis: ne ponas manum tuam cum improbo ad esse testis violentiae.

2. Non eris post multos ad mala: et non respondebis super lite ad declinandum post multos ad pervertendum.

3. Et pauperem non revereberis in lite ejus.

4. Cum occurreris bovi inimici tui, vel asino ejus, erranti, reducendo reduces eum illi.

5. Cum videris asinum osoris tui cubantem sub onere suo, et cessaveris a removendo ei, removendo removebis cum illo.

6. Non declinabis judicium egeni tui in lite ejus.

7. A verbo mendacii elongabis te; ac innocentem et justum ne occidas, quia non justificabo improbum.

8. Et munus non accipies, quia munus occaecat apertos oculis, et pervertit verba justorum.

9. Et peregrinum non opprimes; et vos nostis animam peregrini, quia peregrini fuistis in terra Aegypti.

10. Et sex annis seres terram tuam, et colliges proventum ejus.

11. Et septimo intermittes eam, et dimittes eam, et comedent egeni populi tui, et residuum illorum comedat fera agri; ita facies Vineae tuae, Oliveto tuo.

12. Sex diebus facies opera tua, et die septimo cessabis, propterea ut requiescat bos tuus, et asinus tuus, et respiret filius ancillae tuae, et peregrinus.

13. Et omne quod dixi ad vos custodietis: et nomen deorum aliorum non memorabitis, et non audietur super ore tuo.

14. Tribus vicibus feriaberis Mihi in anno.

15. Festum azymorum custodies; septem diebus comedes azyma, quemadmodum praecepi tibi, ad statum tempus mensis Abib, quia in eo exivisti ex Aegypto: et non videbuntur facies meae vacue.

16. Et Festum messis, primitiarum operum tuorum, quae seminaveras in agro: et Festum collectionis in exitu anni, in colligendo te opera tua ex agro.

17. Tribus vicibus in anno videbitur omnis masculus tuus ad facies DOMINI JEHOVAE.

18. Non sacrificabis super fermentato sanguinem sacrificii mei: et non pernoctabit adeps festi mei usque ad mane.

19. Primum primitiarum humi tuae introduces domum JEHOVAE DEI tui: non coques haedum in lacte matris suae.

20. Ecce Ego mitto Angelum ante te, ad custodiendum te in via, et ad perducendum te ad locum, quem praeparavi.

21. Custodi a facie Ejus, et audi vocem Ejus, ne exacerbes Eum, quia non feret praevaricationem vestram, quia Nomen meum in medio Ejus.

22. Quia si audiendo audiveris vocem Ejus, et feceris omne quod loquar, inimicum agam in inimicos tuos, et hostem agam in hostes tuos.

23. Cum iverit Angelus meus ante te, et perduxerit te ad Emorraeum, et Chittaeum, et Perisaeum, et Cananaeum, Chivaeum, et Jebusaeum, et excidero illum.

24. Non incurvabis te diis illorum, et non servies illis, et non facies secundum opera illorum, quia destruendo destrues illos, et confringendo confringes statuas illorum.

25. Et servietis JEHOVAE DEO vestro, et benedicet pani tuo et aquis tuis, et removebo morbum e medio tui.

26. Non erit abortiens et sterilis in terra tua; numerum dierum tuorum implebo.

27. Terrorem meum mittam ante te, et turbabo omnem populum, ad quos veneris, et dabo omnes inimicos tuos ad te, cervicem.

28. Et mittam crabronem ante te, et expellet Chivaeum, Cananaeum, et Chittaeum, ab ante te.

29. Non expellam illum ab ante te in anno uno, ne forte sit terra desolata, et multiplicetur super te fera agri.

30. Parum parum expellam illum ab ante te, usque dum fructificeris, et haeredites terram.

31. Et ponam terminum tuum a mari Suph, et usque ad mare Philistaeorum, et a deserto usque ad fluvium; quia dabo in manum vestram habitatores terrae, et expellam illos ab ante te.

32. Non panges illis et diis illorum foedus.

33. Non habitabunt in terra tua, ne forte faciant peccare te Mihi, cum serviveris diis illorum, quia erit tibi in laqueum.

CONTENTA.

9246. In hoc Capite in sensu interno agitur de evitandis falsis doctrinae et malis vitae; et quod tunc implantentur vera doctrinae et bona vitae, et per illa regeneretur homo Ecclesiae a Domino.

SENSUS INTERNUS.

9247. Vers: 1. 2. 3. *Non feres famam vanitatis: ne ponas manum tuam cum improbo, ad esse testis violentiae. Non eris post multos ad mala: et non respondebis super lite ad declinandum post multos ad pervertendum. Et pauperem non revereberis in lite ejus.* Non feres famam vanitatis, significat non auscultationem falsitatum: ne ponas manum cum improbo, significat non obedientiam malignitatum: ad esse testis violentiae, significat non affirmationem talium quae contra bonum charitatis: non eris post multos ad mala, significat non consociationem cum talibus: et non respondebis super lite ad declinandum post multos ad pervertendum, significat non consociationem cum illis qui bona et vera vertunt in falsa et mala, ac vicissim: et pauperem non revereberis in lite sua, significat

quod non favendum falsis, in quibus sunt qui in ignorantia veri.

9248. Non feres famam vanitatis, quod significet non auscultationem falsitatum, constat ex significatione ferre famam, quod sit audire et facere, ita auscultare; fama enim in Lingua originali exprimitur per vocem quae significat auditionem; et ex significatione vanitatis, quod sit falsitas, et quidem falsitas doctrinae et religionis; ut constare potest ex sequentibus his locis; apud Ezechielem „*Non* erit amplius *ulla visio vanitatis*, et divinatio blanda in medio domus Israëlis" XII: 24; visio vanitatis pro rèvelatione falsa. Apud Eundem „*Viderunt vanitatem* et divinationem mendacii; propterea quod *loquimini vanitatem*, et videtis mendacium; ideo ecce Ego contra vos, ut sit manus mea *contra Prophetas videntes vanitatem*, et divinantes mendacium" XIII: 6. 7. 8. 9; Prophetae, de quibus hic dicitur, quod videant vanitatem, et divinent mendacium, significant docentes et in sensu abstracto doctrinam, n: 2534. 7269, et de prophetis praedicatur videre, quapropter etiam antiquis temporibus vocati sunt videntes, I Sam: IX: 9; et quoque praedicatur divinare; per videre seu per visionem, cum de prophetis, in sensu interno significatur revelatio quae spectat doctrinam, et per divinare seu per divinationem significatur revelatio quae spectat vitam; et quia vanitas significat falsum doctrinae, et mendacium falsum vitae, ideo dicitur, viderunt vanitatem et divinationem mendacii. Apud Eundem „*In Videndo tibi vanitas,* in *divinando* tibi *mendacium*" XXI: 34. [1] Apud Sachariam „Theraphim loquuntur iniquitatem, et *divinatores vident mendacium,* et *somnia vanitatis loquuntur*" X: 2. Apud Jeremiam „*Prophetae viderunt vanitatem*" Thren: II: 14. Quod vanitas sit falsum doctrinae ac religionis, etiam patet apud Hoscheam „*Vanitas facti sunt*, in Gilgal boves sacrificant" XII: 12. Apud Jeremiam „Obliti sunt Mei populus meus, *vanitati suffiverunt*" XVIII: 15: [2] similiter alibi, ut Esai: V: 18. Cap: XXX: 28. Cap: LIX: 4. Psalm: XII: 3. Psalm: CXIX: 37. 38. Psalm: CXLIV: 7. 9.

9249. Non ponas manum cum improbo, quod significet non obedientiam malignitatum, constat ex significatione ponere manum, quod sit obedientia, nam per manum significatur *po-*

tentia, n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 6292. 7188. 7189. 7518. 7673. 8153. 8281, et quod sit *quod apud illum*, ita *ipse* quatenus potest, n: 9133, inde ponere manum cum aliquo, est unum facere cum illo, [3] quod cum fit ex malignitate, quae significatur per improbum, est obedire, nam malignitas suadet et ducit; et ex significatione improbi, quod sit malignus, et in sensu abstracto malignitas. In sensu abstracto dicitur, quia Angeli, qui in sensu interno Verbi sunt, hoc est, qui Verbum spiritualiter percipiunt, cogitant et loquuntur abstracte a persona, n: 4380 fin: 8343. 8985. [4] 9007; quod idea personae apud illos vertatur in ideam rei, n: 5225. 5287. 5434.

9250. Ad esse testis violentiae, quod significet non affirmationem talium quae contra bonum charitatis, constat ex significatione testis, quod sit confirmatio, de qua n: 4197. 8908; et ex significatione violentiae, quod sit destructio boni charitatis, de qua n: 6353, ita testis violentiae est affirmatio contra bonum charitatis.

9251. Non eris post multos ad mala, quod significet [non] consociationem cum talibus, nempe quae supra memorata sunt, quae sunt auscultatio falsitatum, obedientia malignitatum, et affirmatio talium quae sunt contra bonum charitatis; haec sunt mala quae intelliguntur: per esse post multos, significatur esse cum multis, ita consociari, nam in Lingua originali dicitur esse post, ire post, et ambulare post, et intelligitur esse cum, et sequi, ita quoque consociari, ut Jerem: VII: 9. Cap: XI: 10. I Sam: XVII: 13. I Reg: XIV: 8. Deut: IV: 3. Cap: VIII: 19, et alibi.

9252. Non respondebis super lite ad declinandum post multos ad pervertendum, quod significet non consociationem cum illis qui bona et vera vertunt in mala et falsa, ac vicissim, constat ex significatione respondere super lite, quod sit de justo et aequo, ac de bono et vero, de quibus contenditur, de qua n: 9024, respondere enim est dicere sententiam et judicare; ex significatione declinare post multos, quod sit conformatio et sic consociatio cum multis; et ex significatione pervertere, quod sit vertere verum in falsum, et bonum in malum, ac vicissim.

9253. Et pauperem non revereberis in lite sua, quod si-

gnificet quod non favendum falsis, in quibus sunt qui in ignorantia veri, constat ex significatione pauperis, quod sint qui in paucis veris sunt, et quoque in falsis, ex ignorantia; sed qui eorum in bono sunt, volunt instrui in veris; at qui in malo sunt, non volunt instrui; nam falsa apud illos qui in bono sunt, flecti possunt ad vera, et tandem dissipari; at falsa apud illos qui in malo sunt, non flecti ad vera possunt, ita nec dissipari: de his pauperibus dicitur, quod illos non revereberis in lite sua, hoc est, non favebis illorum falsis; per revereri enim significatur favere, et per litem contentio veri contra falsum ac falsi contra verum. Quod Pauperes sint qui in paucis veris, et in falsis ex ignorantia, videatur n: 9209; et quod falsa apud illos qui in bono sunt, mitia sint et flexibilia, at qui in malo, quod immitia et inflexibilia, n: 4736. 6359. 8051. 8149. 8296. [5] 8311. 8318 fin:

9254. Vers: 4 ad 9. *Cum occurreris bovi inimici tui, vel asino ejus erranti, reducendo reduces eum illi. Cum videris asinum osoris tui cubantem sub onere suo, et cessaveris a removendo ei, removendo removebis cum illo. Non declinabis judicium egeni tui in lite ejus. A verbo mendacii elongabis te, ac innocentem et justum ne occidas, quia non justificabo improbum. Et munus non accipies, quia munus occaecat apertos oculis, et pervertit verba justorum. Et peregrinum non opprimes; et vos nostis animam peregrini; quia peregrini fuistis in terra Aegypti.* Cum occurreris bovi inimici tui, vel asino ejus, erranti, significat bonum non genuinum et verum non genuinum, apud illos qui extra Ecclesiam sunt: reducendo reduces eum illi, significat instructionem et emendationem: cum videris asinum osoris tui cubantem sub onere suo, significat falsum non concordans cum bono Ecclesiae, ex quo perituri: et cessaveris a removendo ei, significat non receptionem veri: removendo removebis cum illo, significat usque hortationem et nisum emendationis: non declinabis judicium egeni tui in lite ejus, significat non destructionem pauci veri apud illos qui in ignorantia: a verbo mendacii elongabis te, significat aversationem pro [6] falso ex malo: ac innocentem et justum ne occidas, significat aversationem pro [destruendo] bono interiori et exteriori: quia non justificabo improbum, significat quod malignitas talis sit contra Divi-

nam justitiam: et munus non accipies, significat aversationem pro lucro quocunque: quia munus [7] occaecat apertos oculis, significat quod lucra faciant ut non appareant vera: et pervertit verba justorum, significat ut appareant sicut vera boni: et peregrinum non opprimes, significat quod qui desiderant instrui in veris Ecclesiae non infestandi malis vitae: et vos nostis animam peregrini, significat desiderium illorum et vitam: quia peregrini fuistis in terra Aegypti, significat quod a falsis et malis tutati sint cum infestati ab infernalibus.

9255. Cum occurreris bovi inimici tui vel asino ejus erranti, quod significet bonum non genuinum et verum non genuinum apud illos qui extra Ecclesiam sunt, constat ex significatione inimici, quod sint qui extra Ecclesiam, de quibus infra; ex significatione bovis, quod sit bonum externi hominis, et ex significatione asini, quod sit verum externi hominis, de quibus n: 2781. 9135, sed bonum et verum non genuinum, quale apud illos qui extra Ecclesiam, qui per inimicum significantur. Quod illi qui extra Ecclesiam, intelligantur per inimicum, est quia dissident quoad bonum et verum fidei, non enim habent Verbum, ac ideo non sciunt aliquid de Domino, nec de fide et charitate Christiana, quae a Domino solo; inde est, quod verum fidei eorum non genuinum sit, nec bonum charitatis; quapropter etiam in altera [vita], non simul, sed separati ab illis qui ab Ecclesia, vivunt; omnes enim in altera vita consociantur secundum bonum et inde verum, nam haec faciunt vitam spiritualem et conjunctionem. At usque, qui in coelo sunt, illos qui extra Ecclesiam pro inimicis non habent, sed illos instruunt, et ad bonum Christianum ducunt; quod etiam recipiunt illi, qui in subordinatione, obedientia, et in aliqua specie charitatis mutuae inter se ex suo religioso in mundo vixerunt; in sensu autem literae vocantur inimici, ex dissidentia spirituali, quae est, ut dictum, quoad verum fidei et bonum charitatis; videantur quae ab experientia de Gentium extra Ecclesiam statu et sorte in altera vita, n: 2589 ad 2604. 2861. 2863. 4190. 4197, ostensa sunt. Quod iidem pro Amicis habendi sint, ac instruendi et emendandi, in sensu interno intelligitur per quod *reducendo reduces illum*, de quibus sequitur. Addendum modo est, quod per Bestias varii generis in Verbo significentur affectiones

et inclinationes, quales homo communes habet cum bestiis, et in sensu spirituali affectiones boni et veri interni et externi, videatur n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 776. 2179. 2180. 2781. 3218. 3519. 5198. 9090; et quod Bestiae ideo in Sacrificiis adhibitae fuerint secundum significationem, n: 1823. 2180. 2805. 2807. 2830. 3519: [8] inde est, quod per Legem hanc moralem de reducendis bovibus et asinis inimici errantibus in sensu spirituali significentur talia quae Ecclesiae sunt, ita quae amoris mutui seu charitatis sunt erga illos qui ab Ecclesiae veris dissident.

9256. Reducendo reduces eum illi, [9] quod significet instructionem et emendationem, constat ex significatione reducere, cum de illis qui extra Ecclesiam in bono et vero non genuino sunt, quod sit instruere et emendare, nam sic reducuntur. Quod benefaciendum sit illis qui extra Ecclesiam sunt, etiam intelligitur per Domini verba apud Matthaeum „Audivistis quod dictum sit, *amabis proximum tuum;* Ego vero dico vobis, *amate inimicos vestros,* benedicite maledicentibus vobis, benefacite *odio vos habentibus;* nam si amaveritis amantes vos, quid praemium habetis; et si salutatis fratres vestros tantum, quid abundantius facitis" [V:] 43 ad 47; etiam hic per inimicos et per odio habentes in sensu spirituali intelliguntur, qui dissident quoad bona et vera fidei; in genere illi qui extra Ecclesiam sunt; quoniam gens Judaica illos considerabat ut hostes, quos internecioni dare et impune occidere liceret: quod illi in sensu spirituali per inimicos intelligantur, patet, quia dicitur, si salutatis fratres vestros tantum, quid abundantius facitis; fratres enim vocati sunt omnes qui a Jacobo nati sunt, ita qui intra Ecclesiam erant. Quod illos qui extra Ecclesiam sunt, et Gentes vocantur, porro concernit, in falsis quidem doctrinae sunt, sed ex ignorantia, quia non habent Verbum, at usque cum instructi, in perceptione clariore sunt, et inde in perceptione interiore de coelesti vita apud hominem, quam Christiani; causa est, quia non confirmaverunt se contra vera fidei, sicut perplures Christiani; quapropter internus illorum homo non est clausus, sed est, sicut apud infantes, apertilis et receptibilis veri; nam qui confirmaverunt se contra vera et bona fidei, ut faciunt omnes illi qui male vivunt, illi apud se claudunt Internum hominem

supra, et aperiunt infra, unde Internus eorum homo spectat modo illa quae infra sunt, hoc est, in Externum seu naturalem hominem, et per illum in ea quae in mundo sunt, et in ea quae circum corpus suum, et quae super tellure; et cum ita, spectant deorsum, quod est versus infernum: apud tales Internus homo versus coelum aperiri non potest, nisi discutiantur negativa veri seu affirmativa falsi, quae clauserunt, quae discutienda sunt in mundo; quod non fieri potest, nisi per inversionem vitae totalem, ita per plures annos; nam falsa per series se disponunt, et nexum inter se continuum faciunt, et formant ipsam mentem naturalem, et ejus intuitionem quoad illa quae Ecclesiae et coeli sunt; inde est, quod omnia quae fidei et charitatis sunt, hoc est, quae doctrinae Ecclesiae seu quae Verbi, in communi omnia coelestia et Divina illis caligo sint, et vicissim mundana et terrestria illis lux; inde patet, quod destruere falsa apud tales, sit destruere ipsam vitam, et si illis novum vitae erit, quod falsa successive exstirpanda sint, et loco eorum implantanda vera et bona, quae similiter continuum nexum inter se formabunt, ac in series disponentur; hoc intelligitur per inversionem vitae totalem, quae non nisi quam per plures annos dari potest; quare qui credit quod homo momento fieri possit novus, valde fallitur. At qui se non confirmaverunt contra bona et vera fidei, sicut illi qui extra Ecclesiam sunt, et tamen in quadam specie fidei et charitatis secundum suum religiosum vixerunt, illi non potuerunt per negativa veri ac per confirmativa falsi contra verum fidei ex Verbo apud se Internum hominem claudere, quapropter etiam, si non in mundo, usque in altera vita aperitur eorum internum supra, quod est in coelum et ad Dominum, et tunc simul omnia terrestria et mundana, quae secum a vita in mundo traxerunt, elevantur, ut simul spectent sursum; per quae in statu sunt recipere vera fidei et bona charitatis a Domino, ac imbui intelligentia et sapientia, et sic donari felicitate aeterna; talis sors est omnium, qui secundum religiosum suum in bono vixerunt: quapropter Ecclesia Domini est per universum orbem sparsa: sed ipsa Ecclesia Domini in terris se habet sicut Maximus Homo in coelis, cujus cor et pulmo est ubi Verbum, ac reliqua membra et viscera, quae a corde et Pulmone vivunt, sunt ubi non Verbum. Ex his quoque constare potest,

unde est, cur Nova Ecclesia semper apud Gentes, quae extra Ecclesiam sunt, instauretur, n: 2986. 4747, quod fit quando vetus Ecclesia clausit sibi coelum, ut supra dictum est; inde est, quod Ecclesia a populo Judaico translata sit ad Gentes; et quoque quod hodierna Ecclesia etiam ad Gentes nunc transferatur. Quod Ecclesia ad Gentes, quae agnoscunt Dominum, transferatur, constat a pluribus locis in Verbo, ut ab his sequentibus; apud Esaiam „*Populus ambulantes in tenebris, viderunt lucem magnam, habitantes in terra umbrae mortis*, lux effulsit super eos: *multiplicasti Gentem*, illi magnum reddidisti gaudium" IX: 1. 2. Apud Eundem „Fiet in die illo, *Radicem* [10] *Jischaji*, quae stans in signum *populorum*, *gentes quaerent*, et erit quies Ipsius gloria" XI: 10. Apud Eundem „Ego Jehovah *vocavi Te in Justitia*, et apprehendam manum *Tuam*, quia custodiam *Te*, et *dabo Te in foedus populo*, *in lucem Gentium*, ad aperiendum oculos caecos, ad educendum e carcere vinctum, e domo claustri *sedentes in tenebris*" XLII: 6. 7. Apud Eundem „*En testem populis dedi Ipsum*, *Principem et Legislatorem Gentibus;* en *Gentem*, non novisti, vocabis, et *Gens*, non noverant *Te*, *ad Te current*, propter Jehovam Deum Tuum, et ob Sanctum Israëlis" LV: 4. 5. Apud Eundem „*Ambulabunt Gentes ad lucem tuam*, et reges ad splendorem ortus tui, attolle circumcirca oculos tuos, omnes congregantur, *veniunt ad Te*, filii tui e longinquo veniunt, et filiae tuae ad latus a nutricibus apportantur; tunc videbis et afflues, et stupebit et dilatabit se cor tuum, *quod convertatur ad Te multitudo maris*, *exercitus gentium venient*" LX: 3. 4. 5. In Prophetia Simeonis de Domino nato, apud Lucam „Viderunt oculi mei salutare Dei, quod praeparasti ante faciem *omnium populorum*, *lumen in revelationem Gentium*" II: 30. 31. 32. In omnibus illis locis agitur de Domino, quod Gentes ad Ipsum venturae sint; et ad Ipsum veniunt, cum Ipsum agnoscunt pro suo Deo; et quod mirum, Gentes adorant unicum Deum sub forma humana; quapropter cum audiunt de Domino, recipiunt Ipsum et agnoscunt; nova Ecclesia nec apud alios instaurari potest. Quod apud tales Ecclesia instauretur, patet porro a Domini verbis, apud Matthaeum „Annon legistis in Scripturis, *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes*, hic factus est in ca-

put anguli, ideo dico vobis, auferetur a vobis Regnum Dei, et *dabitur genti facienti fructus*" XXI: 42. 43; Lapis est Dominus, n: 6426; aedificantes sunt qui ab Ecclesia: quod hi ultimi erunt, et gentes primi, apud Lucam „*Venient ab ortibus et occasibus, et a septentrione et meridie, accumbentes in Regno Dei; et ecce sunt extremi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt ultimi*" XIII: 29. 30.

9257. Cum videris Asinum osoris tui cubantem sub onere suo, quod significet falsum non concordans cum bono Ecclesiae, ex quo perituri, constat ex significatione asini, quod sit verum scientificum, ita in opposito sensu falsum scientificum, de qua n: 2781. 5492. 5741. 8078; ex significatione osoris, cum de falso, quod sit quod contra bonum Ecclesiae, ita quod non concordat cum illo; nam odium in spirituali sensu est aversatio et dissidium quod inter vera et falsa, tum inter bona et mala, n: 3605. 4681. 4684; et ex significatione cubare sub onere, quod sit perire: inde patet, quod per asinum osoris significetur falsum [non] concordans cum bono Ecclesiae, ex quo perituri.

9258. Et cessaveris a removendo ei, quod significet non receptionem veri, constat ex significatione cessare a removendo, quod sit non instruere et emendare, hic non posse instrui, ita non recipere verum, quia de falso dicitur quod non concordat cum bono Ecclesiae, id falsum tale est: quod removere in sensu spirituali id sit, patet ex eo, quia voces se applicant ad rem, sic removere in sensu literae ad onus sub quo asinus cubat, et in sensu interno ad falsum quod non concordat cum bono Ecclesiae, quapropter in hoc sensu significatur non remotio a falso per emendationem, ita quoque non receptio veri per quod emendatio seu remotio. Sunt falsa quae concordant cum bono Ecclesiae, et sunt falsa quae non concordant cum illo; falsa, quae concordant, sunt in quibus bonum latet, et quae sic per bonum flecti possunt ad vera; at falsa quae non concordant cum bono Ecclesiae, sunt in quibus malum latet, et quae sic non flecti possunt ad vera. Cum bono quod intus latet in veris genuinis aut in veris non genuinis, quae nunc supra falsa dicta sunt; et cum malo quod intus in falsis, et quoque in veris, se habet sicut cum prolifico in semine fructus; cum fructus nascitur, tunc omnes fibrae ejus spectant versus prolificum seminis, et per suc-

cum transmeantem alunt id, et formant id, at cum formatum est, tunc recedunt fibrae, et vehunt succum a semine; inde caro fructus fathiscit et putrescit, et dein inservit prolifico pro humo; similiter se habet cum ipso semine, cum prolificum ejus inchoat e novo producere se in terra: prolificum in plantis correspondet bono in homine, ipsum semen correspondet internis, et caro fructus circum semen correspondet externis; cum internum hominis e novo formatur seu regeneratur, tunc scientifica et vera quae Externi hominis, sunt sicut fibrae fructus, per quas succus transfertur ad internum, quae quoque postea, cum homo regeneratus est, separantur et inserviunt pro humo; similiter fit cum Interno hominis, cui semen correspondet; tunc bonum, quod ita formatum est, producit novum hominem, sicut prolificum in semine novam arborem vel novam plantam; fiunt sic omnia nova, et postea multiplicantur et fructificantur in aeternum: inde homo novus fit sicut hortus ac paradisus, cum quibus etiam comparatur in Verbo. Hoc intelligitur per Domini Verba apud Matthaeum „*Simile est Regnum coelorum grano sinapis*, quod *accipiens homo seminavit in agro suo, quod minus est omnibus seminibus: quando autem excrevit, majus est oleribus, et fit arbor, ita ut veniant volatilia coeli et nidulentur in ramis ejus*" XIII: 32. Ex his constare potest, quomodo se habet cum veris genuinis et non genuinis, in quibus intus est bonum, quod nempe, cum bonum formatum est, tunc producat talia vera quae concordant cum bono; quae tametsi non genuina vera sunt, usque tamen acceptantur sicut genuina, quia sapiunt ex bono, nam inde essentiam et vitam suam trahunt; bonum enim prolificat et producit se per vera, et in productione in continuo conatu est novum bonum, in quo simile prolificum sit, parere; similiter ac facit prolificum seminis in planta aut arbore, dum e terra profert se propter novos fructus et nova semina: sed varietates perpetuae sunt, quae se habent secundum bona formata per vitam charitatis secundum praecepta fidei. Ex opposito videri potest, quomodo se habet cum falsis, in quibus malum, quod nempe sint sicut arbores, quae malos fructus ferunt, quae exstirpandae, et in ignem conjiciendae, secundum Domini verba apud Matthaeum „*Omnis arbor bona fructus bonos facit, putris autem arbor fructus malos facit; non pot-*

est arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere: omnis arbor quae non facit fructum bonum, exscinditur et in ignem conjicitur; quare ex fructibus eorum cognoscetis eos» VII: 17. 18. 19. 20. Cap: XII: 33. Et apud Johannem *„Jesus dixit, quemadmodum palmes non potest fructum ferre a seipso, ni manserit in vite, ita neque vos nisi in Me manseritis: Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in Me et Ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine Me non potestis facere quicquam: nisi quis manserit in Me, ejicietur foras sicut palmes, et arefiet, et colligunt illum, et in ignem conjiciunt, comburiturque»* XV: 4. 5. 6: inde patet, quod omne bonum, quod aliquem fructum feret, sit ex Domino, et nisi ab Ipso, non sit bonum.

9259. Removendo removebis cum illo, quod significet exhortationem et nisum emendationis, constat ex significatione removere, cum de falso quod non concordat cum bono Ecclesiae, quod sit emendatio, ut supra n: 9258, hic nisus emendationis et exhortatio, quia tale falsum aegre emendatur. Falsa quae non concordant cum bono Ecclesiae, sunt omnia illa quae contra Dominum sunt, et quae contra bonum amoris in Ipsum, et contra bonum charitatis erga proximum. Quod talia, quae nunc explicata sunt, in binis his Legibus seu Judiciis, intus recondita lateant, patet etiam ex eo, quod illa, [II] quae in litera continent, raro eveniant, nempe quod occurratur bovi seu asino inimici erranti, et quod videatur asinus osoris cubans sub onere, et inde non tanti, ut inter leges et judicia promulgata fuissent e monte Sinai; sed illa quae intus in se continent, faciunt, ut inter praecipua judicia sint; continent enim quod Gentes etiam amandae essent, ac instruendae in veris fidei, et emendandae quoad vitam: sed haec interna harum legum coram populo Israëlitico et Judaico non potuerunt exponi, quia in externis erant absque internis; et quia e Patribus suis traxerunt, quod odio haberent, et inde pro inimicis et hostibus, omnes qui non ex fratribus suis essent, hoc est, qui non nati ex Jacobo: de Judaeis quales fuerint, videatur n: 4307. 4314. 4316. 4317. 4429. 4433. 4444. 4825. 4903. 6304. 8588. 8788. 8806. 8871.

9260. Non declinabis judicium egeni tui in lite sua, quod significet non destructionem pauci veri apud illos qui in ignoran-

tia, constat ex significatione declinare, quod sit pervertere, et sic destruere; ex significatione judicii, quod sit rectum et verum, de qua n: 2235. 2335. 5068. 6397. 7206. 8685. 8695. 8972: ex significatione egeni, quod sit qui in pauco vero ex ignorantia, et usque desiderat instrui, de qua n: 9209; et ex significatione litis, quod sit contentio, de qua n: 5963. [12] 9024; hic in lite est in sua causa de pauco vero, pro quo contendit.

9261. A verbo mendacii elongabis te, quod significet aversationem pro falso ex malo, constat ex significatione mendacii, quod sit falsum ex malo, de qua n: 8908. 9248, quod sit falsum ex malo, est quia id falsum elongandum est, trahit enim suam essentiam ex malo, et malum ac bonum sunt opposita, malum enim est ex inferno, et bonum est e coelo, et ibi a Domino; falsum autem non ex malo, quod est falsum ignorantiae, non est tale, videatur n: 1679. 2863. 4551. 4552. 4729. 4736. [13] 6359. 7272. 7574. 8149. 8311. 8318 fin: 9258; et ex significatione elongare se, quod sit aversari. Quod elongatio sit aversatio, ducit causam ex elongationibus, quae apparent in mundo spirituali, quod sint secundum dissimilitudines, dissidentias et aversationes quoad illa quae vitae spiritualis sunt; qui enim ibi in uno loco apparent, illi in simili statu affectionum et inde cogitationum sunt, qui ut primum dissident, ab invicem separantur et elongantur, et hoc fit secundum gradum dissidentiae: hoc inde existit, quia spatia, sicut etiam tempora in mundo spirituali, sunt status, ac inde distantiae sunt diversitates statuum; sed usque coram visu externo ibi status apparent ut spatia, et eorum diversitates ut distantiae: quod spatia et distantiae, ut et tempora sint status, videatur n: 1273 ad 1277. 1376 ad 1396. [14] 2625. 3356. [15] 3387. 3404. 3638 ad 3641. 4321. 4882. 7381. [16] 9104; at quod usque apparentiae spatiorum et distantiarum sint, sed oriundae ex mutationibus status in interioribus, n: 5605: [17] inde nunc patet, quod elongatio in sensu interno sit aversatio.

9262. Ac innocentem et justum ne occidas, quod significet aversationem pro destruendo bono interiori et exteriori, constat ex significatione innocentis, quod sit qui in bono interiori, ita in sensu abstracto bonum interius, de qua sequitur; ex significatione justi, quod sit qui in bono exteriori, et in sensu abstra-

cto bonum exterius, nam justum praedicatur de bono amoris erga proximum, at innocens de bono amoris in Dominum; bonum amoris erga proximum est bonum exterius, et bonum amoris in Dominum est bonum interius; et ex significatione occidere, quod sit destruere. Quod Justum sit bonum amoris erga proximum, videbitur etiam infra: at quod innocens sit bonum amoris in Dominum, est quia illi in innocentia sunt qui amant Dominum; Innocentia enim est agnoscere corde, quod a se non nisi quam malum velit, et non nisi quam falsum percipiat; et quod omne bonum quod amoris, et omne verum quod fidei, sit a Solo Domino: haec agnoscere corde non alii possunt, quam qui Domino conjuncti sunt per amorem; tales sunt qui in intimo coelo sunt, quod inde coelum innocentiae vocatur; quapropter bonum, quod illis, est interius bonum; est enim Divinum bonum amoris procedens a Domino, quod, qui in coëlo innocentiae sunt, recipiunt; inde quoque illi nudi apparent, et quoque sicut infantes; ex quo est, quod innocentia repraesentetur per nuditatem, et quoque per infantiam; quod per nuditatem, videatur n: 165. 213. 214. 8375; et quod per infantiam, n: 430. 1616. 2280. 2305. 2306. 3183. 3494. [18] 4563. 4797. 5608 fin. Ex illis quae de Innocentia nunc dicta sunt, constare potest, quod Divinum Domini non recipi possit, quam in Innocentia; unde est, quod bonum non sit bonum, nisi in eo sit innocentia, n: 2526. 2780. 3994. 6765. 7840. 7887; hoc est, agnitio quod ex proprio non nisi quam malum et falsum procedat, et quod a Domino omne bonum et verum sit; credere illud, et credere hoc, et quoque velle hoc, est innocentia: est itaque bonum innocentiae ipsum bonum Divinum a Domino apud hominem: inde est, quod innocens significet illum, qui in bono interiori est, ac in sensu abstracto bonum interius. Quia per innocentem seu innocentiam, Divinum bonum quod a Domino significatur, ideo crimen maxime nefandum fuit sanguinem innocentem effundere, et cum factum, quod universa terra damnata esset, usque dum id expiatum fuit, ut constare potest a Processu inquisitorio et expurgatorio, si aliquis confossus deprehensus fuerit in terra, de qua re ita apud Moschen „Cum invenitur *Confossus in terra jacens in agro*, nec scitur quis percusserit eum; tunc exibunt seniores urbis, [et judices, et metien-

tur versus urbes], *quae circum confossum;* fiet autem, urbem proximam *confosso*, sument seniores urbis hujus vitulam bovis, per quam labor non factus, quae non traxit in jugo, et deducent seniores urbis hujus vitulam ad vallem sterilem, quae non colitur, nec seritur, et decollabunt ibi vitulam in valle: dein accedent sacerdotes filii Levi, et omnes seniores urbis hujus adstantes *Confosso,* lavabunt manus suas super vitula decollata in valle; et respondebunt et dicent; *manus nostrae non confuderunt sanguinem hunc*, et oculi nostri non viderunt; expia populo tuo Israëli quem redemisti Jehovah, *nec des sanguinem innocentem in medio populi tui Israëlis:* sic expiabitur illis *sanguis: tu vero removebis sanguinem innocentem e medio tui*, si feceris rectum in oculis Jehovae" Deut: XXI: 1 ad 10; quisque videre potest, quod hic processus inquisitorius et expurgatorius sanguinis innocentis effusi in terra arcana coeli involvat, quae nullatenus sciri possunt, nisi sciatur quid significatur per confossum in agro, per vitulam bovis per quam labor non factus, et quae non traxit in jugo; quid per vallem sterilem quae non colitur nec seritur, per decollationem vitulae in illa valle, per lavationem manus super vitula, et per reliqua: quod haec mandata fuerint absque quod significaverint arcana, nullatenus conveniret Verbo, quod a Divino dictatum est et quoad quamlibet vocem et jotam inspiratum; nam tale absque altiore significatione fuisset rituale nullius sanctitatis, imo vix alicujus rei: sed usque patet, quaenam arcana inibi latent ex sensu interno, ita si sciatur, quod per confossum in terra jacentem in agro significetur verum et bonum exstinctum in Ecclesia ubi bonum; quod per urbem proximam confosso significetur verum doctrinae Ecclesiae cujus bonum exstinctum est; quod per vitulam bovis per quam labor non factus est, et quae non traxit in jugo, bonum externi seu naturalis hominis, qui nondum sibi attraxit falsa fidei et mala amoris per servitium cupiditatum; quod per vallem sterilem, quae non colitur nec seritur, significetur mens naturalis non exculta veris et bonis fidei, ex ignorantia; quod per decollationem in illa valle, significetur expiatio propter non culpam quia ex ignorantia; quod per lavationem manus significetur purificatio e nefando illo crimine; ex his cognitis patet quod per effundere sanguinem innocentem signi-

ficetur exstinguere Divinum Verum et Bonum quod a Domino, ita Ipsum Dominum apud hominem Ecclesiae: sciendum est, quod per totum hunc Processum repraesentatum fuerit in coelo crimen tale factum absque culpa, quia ex ignorantia in qua innocentia, et inde ut non malum; singula usque ad minutissima in illo processu aliquid essentiale illius rei repraesentabant; quae autem repraesentabant, constat ex sensu interno: quod Confossus sit verum et bonum exstinctum, videatur n: 4503: quod terra sit Ecclesia, n: 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 fin: [19] 2928. 3355. 4447. 4535. 5577. 8011. 8732; quod ager sit Ecclesia quoad bonum, ita bonum Ecclesiae, n: 2971. 3310. 3766. 4982. 7502. 7571. 9139; [20] quod urbs sit doctrina veri, ita verum doctrinae Ecclesiae, n: 402. 2268. 2449. [21] 2712. 2943. 3216. 4492. 4493; quod bos sit bonum externi seu naturalis hominis, n: 2180. 2566. 2781. 9134; [22] inde vitula bonum infans, n: 1824. 1825; quod labor non factus et [non] traxit in jugo, sit quod adhuc non serviverit falsis et malis, ex ignorantia, patet, nam laborare et trahere in jugo est servire; quod vallis sit mens inferior, quae mens naturalis vocatur, n: 3417. [23] 4715; quod sterilis sit quae absque veris et bonis, n: 3908; ita vallis quae non colitur et seritur, est mens naturalis nondum exculta veris et bonis, ita quae adhuc est in ignorantia; quod semen quo seritur sit verum fidei, n: 1025. 1447. 1610. 1940. 2848. 3038. 3373. 3671. 6158; quod decollatio sit expiatio, est quia per mactationes bestiarum variarum, sicut per sacrificia, significabantur expiationes; quod lavatio manus sit purificatio a falsis et malis, n: 3147, hic itaque purificatio a nefando illo crimine; nam effundere sanguinem in genere significat violentiam inferre bono et vero, n: 9127, sic effundere sanguinem innocentem significat exstinguere Divinum a Domino apud hominem, ita Ipsum Dominum apud illum; nam verum et bonum apud hominem est Ipse Dominus, quia sunt ab Illo. Simile significatur per effundere sanguinem innocentem, in Deuter: Cap: XIX: 10. Cap: XXVII: 25. Esai: LIX: 3. 7. Jerem: II: 34. Cap: VII: 6. Cap: XIX: 4. Cap: XXII: 3. 17. Joël: IV: 19. Psalm: XCIV: 21. Innocens in sensu proximo significat qui absque culpa, et absque malo, quod etiam testabantur olim per lavationem manuum, Psalm:

XXVI: 6. Psalm: LXXIII: 13. Matth: XXVII: 24. Johan: XVIII: 38. Cap: XIX: 4: hoc inde est, quia bonum quod a Domino apud hominem est absque culpa ac absque malo; id bonum est bonum innocentiae in sensu interno, ut ostensum est: sed bonum quod absque culpa et malo est in externo homine, hoc est, bonum exterius, vocatur Justum; ut quoque apud Davidem „Non associabitur Tibi thronus perditionum, qui conglomerant se contra *Animam Justi*, et *sanguinem innocentem* condemnant" Psalm: XCIV: 21.

9263. In Verbo pluries memoratur *Justus*, *Justitia*, et *Justificare*, sed quid in specie per illa significatur, nondum est notum; quod non notum sit, est quia huc usque ignoratum est, quod singulae voces in Verbo significent talia quae internae Ecclesiae et quae Coeli sunt, ita quae Interni hominis sunt, nam in Interno homine est Internum Ecclesiae et Coelum; tum quod illa interiora in Verbo differant ab exterioribus ejus, quae sunt literae, sicut spiritualia a naturalibus seu coelestia a terrenis, quorum differentia tanta est, ut coram naturali homine vix appareat similitudo, tametsi est concordantia plena: hoc quia ignoratum est, non sciri potuit quid Justus, Justitia, et Justificari, in sensu spirituali et coelesti in Verbo significent; creditur ab Antistitibus, quod Justus et Justificatus sit, qui scit vera fidei ex doctrina Ecclesiae ac ex Verbo, et inde in fiducia seu confidentia est, quod salvetur per Domini Justitiam, et quod Justitia Domino fuerit ex eo quod impleverit omnia Legis; et quod Ipsi meritum, quia passus crucem, et per id expiaverit et redemerit hominem; per hanc solam fidem creditur homo justificari; et quod illi sint qui in Verbo vocantur justi. Ast non illi sunt qui vocantur Justi in Verbo, sed qui in bono charitatis erga proximum sunt ex Domino, nam Dominus Solus Justus est, quia Solus Justitia; idcirco homo quantum boni a Domino recipit, hoc est, quantum et quale Domini apud se habet, tantum Justus ac justificatus est; quod Dominus Justitia factus sit, est per quod Ipse Humanum suum ex propria potentia Divinum fecit; hoc Divinum apud hominem, qui recipit illud, est Justitia Domini apud illum, et est ipsum Bonum charitatis erga proximum; nam Dominus est in Bono amoris et per id in Vero fidei, quia Dominus est Ipse Divinus Amor. Bonum charitatis erga

proximum est Bonum exterius, quod significatur per Justum; et Bonum amoris in Dominum, est Bonum interius, quod significatur per Innocens, de quo in praecedente articulo. Quod Bonum amoris erga proximum a Domino sit Justum in proprio sensu, constare potest ex locis in Verbo, ubi Justus, Justitia, et Justificari, nominantur; ut apud Matthaeum „*Tunc respondebunt Ipsi Justi*, dicentes, quando Te vidimus esurientem et nutrivimus Te, aut sitientem et potavimus Te; quando vidimus Te peregrinum et collegimus Te; aut nudum et circum induimus Te; quando vidimus Te aegrotum, aut in custodia, et venimus ad Te: sed respondens Rex dicet illis, *amen dico vobis, in quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis:* et ibunt *Justi* in vitam aeternam" XXV: 37. 38. 39. 40. 46; [24] hic Justi vocantur, qui bona charitatis erga proximum praestiterunt, quae ibi recensentur; et quod bona charitatis, sint Dominus apud illos, dicitur manifeste „In quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis" videatur n: 4807 ad 4810. 4954 ad 4959. 5063 ad 5071; hi vocantur etiam oves, nam per oves significantur qui in bono charitatis sunt a Domino, n: 4169; at per hircos, qui a sinistris, et damnantur, significantur qui in fide separata a charitate, n: 4169 fin: 4769. Iidem per Justos significantur alibi apud Matthaeum „Exibunt Angeli, et separabunt malos *e medio Justorum*" XIII: 49: et apud Lucam „Retribuetur tibi *in resurrectione Justorum*" XIV: 14. Inde patet quid significatur per „*quod Justi fulgebunt ut sol in coelo*" Matth: XIII: 43, quod nempe qui in bono amoris a Domino sunt, Dominus enim est Sol in altera vita, et quod a Domino ut Sole ibi est Bonum amoris, videatur n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 2441. 2495. 3636. 3643. 4060. 4321 fin: 4696. 5097. 7078. 7083. 7171. 7173. 7270. 8487. 8812; inde Dominus vocatur „*Sol justitiae*" Malach: IV: 2. Apud Danielem „Intelligentes splendebunt sicut splendor expansi, et *Justificantes multos* sicut stellae in saeculum saeculorum" XII: 3, intelligentes sunt qui in vero et bono fidei, justificantes qui per verum et bonum fidei ducunt [25] ad bonum charitatis; splendere sicut stellae, est in intelligentia veri et in sapientia boni esse, et inde in felicitate aeterna; nam stellae sunt cognitiones veri et boni, ex quibus intelligentia et sapien-

tia, n: 2495. 2849. 4697. Justus describitur ita apud Davidem „Jehovah sustentat *Justos; Justus* miseretur [26] et dat: *Justus* omni die miseretur et mutuo dat: *Justi* possidebunt terram: *Os Justi* meditatur sapientiam, et lingua ejus loquitur judicium: lex Dei illius in corde ejus" Psalm: XXXVII: 16 ad 34; haec sunt bona charitatis, quae sunt justi; quod bona illa charitatis sint a Domino, adeo ut sint Domini apud hominem, novit Ecclesia. Describitur etiam justus apud Ezechielem Cap: XVIII: 5 ad 9. 21, tum Cap: XXXIII: 15 seq: Ex his constare potest, quid per Justum et per Justitiam significatur in sequentibus his locis; apud Matthaeum „Beati qui esuriunt et sitiunt *Justitiam*, hi enim saturabuntur" V: 6. Apud Eundem „Qui prophetam suscipit in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et *quisquis suscipit Justum in nomine Justi*, mercedem *Justi* accipiet" X: 41. Apud Eundem „Multi Prophetae et *Justi* desideraverunt videre quae videtis, sed non viderunt" XIII: 17. Apud Eundem „Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae, quia aedificatis sepulchra Prophetarum, et ornatis monumenta *Justorum;* veniet super vos omnis *sanguis justus* effusus super terram a sanguine Abelis justi" XXIII: 29. 35; prophetae pro illis qui docent vera et bona fidei, et in sensu abstracto doctrinae fidei, n: 2534. 7269; et justus pro illis qui vivunt vitam charitatis, et in sensu abstracto bonum charitatis; quod Abel, qui vocatur justus, repraesentaverit bonum charitatis, videatur n: 342. 374. Apud Esaiam „*Justus periit*, nec vir ponens super cor; et viri sanctitatis colliguntur, et non intelligens; nam propter malum colligitur *justus*" LVII: 1. Apud Eundem „Populi *tui omnes justi*, in aeternum possidebunt terram" LX: 21. Apud Eundem „Stillate coeli desuper, et nubes defluant *Justitia;* aperiat se terra, ut fructificent salutem, et *Justitia* germinet una. Ego Jehovah loquens *Justitiam*, indicans rectitudines" Cap: XLV: 8. 19, [27] justitia pro quod ex bono amoris, rectitudines pro quod ex veris fidei. Apud Esaiam „Sic dixit Jehovah, custodite *judicium* et *facite justitiam;* quia prope salus mea, et *justitia mea ut reveletur*" LVI: 1, per judicium significatur verum quod fidei, et per justitiam bonum quod charitatis, quapropter dicitur facere justitiam; quod justitia sit bonum charitatis a Domino, intelligitur

per quod prope sit justitia mea ut reveletur. Pluries etiam alibi dicitur Judicium et Justitia, et per Judicium significatur Verum, ac per Justitiam Bonum; ut apud Jeremiam „Sic dixit Jehovah, facite *Judicium* et *Justitiam;* et eripite spoliatum e manu oppressoris: vae aedificanti domum suam *in non justitia*, et hyperoa sua *in non judicio.* Pater tuus nonne comedit et bibit, et fecit *judicium* et *justitiam*, tunc bonum illi" XXII: 3. 13. 15; [28] judicium pro illis quae sunt veri, et justitia pro illis quae sunt boni. Apud Ezechielem „Si impius reversus fuerit a peccato suo, et *fecerit judicium* et *justitiam*, omnia peccata ejus quae peccavit non memorabuntur ei; *judicium et justitiam fecit*, vivendo vivet, in revertendo se impio ab impietate sua, et *fecerit judicium* et *justitiam*, propter illa is vivet" XXXIII: 14. 16. 19; pariter alibi, ut Esai: LVI: 1. Cap: IX: 6. Cap: XVI: 5. Cap: XXVI: 7. 9. Cap: XXXIII: 5. 15. Cap: LVIII: 2. Jerem: IX: 23. Cap: XXIII: 5. Cap: XXXIII: 15. [29] Hosch: II: 19. 20. Amos V: 24. Cap: VI: 12. Psalm: XXXVI: 6. 7. Psalm: CXIX; 164. 172; dicitur judicium et justitia, quia in Verbo ubi agitur de Vero etiam agitur de bono, ob conjugium coeleste in singulis ibi, quod est conjugium boni et veri, de quo n: 683. 793. 801. 2173. [30] 2516. 2712. 7945 fin: 5138. 5502. 6343. 7945. 8339; quia justitia est boni, et judicium veri, etiam alibi dicitur *justitia* et *veritas*, ut Sachar: VIII: 8. Psalm: XV: 2. Psalm: XXXVI: 6. 7. Psalm: LXXXV: 12. 13.

9264. Quia non justificabo improbum, quod significet quod malignitas talis sit contra Divinam Justitiam, constat ex significatione justificare, quod sit insontem declarare et absolvere, hic autem non absolvere, quia dicitur non justificabo; quod justificare etiam sit insontem declarare et absolvere, patet a vocis illius significatione forensi, ut quoque apud Matthaeum „Ex verbis tuis *justificaberis*, et ex verbis tuis condemnaberis" XII: 37, et apud Lucam „*Vos estis justificantes vos* coram hominibus, Deus autem cognoscit corda vestra" XVI: 15; et ex significatione improbi, quod sit malignitas, de qua supra n: 9249; malignitas, de qua hic dicitur quod sit contra Divinam justitiam, est destruere bonum interius et exterius, quod significatur per occidere innocentem et justum, de quibus mox supra n: 9262. 9263, et id destruitur, cum negatur Divinum Verum

et Bonum, quod a Domino, tunc apud hominem id exstinguitur, ita Ipse Dominus, a quo omne bonum quod est bonum, et omne verum quod est verum procedit, quo exstincto homini non amplius est vita spiritualis, ita non salus: exstinguitur id, verum et bonum, cum Divinum Domini negatur, et quoque cum Verbum, nam hoc est Divinum Verum a Domino et de Domino; hoc negare, cum prius agnitum et receptum fide est, et sic exstinguere, est peccatum contra Spiritum Sanctum, quod non remittitur, Matth: XII: 31, nam Spiritus Sanctus est Divinum Verum et Bonum, quoniam est Sanctum procedens a Domino, n: 9222; hoc idem quoque significatur per effundere sanguinem innocentem, de quo mox supra; quod haec malignitas non remittatur, quia est contra Divinam justitiam, significatur per non justificabo improbum.

9265. Et munus non accipies, quod significet aversationem pro lucro quocunque, constat ex significatione muneris, quod sit omne mundanum quod amatur, sive opulentia sit, sive dignitas, sive fama, sive aliud quod adblanditur naturali homini; haec vocantur in genere lucra, et in sensu interno intelliguntur per munus quod occaecat et pervertit; et ex significatione non accipere, quod sit aversari, nam nisi aversationi sunt, usque spectantur et accipiuntur; sed tunc aversationi sunt, cum coeleste et Divinum amatur prae mundano et terrestri, nam quantum unum amatur, tantum alterum odio habetur; secundum Domini verba apud Lucam „Nullus servus potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit, et alterum amabit; non potestis Deo servire et Mammonae" XVI: 13; odio habere est aversari, nam aversatio est odii, et odium est oppositum amori, quare dicitur, aut alterum amabit: ex his patet, quod per munus non accipies, significetur aversatio pro lucro quocunque.

9266. Quia munus occaecat apertos oculis, quod significet quod lucra faciant ut non appareant vera, constat ex significatione muneris, quod sit lucrum quodcunque, de qua mox supra n: 9265; ex significatione, occaecare, cum de veris, quod sit facere ut non appareant; et ex significatione apertorum oculis seu videntium, quod sint qui sciunt vera, et perspiciunt quid verum, nam per videre significatur scire, intelligere et agno-

scere vera, et quoque fidem habere, n: 897. 2150. 2325. 2807. 3764. 3863. 3869. 4403 ad 4421. 5114. 5286. 5400. 6805. 8688. 9128, quapropter aperti oculis vocantur sapientes alibi „*Munus occaecat oculos sapientum*" Deut: XVI: 19.

9267. Et pervertit verba justorum, quod significet ut appareant sicut vera boni, constat ex significatione pervertere verba justorum, quod sit ut appareant similia veris boni, verba enim sunt res ipsae, ita vera, et justi sunt qui in bono, n: 9263; quod verba sint vera, est quia verbum in Lingua originali significat id quod est aliquid, et quod realiter existit, inde quoque significat verum, nam ad verum se refert omne quod ex esse realiter existit: ex eo etiam est, quod Divinum Verum dicatur Verbum.

9268. Et peregrinum non opprimes, quod significet quod qui desiderant instrui in veris Ecclesiae, non infestandi malis vitae, constat ex significatione peregrini, quod sit qui desiderat instrui in veris Ecclesiae, de qua n: 8007. 8013. 9196; [31] et ex significatione opprimere, quod sit infestare malis vitae, de qua n: 9196.

9269. Et vos nostis animam peregrini, quod significet desiderium eorum et vitam, constat ex significatione animae, cum de illis qui desiderant instrui in veris fidei, qui significantur per peregrinos, quod sit desiderium et vita; anima enim est vita ex fide, n: 9050; et desiderium est ipsum activum vitae, nam est ex affectione boni, et ex affectione boni vivit verum fidei.

9270. Quia peregrini fuistis in terra Aegypti, quod significet quod a falsis et malis tutati sint, cum infestati ab [32] infernalibus, constat ex illis quae n: 9197 ostensa sunt, ubi eadem verba.

9271. Vers: 10. 11. 12. 13. *Et sex annis seres terram tuam, et colliges proventum ejus. Et septimo intermittes eam et dimittes eam, et comedent egeni populi tui; et residuum illorum comedet fera agri; ita facies vineae tuae, oliveto tuo. Sex diebus facies opera tua, et die septimo cessabis, propterea ut requiescat bos tuus et asinus tuus, et respiret filius ancillae tuae et peregrinus. Et omne quod dixi ad vos custodietis; et nomen deorum aliorum non memorabitis, non audietur super ore tuo.* Et sex annis seres terram tuam, significat statum pri-

mum cum homo Ecclesiae instruitur in veris et bonis fidei: et colliges proventum ejus, significat bona veri inde: et septimo intermittes eam et dimittes eam, significat statum alterum cum homo Ecclesiae in bono est, et sic in tranquillo pacis: et comedent egeni populi tui, significat conjunctionem per bonum charitatis cum illis qui in paucis veris sunt, et usque desiderant instrui: et residuum eorum comedat fera agri, significat per illos cum iis qui in jucundis veri externi sunt: ita facies vineae tuae, oliveto tuo, significat quod ita sit cum bono spirituali et cum bono coelesti: sex diebus facies opera tua, significat statum laboris et pugnae quando in externis quae conjungenda internis: in die septimo cessabis, significat statum boni quando in internis, et illius tranquillum pacis tunc: propterea ut requiescat bos tuus et asinus tuus, significat tranquillum bonis et veris externis simul: et respiret filius ancillae tuae et peregrinus, significat statum vitae illorum qui in veris et bonis extra Ecclesiam; et omne quod dixi ad vos custodietis, significat quod praecepta, judicia et statuta facienda sint: et nomen deorum aliorum non memorabitis, significat quod non cogitandum ex doctrina falsi: non audietur super ore tuo, significat quod [non] obediendum ulla affirmatione.

9272. Sex annis seres terram, quod significet statum primum cum homo Ecclesiae instruitur in veris et bonis fidei, constat ex significatione sex annorum, quod sit status hominis, qui regeneratur, primus, de qua infra n: 9274; et ex significatione serere terram, quod sit cum inseminantur vera et bona fidei; quod serere terram sit illud, est quia omnia quae sunt agri, sementis et ejus proventus significant talia quae sunt Ecclesiae in communi, et quae sunt hominis Ecclesiae in particulari, qui est homo regeneratus per verum fidei et bonum charitatis a Domino; inde est quod ager et humus in Verbo significent illos in Ecclesia, qui recipiant vera et bona fidei, sicut ager semina: quapropter etiam in Verbo pluries memoratur ager, semen, sementis, messis, proventus, frumentum et triticum, et inde panis, praeter reliqua quae sunt agri. Qui non scit quomodo se habet cum statu coeli, non aliter credit quam quod illa [33] in Verbo solum loquutiones metaphoricae ac comparationes sint, sed sunt reales correspondentiae; quando enim angelis est sermo de

regeneratione hominis a Domino per vera fidei et bona charitatis, tunc infra in mundo spirituum apparent agri, sata, novalia, et quoque messes; et hoc ex causa quia correspondent: qui hoc scit, etiam scire potest, quod talia in mundo secundum Correspondentias creata sint; nam Universa Natura, hoc est, Coelum cum sole, luna, astris, et Tellus cum subjectis trium regnorum suorum, correspondent talibus quae in mundo spirituali sunt, n: 2993. 5116. 5377; et quod sic natura sit theatrum repraesentativum Regni Domini, n: 3483; et quod inde subsistant omnia quae in mundo naturali, n: 2987. 2989. 2990. 2991. [34] 3002. 8211: ex his patet, unde est quod illa quae sunt agri, hoc est, quae seruntur in agro et metuntur ex agro, significent talia quae sunt Ecclesiae in communi et in particulari: quod etiam comparationes in Verbo sint ex illis quae correspondent, videatur n: 3579. 8989. Quod serere terram seu agrum, sit docere et discere vera et bona fidei quae Ecclesiae, et quod proventus sint bona veri inde, constare potest ex pluribus locis in Verbo; ut apud Esaiam „ Quia oblita es Dei salutis tuae, propterea *plantabis plantas jucundarum; sed palmite extranei conseres eam;* in die *plantam tuam crescere facies*, et mane *semen tuum efflorescere*, *acervus messis* in die possessionis; at dolor desperatus" XVII: [10.] 11, hic talia quae super tellure crescunt, memorantur; quod tamen sancta Ecclesiae per illa intelligantur, patet, nempe per plantare plantas jucundarum, talia quae favent affectionibus; et per palmite extranei conserere terram, docere vera non genuina. Apud Jeremiam „ Sic dixit Jehovah viro Jehudae et Hierosolymae, *novate vobis novale, neque serite inter spinas*, circumcidite vos Jehovae, et removete praeputia cordis vestri" IV: 3. 4, quod serere inter spinas sit docere et discere vera, sed quae curae mundi, fraus divitiarum, et concupiscentia suffocant et infrugifera reddunt, docet Dominus apud Marcum Cap: IV: 7. 18. 19; quapropter dicitur quod circumciderent se Jehovae et removerent praeputia cordis, hoc est, quod purificarent se a talibus quae vera et bona fidei suffocant et infrugifera reddunt; [quod] circumcidere id sit, videatur n: 2039. 2056. 2632. 3412. 3413. 4462. 7045: simile per *serere tritica* et *metere spinas*, significatur apud Jeremiam Cap: XII: 13. Apud Micham „ Ego defatigatus sum percutien-

do te, devastando propter peccata tua; *tu seres sed non metes;* tu calcabis olivam, sed non unges te oleo; et mustum, sed non bibes vinum » VI: 13. 15; serere et non metere pro instrui in veris fidei sed absque profectu; calcare olivam sed non ungere se pro instrui de bono vitae, sed usque non vivere in illo; calcare mustum sed non bibere vinum pro instrui de veris quae ex bono, sed usque non appropriare illa sibi: quod talia Ecclesiae seu coeli per illa significentur, patet ex illis quae praecedunt, quod nempe ita devastarentur propter peccata eorum, nam impius et peccator instructionem recipit, sed modo inter scientifica reponit, quae e memoria depromit ad aucupandum famam, honores et opes, ita ad serviendum usui et fini malo, inde vera et bona, quibus homo instructus est, amittunt vitam coeli, et fiunt mortua, ac demum mortifera. Apud Esaiam « Beati vos *serentes juxta omnes aquas*, emittentes pedem bovis et asini » XXXII: 20, Serere juxta omnes aquas est instrui veris quibuscunque quae ad usum; emittere pedem bovis et asini est instrui in bonis et veris externis. Apud Eundem « Venturos radicabit Jacobus, efflorescet et florebit Israël, *ita ut impleantur facies orbis proventu:* non avolare cogentur amplius doctores tui, et erunt oculi tui respicientes doctores tuos, et aures tuae audient verbum a post te, dicendo, haec via ite in ea: tunc Jehovah dabit pluviam *seminis tui quo conseres terram*, et *panem proventus terrae*, et erit pingue et opulentum: pascent pecora tua in die illo prato lato; et *boves* et *asini laborantes terram* farraginem meram comedent: erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septupla, sicut lux septem dierum, in die quo obligabit Jehovah fracturam populi sui, et vulnus plagae ejus sanabit » XXVII: 6. [Cap: XXX:] 20 ad 26; quod Jehovah daret pluviam seminis quo consereret terram, et panem proventus terrae, quod pascerent pecora prato lato, quod boves et asini laborantes terram farraginem meram comederent, quod lux lunae esset sicut lux solis, et haec septupla, significent talia quae sunt Ecclesiae, patet manifeste cuivis qui expendit; tum quod significent instructionem in veris et bonis fidei; nam dicitur, erunt oculi tui respicientes doctores tuos, et aures tuae audient verbum, dicendo, haec via ite in ea; doctores enim sunt qui instruunt, et via in qua irent, est verum doctrinae et bonum

vitae: quid autem singula in specie significant, patet a significatione pluviae, seminis, proventus, terrae, pecorum, prati lati, boum et [35] asinorum laborantium terram, farraginis quam comedent; tum ex significatione lucis lunae et solis, ut et septupli et sex dierum: et quia talia quae sunt Ecclesiae, hoc est, quae doctrinae et vitae per illa significantur, sequitur, quod hoc fiet in die quo Jehovah obligabit fracturam populi sui, et sanabit vulnus plagae ejus, fractura populi est falsum doctrinae ex improbitate doctorum, ex concupiscentiis et ex aliis causis sensim irrepens, vulnus plagae est malum vitae inde. Quia apud populum Israëliticum et Judaicum omnia erant repraesentativa coelestium et Divinorum, etiam erant agri et eorum proventus, tum vineae, oliveta, et omnes plantationes, ut et armenta et boves, praeter etiam montes, colles, valles, fluvii, et reliqua quae sensibus eorum obvia fuerunt; inde erat, quod etiam talibus locupletati fuerint, cum statuta et judicia custodiverunt et fecerunt, secundum promissiones passim in Verbo, ut apud Moschen „Si in statutis meis ambulaveritis, et praecepta mea custodiveritis et feceritis illa, *dabo pluvias vestras in tempore suo*, et *dabit terra proventum suum*, et *arbor agri dabit fructum suum*" Levit: XXVI: [3.] 4: et apud Sachariam „*Vitis dabit fructum suum*, et *terra dabit proventum suum*, et *coeli dabunt rorem suum*; unde fiet, quemadmodum fuistis maledictio inter gentes, eritis benedictio" VIII: 12. 13. Contrarium evenit, quando colebant alios deos, nam tunc non amplius repraesentabant coelestia et Divina, sed infernalia et diabolica; quapropter tunc non amplius fuit fertilitas, nec proventus, sed consumtio et vastatio, secundum haec apud Moschen „Si serviatis diis aliis, exardescet ira Jehovae contra vos; *concludet coelum ut non sit pluvia*, et *terra non det proventum suum*" Deut: XI: 17: et apud Eundem „Cum pinguis factus est Jeschurun, recalcitravit, et deseruit Deum; sacrificant daemonibus, diis quos non noverunt; quare ignis accensus est in ira mea, et ardebit usque ad infernum infimum, ac *consumet terram et proventum ejus*" Deut: XXXII: [15. 17.] 22. Ex his nunc patet, quid significatur per serere terram, et per proventum ejus, tum quoque unde id quod significent; patet etiam quid per illa significatur in sequentibus his locis; apud Davidem „Jehovah ponit desertum in stagnum

aquarum, et terram siccitatis in exitus aquarum; facit habitare ibi famelicos, ut *serant agros*, et *plantent vineas*, et *faciant fructum proventus*" Psalm: CVII: 37. Apud Eundem „Confitebuntur Te populi omnes, *terra dabit proventum suum*, benedicet nobis Deus" Psalm: LXVII: 6. 7. 8. [36] Apud Moschen „Jehovah facit equitare populum suum super excelsis terrae, et *cibat proventu agrorum*, sugere facit eum mel e rupe petrae, et oleum ex saxo petrae" Deut: XXXII: 12. [13.]

9273. Et colliges proventum ejus, quod significet bona veri inde, constat ex significatione colligere, quod sit post instructionem appropriare sibi, nam cum serere est instruere ac instrui in veris fidei, ut nunc supra ostensum est, tunc colligere est appropriare sibi illa; appropriatio fit, cum vera, quae fuerunt doctrinae, fiunt vitae; cum fiunt vitae, vocantur bona veri; haec sunt quae per Proventum hic significantur.

9274. Et septimo intermittes eam, et dimittes eam, quod significet statum alterum, cum homo Ecclesiae in bono est, et sic in tranquillo pacis, constat ex significatione Anni Septimi seu sabbathi, quod sit cum homo in bono est, et per bonum ducitur a Domino, de qua n: 8495. [37] 8510. 8890. 8893; ex significatione intermittere terram, seu non serere illam, quod sit non per vera, ut prius, duci; et ex significatione dimittere eam, quod sit in tranquillo pacis esse; quod sabbathum etiam fuerit repraesentativum status pacis, in quo conjunctio, videatur n: 8494, nam per intermissionem et dimissionem seu quietem terrae repraesentabatur quies, tranquillitas et pax, quae illis qui in bono sunt a Domino. Quod bini status homini, qui regeneratur et fit Ecclesia, sint, nempe primus cum per vera fidei ducitur ad bonum charitatis, et alter cum in bono charitatis est, videatur n: 7923. 7992. 8505. 8506. 8512. 8513. 8516. 8539. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701. 8772. 9139. 9224. 9227. 9230. Quod bini illi status sint homini, qui regeneratur et fit Ecclesia, hactenus ignotum fuit, ex causa imprimis, quia homo Ecclesiae non distinxerat inter Verum et Bonum, ita nec inter Fidem et Charitatem; tum quia non distincte perceperat binas hominis facultates, quae sunt Intellectus et Voluntas; et quod Intellectus videat vera et bona, ac quod Voluntas afficiatur illis et amet illa; ex eo nec scire potuit, quod primus status hominis, qui regene-

ratur, sit discere vera et videre illa, et alter status velle et amare illa, et quod non prius appropriata sint homini quam cum vult et amat illa quae didicit et vidit; voluntas enim est ipse homo, et intellectus est ejus minister. Si haec nota fuissent, potuisset sciri et appercipi, quod homo, qui regeneratur, donetur et novo intellectu et nova voluntate a Domino, et nisi donatus sit utroque, quod non sit novus, nam intellectus est modo visus rerum quas homo vult ac amat, et sic est, ut dictum, solum minister. Consequenter quod primus status hominis, qui regeneratur, sit duci per vera ad bonum, et alter status duci per bonum, et quod cum in hoc statu est, ordo inversus sit, et tunc ducatur a Domino, proinde quod tunc in coelo sit, et sic in tranquillo pacis: hic status est qui intelligitur per septimum diem, perque septimum Annum, tum per Jubilaeum, hoc est, per Sabbathum et per sabbathum sabbathorum, et per quod tunc quiesceret terra, secundum haec apud Moschen „*Sex annis conseres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, et colliges proventum ejus; sed in anno septimo sabbathum sabbathorum erit terrae; Sabbath Jehovae; agrum tuum non conseres, et vineam tuam non putabis, sponte nascens messis tuae non metes*" Levit: XXV: 3. 4. 5; et de Jubilaeo „*In anno Jubilaei, non seretis, neque metetis sponte nascentia ejus, neque vindemiabitis separatas ejus*" Levit: XXV. [11.] 12: qui non scit aliquid de binis illis statibus, nec scire potest plura quae in Verbo; nam in Verbo imprimis Prophetico describitur unus status et alter distincte; imo nec capere potest sensum internum Verbi, et ne quidem plura quae in sensu ejus literali, sicut haec quae Dominus praedixit de ultimo tempore Ecclesiae hodiernae, quae ibi vocatur Consummatio saeculi, apud Matthaeum „*Tunc qui in Judaea sunt, fugiant in montes; qui super domo est, ne descendat ad tollendum quid e domo sua. Et qui in agro, ne revertatur retro, ad tollendum vestimenta sua*" XXIV: 16. 17. 18: et apud Lucam „*In ista die, quicunque erit super domo, et vasa illius in domo, ne descendito ad tollendum ea: et quicunque in agro, similiter ne revertatur in, quae post illum; mementote uxoris Lothi*" XVII: 31. 32, quod alter status hic describatur, et quod ab illo non redeundum sit ad primum, videatur n: 3650 ad 3655. 5895. 5897. 8505. 8506.

8510. 8512. 8516; quod status illi distincti sint, etiam involvunt haec apud Moschen „*Cum feceris domum novam, facies ambitum tecto tuo. Non conseres vineam tuam et agrum tuum mixtim. Non arabis bove et asino simul. Non induces mixtam vestem ex lana et lino simul*" Deut: XXII: 8 ad 12. Levit: XIX: 19; per illa significatur, quod qui in statu veri, hoc est, in statu primo est, non possit esse in statu boni, hoc est, in statu altero, ita nec vicissim; causa est, quia unus status est inversus [38] alterius; in primo enim statu spectat homo e mundo in coelum, in altero autem spectat e coelo in mundum; nam in primo statu intrant e mundo vera per intellectuale in voluntatem, et ibi fiunt bona, quia amoris; in altero autem statu exeunt e coelo bona sic facta per voluntatem in intellectuale, et ibi apparent in forma fidei; haec fides est quae est salvifica, quia est ex bono amoris, hoc est, per bonum amoris a Domino: est enim fides illa charitatis in forma.

9275. Et comedent egeni populi tui, quod significet conjunctionem per bonum charitatis cum illis qui in paucis veris sunt, et usque desiderant instrui, constat ex significatione comedere, quod sit communicatio et conjunctio, de qua n: 2187. 3596. 5643. 8001; et ex significatione egenorum, quod sint qui in paucis veris ex ignorantia, et usque desiderant instrui, de qua n: 9253; et ex significatione populi, hic populi Israëlis, quod sint qui ab Ecclesia, de qua n: 4286. 6426. [39] 6637. 8805; ex quibus patet, quod per comedent egeni populi tui, significetur conjunctio Ecclesiae cum illis qui in paucis veris sunt, et usque desiderant instrui; quod dicatur conjunctio per bonum charitatis, est quia id bonum conjungit, de qua in articulo nunc sequenti.

9276. Et residuum eorum comedat fera agri, quod significet per illos cum iis qui in jucundis veri externi sunt, constat ex significatione residui eorum, nempe egenorum populi, quod sit quod ab illis relictum est, ita quod post illos, hic autem per illos, quia agitur de conjunctione Ecclesiae cum illis qui in paucis veris sunt, et hic cum illis qui in jucundis veri externi; quod conjunctio Ecclesiae cum his per illos fiat, videbitur infra; ex significatione comedere, quod sit communicatio et conjunctio, ut mox supra n: 9275; et ex significatione ferae agri, quod sint

qui in jucundis veri externi; bestiae enim in Verbo significant affectiones veri et boni, bestiae quae sunt gregis affectiones veri et boni interni, et bestiae quae armenti affectiones veri et boni externi, ferae autem tales affectiones quae sunt veri maxime externi, nam hae affectiones respective ad affectiones internas sunt ferae, sunt enim affectiones sensualium, quae vocantur voluptates et jucunditates; quod sint jucunditates veri et non ita boni, est quia sensualia, quae cum mundo per corpus immediate communicant, vix aliquid ex bono spirituali trahunt, nam amores corporei et mundani ibi praecipue resident: quod bestiae in Verbo significent affectiones veri et boni, videatur n: **45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 776. 719. 1823. 2180. 2781. 3218. 3519. 5198. 9090**; quod bestiae quae sunt gregis, significent affectiones veri et boni interni, et quae armenti affectiones veri et boni externi, n: **5913. 8937. 9135**; quod sensualia communicent cum mundo, et extrema sint, n: **4009. 5077. 5089. 5094. 5125. 5128. 5767. 6183. 6201. 6310. 6311. 6313. 6315. 6318. 6564. 6598. 6612. 6614. 6622. 6624. 6844. 6845. 6948. 6949. 7442. 7693. 9212. 9216**; ex illis quae in his locis ostensa sunt, sciri potest quale est sensuale hominis respective ad interiora, quod nempe sit sicut fera. Agitur in hoc Versu in sensu interno de illis qui in bono charitatis sunt, tum de illis qui in paucis veris et usque desiderant instrui, dein de illis qui in jucundis veri externi: haec tria genera hominum [40] constituunt Ecclesiam; qui in bono charitatis sunt, illi constituunt internum Ecclesiae; qui autem in paucis veris et usque volunt instrui, ita qui in affectione veri sunt ex bono, illi externum Ecclesiae; qui autem in jucundis veri externi sunt, illi extremi sunt, et quasi faciunt ambitum, et claudunt Ecclesiam. Conjunctio coeli cum humano genere, hoc est, conjunctio Domini per coelum cum illo, fit per illos qui in bono charitatis sunt, ita per bonum charitatis, nam in illo Dominus est praesens, est enim Dominus ipsum illud bonum, quia procedit ab Ipso; per illud bonum conjungit Dominus se cum illis qui in affectione veri sunt, nam affectio veri est a bono, et bonum est, ut dictum, a Domino; per hos iterum est Dominus apud illos qui in jucundis Veri externi sunt, nam jucunda apud illos sunt quoad maximam partem ex amoribus sui et mundi, et perparum

ex bono spirituali trahunt: talis communicatio coeli cum homine est, hoc est, talis communicatio Domini per coelum cum illo, proinde talis conjunctio. Quod communicatio et conjunctio Domini cum humano genere talis sit, constat ex eo quod talis sit influxus apud quemlibet hominem Ecclesiae, (per hominem Ecclesiae intelligitur ille qui in bono charitatis est et inde in veris fidei a Domino, nam charitas ex qua fides est Ipsa Ecclesia apud hominem, quia sunt a Domino), nam Dominus influit in illud bonum, quod est internum ejus, et per illud in affectionem veri, quod est externum ejus, et per eam affectionem in jucunda veri externi, quae sunt in extremis. Sicut se habet cum homine Ecclesiae in particulari, ita quoque se habet cum Ecclesia in communi, hoc est, cum omnibus qui Ecclesiam Domini constituunt; causa quod ita sit, est, quia Universa Ecclesia coram Domino est sicut Homo, nam Coelum Domini, cum quo Ecclesia unum agit, est coram Ipso ut unus homo; ut constare potest ex illis quae de Coelo ut Maximo Homine, ad finem plurium Capitum Genes: ostensa sunt; quia ita est, cum homine Ecclesiae in particulari similiter se habet, nam homo Ecclesiae in particulari est Coelum, Ecclesia, et Regnum Domini in minima effigie. Cum Ecclesia porro se habet sicut cum ipso homine, quod duo fontes vitae apud illum sint, nempe *COR* et *PULMO;* notum est, quod Primum Vitae ejus sit Cor, et Secundum Vitae ejus sit Pulmo; et quod ex binis his fontibus vivant omnia et singula quae in homine: Cor Maximi Hominis, hoc est, Coeli et Ecclesiae, constituunt illi qui in Amore in Dominum sunt et in Amore erga proximum, ita abstracte a personis Amor Domini et Amor proximi; Pulmonem autem in Maximo Homine, seu Coelo et Ecclesia, constituunt illi qui a Domino in charitate erga proximum et inde in fide sunt, ita abstracte a personis charitas et fides a Domino; reliqua autem viscera et membra in Maximo illo homine constituunt illi qui in bonis et veris externis sunt, ita abstracte a personis bona et vera externa per quae introduci possunt vera et bona interna: sicut nunc Cor primum influit in Pulmonem, et [per hunc] in Viscera et Membra corporis; ita quoque Dominus per bonum amoris in vera interna, et per haec in vera et bona externa. Ex his videri potest, quod in terra omnino debeat esse Ecclesia, et quod absque illa periret humanum genus,

nam foret sicut homo cum moritur, quando Pulmo et Cor desinunt moveri: ob quam causam etiam providetur a Domino, ut semper in terris sit Ecclesia, ubi Dominus revelatus est per Divinum Verum quod ab Ipso, Divinum illud Verum in Nostra Tellure est Verbum. Quod ita sit, vix aliquis hodie credit, quia non credit quod omne vitae hominis sit per Coelum a Domino; opinatur enim quod vita sit in ipso, et quod illa subsistere possit absque nexu cum Coelo, hoc est, per Coelum a Domino, cum tamen ea opinio falsissima est. Ex his nunc patet, quomodo intelligendum est, quod conjunctio sit per bonum charitatis cum illis qui in paucis veris, et usque desiderant instrui, et per hos cum iis qui in jucundis veri externi sunt, quae significantur per intermissionem et dimissionem terrae anno septimo, et quod tunc comederent egeni populi tui; et residuum eorum comederet fera agri. Sed de illis, quae supra memorata, videantur quae prius ostensa sunt, nempe quod Coelum coram Domino sit sicut unus homo, et quod ideo coelum dicatur Maximus Homo, n: 1276. 2996. 2998. 3624 ad 3649. 3741 ad 3751. 4218 ad 4228: Quod Ecclesia Domini similiter, quia Regnum Domini in terris est Ecclesia, quae unum agit cum Regno Domini in Coelis, n: 4060. 7396. 9216. Quod homo Ecclesiae sit Coelum et Ecclesia in particulari, n: 1900. 1902. [41] 3624 ad 3631. 3634. 3884. 4292. 4523. 4524. 4625. 6013. 6057. Quod illi qui in amore in Dominum, et in amore erga proximum sunt, constituant provinciam Cordis in Maximo Homine, et qui in charitate et inde fide a Domino, constituant provinciam Pulmonis, n: 3635. 3883 ad 3896. Quod omne vitae hominis influat per Coelum a Domino, n: 2536. 2706. 2886 ad 2889. 2893. 3001. 3318. 3484. 3742. 3743. 4151. 5846. 5850. 5986. 6053 ad 6058. 6189 ad 6215. 6307 ad 6327. 6466 ad 6495. 6598 ad 6626. 6982. 6985 ad 6996. 7004. 7055. 7056. 7058. 7147. 7270. 7343. 8321. 8685. 8701. 8717. 8728. 9110. 9111. 9216: Quod nexus sit coeli cum homine, n: 9216; et quod absque Ecclesia in terris periturum sit genus humanum, n: 468. 637. 2853. 4545.

9277. Ita facies vineae tuae, oliveto tuo, quod significet quod ita sit cum bono spirituali et cum bono coelesti, constat ex significatione vineae, quod sit Ecclesia spiritualis, de qua n:

1069. 9139, ita bonum spirituale, quod est bonum charitatis erga proximum, nam hoc bonum facit Ecclesiam spiritualem; et ex significatione oliveti, quod sit Ecclesia coelestis, ita bonum coeleste, quod est bonum amoris in Dominum, nam hoc bonum facit Ecclesiam coelestem; quid Ecclesia spiritualis et ejus bonum, et quid Ecclesia coelestis et ejus bonum, tum quae differentia, videatur n: 2046. 2227. 2669. 2708 fin: 2715. 2718. 2935. 2937. 2954. 3166. 3235. 3236. 3240. 3246. 3374. 3833. 3887. 3969. 4138. 4286. 4493. 4585. 4938. 5113. 5150. 5922. 6296. 6289. 6366. 6427. 6435. 6500. 6647. 6648. 7091. 7233. 7877. [42] 7977. 7992. 8042. 8152. 8234. 8521. Quod Olivetum significet Ecclesiam Coelestem ac ita bonum coeleste, constat ex locis in Verbo; ubi Olea nominatur, ut apud Moschen „*Vineas plantabis et coles*, sed vinum non bibes, neque congregabis, quia comedet illud vermis: *Oleae erunt tibi in omni termino tuo*, sed *oleo non unges te*, quia *excutietur olea tua*" Deut: XXVIII: 39. 40, agitur ibi de maledictione, si dii alii colerentur, et si statuta ac judicia non custodirentur; oleae in omni termino sunt bona amoris coelestis quae a Domino per Verbum in tota Ecclesia; oleo non ungi pro non usque in illo bono esse; excutietur olea pro quod periturum id bonum: similiter apud Micham „*Tu calcabis olivam, sed non unges te oleo*, et mustum sed non bibes vinum" VI: 15. Apud Amos „Percussi vos uredine et rubigine, plurimos hortos vestros, et *vineas vestras*, et ficus vestras, et *oleas vestras comedet eruca;* nec tamen reversi estis ad Me" IV: 9; vineae pro bonis fidei, oleae pro bonis amoris, punitio pro non receptione illorum bonorum significatur per quod oleas comedet eruca. Apud Habakuk „*Ficus* non florebit, nec proventus *in Vitibus, mentietur opus olivetum*, et ager non faciet cibum" III: 17, ficus pro bono naturali, vitis pro bono spirituali, olivetum pro bono coelesti, et ager pro Ecclesia. Apud Sachariam „*Duae oleae juxta candelabrum*, una a dextra lecythi, et una juxta sinistram ejus; hi duo *filii olei puri* stantes juxta Dominum totius terrae" IV: 3. 11. 14, duae oleae juxta candelabrum pro bono coelesti et spirituali, quae sunt ad dextram et ad sinistram Domini, Candelabrum significat Dominum quoad Divinum Verum. In Libro Judicum „Jotham dixit ad cives

Schechemi, qui regem fecerunt Abimelechum: iverunt arbores ad ungendum super se regem, et *dixerunt Oleae*, regna super nos, *sed dixit eis Olea*, num cessare faciam pinguedinem meam, quam in me honorant Deus et homines, et ibo ad movendum me super arbores. Et *dixerunt arbores ad Ficum*, ito tu, regnato super nos, *sed dixit ad illas Ficus*, num cessare faciam dulcedinem meam, et proventum meum bonum, et ibo ad movendum me super arbores. *Tum dixerunt arbores ad Vitem*, ito tu, regnato super nos, *sed dixit illis Vitis*, num cessare faciam mustum meum, laetificans Deum et homines, et ibo ad movendum me super arbores. *Et dixerunt omnes arbores ad Rhamnum*, ito tu, regnato super nos, et dixit *rhamnus* ad arbores, si in veritate vos ungentes [43] me in regem super vos, venite et confidite in umbra mea; si vero non, exeat ignis e *rhamno*, et comedat cedros Libani" IX: 7 ad 16; quid haec in specie involvunt, non sciri potest nisi sciatur quid significat Olea, Ficus, Vitis et Rhamnus; Olea significat bonum internum Ecclesiae coelestis, Ficus bonum externum ejus Ecclesiae, n: 4231. 5113, Vitis bonum Ecclesiae spiritualis, Rhamnus autem bonum spurium; involvunt itaque illa, quod populus, qui hic sunt arbores, non vellet ut bonum coeleste, nec bonum spirituale, regnaret super illos, sed bonum spurium, et quod populus hoc eligeret prae illis bonis; ignis ex illo est malum concupiscentiae; cedri Libani quas consumeret, sunt vera boni. Quia Olea significabat bonum amoris a Domino, et in Dominum, *ideo „ Cherubi in medio Domus seu Templi facti sunt ex ligno olei, similiter fores ad adytum"* I Reg: VI: 23 ad 33; Cherubi enim, ut et fores adyti significabant Custodiam et Providentiam Domini, ne aditus sit ad Ipsum nisi per bonum amoris coelestis, ideo ex ligno olei erant. Ex his constare potest, unde sit, quod Tabernaculum et Altare *uncta fuerint oleo*, tum quoque Sacerdotes, et postea Reges; et unde, quod *Oleum olivae* fuerit ad lucernas; oleum enim significabat bonum amoris a Domino, videatur n: 886. 3728. 4582. 4638, et unctio significabat ut sic repraesentarent Dominum.

9278. Sex diebus facies opera tua, quod significet statum laboris et pugnae, quando in jucundis externis quae conjungenda internis, constat ex significatione sex dierum qui praecedunt

septimum, quod sint status laboris et pugnae, de qua n: 737. 900. 8510. 8888. 8975, labor tunc et pugna significantur per opera, quae in diebus illis facturi. Per opera sex dierum, et per quietem in die septimo significantur quae existunt apud hominem in primo et in altero ejus statu cum regeneratur; et quoque quae existunt apud illum cum regeneratus est; de primo et altero statu hominis cum regeneratur, videatur supra n: 9274, et de illis quae existunt apud eum, cum regeneratus est, n: 9213; haec fiunt ob finem, ut externa conjungantur internis: est enim homo externus, qui etiam naturalis vocatur, et est homo internus, qui spiritualis vocatur; homo externus communicat cum mundo, et internus cum coelo. Ordo Divinus est, ut coelum regat mundum apud hominem, et non mundus coelum apud illum, cum enim coelum regit hominem, tunc Dominus regit illum; homo in id natus est, ut amet mundum et se prae coelo et Domino; hoc quia oppositum est ordini Divino, per regenerationem invertendum est; quod fit, cum illa quae coeli ac Domini sunt, plus amantur quam illa quae mundi et sui: haec causa est, quod homo qui regeneratus est, ut et qui in coelo, alternis sit in externis et alternis in internis; nam per id disponuntur externa ut concordent cum internis, ac tandem ut illa his subjiciantur. Cum homo in externis est, tunc in labore et pugna est, nam est in vita quae sapit e mundo, in quam influunt ab undique inferna, quae continuo conantur infestare, imo subjugare illa quae coeli sunt apud hominem, sed Dominus continuo tutatur et liberat: inde nunc labor et pugna, quae significantur per sex dies septimanae, in quibus fient opera: at cum homo in internis est, tunc quia in coelo est apud Dominum, cessat labor et pugna, estque in tranquillo pacis, in quo etiam fit conjunctio; haec sunt quae significantur per diem septimum. Quod interiora hominis creata sint secundum imaginem coeli, et exteriora ejus secundum imaginem mundi, et sic quod homo in exigua forma sit coelum, et sit mundus, ita secundum formulam antiquorum microcosmus, videatur n: 6057, proinde quod secundum Divinum ordinem sit, ut Dominus per coelum regat mundum apud hominem, et nullatenus vicissim. Qualis labor et pugna sit, cum homo in externis est, constare potest ex eo, quod tunc in tali statu sit, ut incalescat ex mundo, et

frigescat ad coelum, nisi hoc sit sicut mundus, et quod inde in tali umbra sit, ut non aliter capere possit, quam quod externa influant in interna, consequenter quod oculus videat et auris audiat ex se, et quod eorum objecta produçant cogitationes, et sistant intellectuale, et inde ex se credere et ex se amare Deum possit; proinde ex mundo videre coelum; e qua fallacia vix abduci potest, priusquam ab externis in interna, et sic in lucem coeli, elevatus est; tunc primum percipit, quod illa quae mundi sunt apud se, ita quae corporis et ejus sensuum, videant et agant per influxum e coelo, hoc est, per coelum a Domino, et prorsus nihil a se: inde patet, unde est quod homo sensualis credat, quod e mundo et ex natura sit omne vitae ejus, quod non infernum sit, nec Coelum, et tandem quod non Deus; consequenter quod rideat omne Ecclesiae quantum ad se, sed affirmet quantum ad simplices, ut in vinculis praeter ex legibus sint. Inde sciri potest, quid sit in externis et non simul in internis esse, et quod homo, cum in externis est, in frigore et in umbra sit quoad illa quae Coeli et quae Domini sunt; et quoque inde sciri potest, quinam in mundo intelligentes et sapientes sunt, quod nempe illi qui in vero et bono Ecclesiae sunt, quia hi sapiunt ex Coelo; tum quinam stulti et deliri, quod nempe illi qui non in vero et bono Ecclesiae sunt, quia solum sciunt ex mundo; et qui horum per scientias mundi confirmaverunt se contra vera et bona Ecclesiae, quod ii plus reliquis deliri et stulti sint, utcunque se credunt intelligentes et sapientes prae aliis, et illos qui in bono vitae ex veris doctrinae sunt, simplices vocant; cum tamen simplicitas horum est sapientia coram Angelis, etiam hi post mortem in sapientiam angelicam elevantur a Domino. Quod ita sit, etiam docet Dominus apud Matthaeum „Propterea per parabolas loquor, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, nec intelligunt" XIII: 13. 14: apud Johannem „Mittam Spiritum Veritatis, quem Mundus non potest accipere, quoniam non videt Illum, neque agnoscit Illum; adhuc parum dum mundus Me non amplius videbit" XIV: 17. 19; quod Mundus Spiritum Veritatis non possit accipere, quoniam non videt illum, neque cognoscit illum, significat quod non Dominum agnoscet fide cordis, quia externa, quae mundi sunt, obscurabunt: inde quis hodie adorat Ipsum ut Dominum totius coeli et terrae,

Matth: XXVIII: 18, cum tamen omnes qui in coelis sunt, ita qui in internis, Dominum ut solum suum Deum vident.

9279. Et die septimo cessabis, quod significet statum boni quando in internis, et tranquillum pacis tunc, constat ex significatione diei septimi seu sabbathi, quod sit cum homo in bono est, et per bonum ducitur a Domino, de qua n: 8495. 8510. 8890. 8893; et ex significatione cessare seu quiescere ab operibus, quod sit tranquillum pacis tunc; de hoc statu videantur [quae] supra dicta et ostensa sunt, n: 9274. 9278. [44] Sed paucis dicetur, unde id quod homo cum in bono, tunc in internis sit: EXTERNA HOMINIS FORMATA SUNT AD IMAGINEM MUNDI, INTERNA AUTEM AD IMAGINEM COELI, videatur n: 6057; quapropter etiam Externa recipiunt illa quae mundi sunt, Interna autem quae Coeli sunt; Externa quae mundi sunt, aperiuntur apud hominem ab Infantia usque ad Virilem aetatem successive, pariter Interna; sed Externa aperiuntur per illa quae mundi sunt, at Interna per illa quae coeli sunt: sunt bina quae ita aperiuntur, nempe Intellectualia et Voluntaria; Intellectualia aperiuntur per illa quae se referunt ad Verum, et voluntaria per illa quae se referunt ad Bonum; omnia enim, quae in universo sunt, tam quae in Mundo quam quae in Coelo, se referunt ad Verum et ad Bonum; illa quae se referunt ad verum, vocantur scientifica et cognitiones, quae autem se referunt ad bonum, vocantur amores et affectiones: inde patet, quaenam sunt et qualia sunt, quae aperiunt vitam hominis. Quod Internum hominem attinet, qui, ut dictum est, ad imaginem coeli formatus est, sunt cognitiones veri et boni fidei a Domino, et inde fidei in Dominum, quae aperiunt intellectualia ejus; et sunt affectiones veri et boni, quae sunt amoris a Domino, et inde Amoris in Dominum, quae aperiunt voluntaria ejus, consequenter formant coelum, ita in imagine Dominum, apud illum, nam Coelum est imago Domini; inde est quod Coelum dicatur Maximus Homo, videatur n: 1276. 2996. 2998. 3624 ad 3649. 3741 ad 3751. 4218 ad 4228; et quod homo ad imaginem coeli et ad imaginem mundi formatus sit, n: 3628. 4523. 4524. 6013. [45] 6057; et quod homo regeneratus ac Angelus sit Coelum et Ecclesia in minima forma, n: 1900. 3624 seq: 3634 seq: 3884. 4040. 4041. 4292. 4625. 6013. 6057. 6605.

6626. 8989. Ex his constare potest, unde id sit, quod cum homo in bono est, tunc in internis sit. Sed de apertione Internorum et Externorum hominis, plura in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicentur.

9280. Propterea ut requiescat bos tuus et asinus tuus, quod significet tranquillum pacis bonis et veris externis simul, constat ex significatione requiescere, cum de die septimo seu sabbatho, quod sit tranquillum pacis, ut nunc supra n: 9279; et ex significatione bovis, quod sit bonum externum, et Asini, quod sit verum externum, de qua n: 2781. 9135. 9255: *quod bestiae significaverint affectiones* et *inclinationes*, *quales homo communes habet cum illis*, videatur n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 776. 2179. 2180. 2781. 3218. 3519. 5198. 5913. 8937. [46] 9090. 9135; *et quod in sacrificiis adhibitae fuerint, secundum significationem,* n: 1823. 2180. 2805. 2807. 2830. [47] 3519: *et quod omnia quae in mundo, in tribus ejus regnis, repraesentativa fuerint spiritualium et coelestium Regni Domini,* n: 1632. 1881. 2758. 2987 ad 3003. 3213 ad 3227. 3483. 3624 ad 3649. 4939. 5116. 5427. 5428. 5477. 8211. *Et quod omnium Correspondentiae sint*, n: 2987 ad 3003. 3213 ad 3226. 3337 ad 3352. 3472 ad 3485. 3624 ad 3649. 3745 ad 3750. 3883 ad 3896. 4039 ad 4055. 4218 ad 4228. 4318 ad 4331. 4403 ad 4420. 4523 ad 4533. 4622 ad 4634. 4652 ad 4660. 4791 ad 4806. [48] 4931 ad 4952. 5050 ad 5062. 5171 ad 5189. 5377 ad 5396. 5552 ad 5573. 5711 ad 5727. 8615. Haec in unum collata sunt, ut inde videri possit, quod non solum omnes bestiae, sed etiam omnia quae in mundo correspondeant, et secundum correspondentias repraesentent et significent spiritualia et coelestia, ac in supremo sensu Divina quae Domini: et inde quales fuerunt Antiquae Ecclesiae, quae Ecclesiae Repraesentativae dictae sunt, quod nempe in singulis earum ritibus sacris repraesentata fuerint, quae Domini et Regni Ipsius sunt, ita quae amoris et fidei in Ipsum; et quod tunc Coelum cum homine Ecclesiae per talia conjunctum fuerit; interna enim sistebantur in Coelo: Verbum Domini ob illum finem etiam datum est, nam in illo omnia et singula usque ad minimam jotam correspondent et significant; inde per solum Verbum est nexus coeli cum homine. Quod ita

sit, nemo hodie novit; quapropter homo naturalis, cum legit Verbum, et quaerit ubinam Divinum inibi latet, et cum non invenit illud in litera ob stylum vulgarem, incipit primum vilipendere illud, et dein negare quod ab Ipso Divino dictatum sit, et per Coelum ad hominem demissum; nescit enim quod Verbum sit Divinum ex sensu spirituali, qui non apparet in litera, sed usque literae inest, et quod ille sensus sistatur in coelo, cum homo sancte legit illud, et quod in illo sensu agatur de Domino et de Ipsius Regno: haec Divina sunt ex quibus Verbum est Divinum, et per quae sanctitas influit per coelum ex Domino usque in sensum literalem, inque ipsam literam: Sed quamdiu homo non scit quid spirituale, nec scire potest quid sensus spiritualis, ita nec quid correspondentia; et quamdiu homo amat mundum prae Coelo, et se prae Domino, non vult illa scire nec capere; cum tamen inde omnis intelligentia antiqua fuit, et quoque inde sapientia angelica est: arcana mystica, quae plures divinatores in Verbo vane indagare sategerunt, inibi solum latent.

9281. Et respiret filius ancillae tuae et peregrinus, quod significet statum vitae illorum qui in veris et bonis extra Ecclesiam, constat ex significatione filii ancillae, quod sint qui in affectione veri externi, per filium enim significatur verum, n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2813. 3373. 3704. 4257. et per ancillam affectio externa, n: 1895. 2567. 3835. 3849. 7780. 8993; et ex significatione peregrini, quod sint qui instrui volunt in veris et bonis Ecclesiae, de qua n: 1463. 8007. 8013. 9196; quod per filium ancillae et peregrinum hic significentur illi qui extra Ecclesiam, est quia in illis quae in hoc Versu praecedunt, de iis qui intra Ecclesiam actum est, ideo illi qui extra Ecclesiam sunt, intelliguntur per filios ancillae, et qui non nati intra Ecclesiam per peregrinos, quoniam illi ex inferiore toro sunt, et hi ex alia prosapia; et ex significatione respirare, quod sit status vitae quoad vera et bona fidei; quod respirare illum vitae statum significet, est quia Pulmones, quorum est respirare, correspondent vitae fidei ex charitate, quae est vita spiritualis, n: 97. 1119. 3351. 3635. 3883 ad 3896. 9229. Est homini Respiratio externa et Respiratio interna; externa est e mundo, at interna est e coelo: cum moritur homo tunc Respiratio externa cessat, at respiratio interna, quae est tacita et

impercoptibilis ei cum vivit in mundo, perstat; haec Respiratio est prorsus secundum affectionem veri, ita secundum vitam fidei ejus: qui autem in nulla fide sunt, ut sunt qui in inferno, trahunt respirationem non ab interiori, sed ab exteriori, ita vice contraria, quapropter etiam illi, cum appropinquant ad societatem angelicam, ubi est Respiratio ab interiori, incipiunt suffocari, et fieri sicut mortis simulachra, n: 3893; idcirco se dejiciunt praecipites in infernum suum, ubi iterum recipiunt respirationem suam priorem coeli Respirationi contrariam. Quia Respiratio correspondet vitae fidei, ideo quoque vita fidei significatur per animam, n: 9050, ex animatione, quae est respiratio; et ideo quoque vocatur spiritus, prout trahere spiritum et emittere spiritum, et inde quoque Spiritus in Lingua originali dicti sunt a vento, et in Verbo comparantur vento, ut apud Johannem „*Ventus ubi vult spirat*, et vocem ejus audis, atqui non scis unde venit, aut quo abit; *sic est omnis qui generatus est ex spiritu*" III: 8: inde quoque patet, quid significat, quod Dominus post resurrectionem loquens cum discipulis, „*inspiraverit*, et dixerit illis, *accipite spiritum sanctum*" XX: 22.

9282. Et omne quod dixi ad vos custodietis, quod significet quod praecepta, judicia et statuta facienda sint, constat ex significatione omne quod Jehovah dixit ad eos, quod sint omnia quae vitae, quae cultus et quae status civilis, quae vitae vocabantur praecepta, quae cultus statuta, et quae status civilis judicia, n: 8972; et ex significatione custodire seu observare, quod sit facere, nam per facere observantur. Quia illa quae vitae, quae cultus et quae status civilis, non sunt aliquid apud hominem, quamdiu in solo ejus intellectu sunt, sed tunc apud illum sunt, quando in voluntate, ideo in Verbo dicitur ubivis quod facienda, nam facere est voluntatis, sed scire, intelligere, agnoscere et credere sunt intellectus, at haec non *Sunt* apud hominem priusquam fiunt voluntatis, nec *Existunt* apud illum priusquam fiunt intellectus ex voluntate, nam *Esse* hominis est velle, et *Existere* est inde agnoscere et credere; quae non ita *Sunt* et *Existunt* apud hominem, non ei appropriata sunt, stant foris nondum in domum recepta; ita nec faciunt aliquid ad vitam aeternam hominis, nam talia, si non facta sunt vitae, dissipantur in altera vita, remanentibus solum quae cordis sunt,

hoc est, quae voluntatis et inde intellectus: quia ita est, in Verbo ubivis dicitur, quod praecepta et statuta facienda sint, ut apud Moschen „Judicia mea *facietis*, et statuta mea custodietis *ad eundum* [49] *in illis;* quare custodietis statuta mea et judicia mea, *quae si fecerit homo, vivet per ea*" Levit: XVIII: 4. 5. [50] tum Matth: V: 20. Cap: VII: 24. 25. 26. 27. Cap: XVI: 27, Joh: III: 21, et perpluries alibi.

9283. Et nomen deorum aliorum non memorabitis, quod significet quod non cogitandum ex doctrina falsi, constat ex significatione nominis, quod sit omne fidei et omne cultus in complexu, de qua n: 2724. 3237. 6887. 8274. 8882, hic omne doctrinae falsi, quoniam per deos alios significantur falsa, n: 4544. 7873. 8867; et ex significatione memorare, quod sit cogitare; quod memorare sit cogitare, est quia memorare est oris, et per illa, quae oris sunt, significantur ea quae cogitationis; causa est, quia loquela hominis ex cogitatione fluit; est enim homini cogitatio loquens, et cogitatio non loquens; cogitatio loquens est cum qua loquela unum facit, cogitatio autem non loquens est cum qua cogitatio loquens et inde loquela unum facit apud sinceros et justos, sed non unum apud insinceros et injustos; nam cogitatio non loquens est superius seu interius intellectuale hominis procedens ex ipsa voluntate ejus; cogitatio vero loquens est inferius seu exterius intellectuale formatum a superiori seu interiori ad sistenda, vel ad simulanda coram mundo illa quae justi et aequi ac quae boni et veri sunt. Inde patet, qualis est homo sincerus et justus, et qualis homo insincerus et injustus; quod nempe apud hominem sincerum et justum Internus homo formatus sit ad imaginem Coeli, et externus ad imaginem mundi subordinati coelo, n: 9279; et apud hominem insincerum et injustum, quod internus homo formatus sit ad imaginem inferni, et externus ad imaginem coeli subordinati inferno; nam per externum simulat illa quae coeli sunt, et rationalia quae e coelo, applicat ad favendum concupiscentiis, et quoque ad fallendum: ex his constat, quod inversi status vitae sint apud justos et injustos.

9284. Non audietur super ore tuo, quod significet quod non obediendum ulla affirmatione, constat ex significatione audire, quod sit obedire, de qua n: 2542. 3869. 4652 ad 4660.

5017. 7216. 8361; et ex significatione non super ore esse, cum de doctrina falsi, quae significatur per nomen deorum aliorum, quod sit non affirmare. Quod nomen deorum aliorum non memorandum esset, nec audiendum super ore, erat ob causam, ut repraesentarentur coelestia ac Divina Domini per omnia statuta, judicia et praecepta, quae mandata sunt; repraesentabantur etiam quamdiu Jehovam nominabant et colebant, tunc enim aderat Divinum Domini et cum Illo coelum; at cum nominabant et colebant alios deos, tunc repraesentabantur infernalia, nam spiritus ab infernis aderant, qui pro diis coli volebant; id enim illi qui in infernis sunt, continuo ambiunt, quoniam amores sui et mundi ibi regnant, videatur n: 3881 fin.

9285. Vers: 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Tribus vicibus feriaberis Mihi in anno. Festum azymorum custodies; septem diebus comedes azyma, quemadmodum praecepi tibi, ad statum tempus mensis Abib, quia in eo exivisti ex Aegypto; et non videbuntur facies meae vacue. Et Festum messis primitiarum operum tuorum, quae seminaveras in agro: et festum collectionis in exitu anni, in colligendo te opera tua ex agro. Tribus vicibus in anno videbitur omnis masculus tuus ad facies Domini Jehovae. Non sacrificabis super fermentato sanguinem sacrificii mei; et non pernoctabit adeps festi mei usque ad mane. Primum primitiarum humi tuae introduces domum Jehovae Dei tui: non coques haedum in lacte matris suae.* Tribus vicibus feriaberis Mihi in anno, significat cultum Domini et gratiarum actionem permanentem ob liberationem a damnatione: festum azymorum custodies, significat purificationem a falsis: septem diebus, significat statum sanctum tunc: comedes azyma, significat appropriationem boni purificati a falsis: quemadmodum praecepi tibi, significat secundum leges ordinis: ad statum tempus mensis Abib, significat a principio status novi: quia in eo exivisti ex Aegypto, significat liberationem ab infestatione a falsis: et non videbuntur facies meae vacue, significat receptionem boni [51] ex Misericordia; et gratiarum actionem; et festum messis primitiarum operum tuorum, quae seminaveras in agro, significat cultum Domini et gratiarum actionem propter implantationem veri in bono: et festum collectionis in exitu anni, in colligendo te opera tua ex agro, significat cultum ex

grato animo, ob implantationem boni inde, ita ob regenerationem ac plenariam liberationem a damnatione: tribus vicibus in anno videbitur omnis masculus ad facies Domini Jehovae, significat continuam apparentiam et praesentiam Domini sic etiam in veris quae fidei: non sacrificabis super fermentato sanguinem sacrificii mei, significat quod cultus Domini ex veris Ecclesiae non commiscendus sit cum falsis ex malo: et non pernoctabit adeps festi mei usque ad mane, significat bonum cultus non ex proprio sed a Domino semper novum: primum primitiarum humi tuae introduces in Domum Jehovae Dei tui, significat quod omnia vera boni et bona veri sancta sint quia a solo Domino: non coques haedum in lacte matris suae, significat quod bonum innocentiae posterioris status non conjungendum sit cum vero innocentiae prioris status.

9286. Tribus vicibus feriaberis Mihi in Anno, quod significet cultum Domini et gratiarum actionem permanentem ob liberationem a damnatione, constat ex significatione feriari seu festum agere, quod sit cultus Domini ex laeto animo ob liberationem a damnatione, de qua n: 7093; et ex significatione tribus vicibus in anno, quod sit status plenus usque ad finem; tria enim significant plenum a principio ad finem, n: 2788. 4495. 7715. 9198; et annus integram periodum, n: 2906. 7839. 8070, hic itaque plenariam et integram liberationem; nam per festum azymorum significatur purificatio a falsis; per festum messis implantatio veri in bono; et per festum collectionis implantatio boni inde, ita plenaria liberatio a damnatione; nam cum homo purificatus est a falsis, et dein introductus per vera in bonum, et tandem cum in bono est, tunc est in coelo apud Dominum, proinde tunc est plene liberatus. Gradus successivi liberationis a damnatione se habent sicut gradus successivi regenerationis, nam Regeneratio est liberatio ab inferno, ac introductio in coelum a Domino; homo enim qui regeneratur, primum purificatur a falsis, dein apud illum vera fidei implantantur in bono charitatis, et demum implantatur ipsum hoc bonum, quo facto homo regeneratus est, et tunc in coelo apud Dominum; quapropter per tria festa in anno etiam significabatur cultus Domini et gratiarum actio ob regenerationem. Quia ob recordationem illorum perennem illa festa instituta sunt, ideo di-

citur cultus et gratiarum actio *permanens*, nam quae praecipua cultus sunt, continuo permansura sunt; quae continuo permanent, sunt quae non solum memoriae, sed etiam ipsi vitae inscripta sunt; et tunc dicuntur universaliter apud hominem regnare, videatur n: 5949. 6159. 6571. 8853 ad 8858. 8865.

9287. Festum azymorum custodies, quod significet cultum et gratiarum actionem ob purificationem a falsis, [constat ex significatione festi,] quod sit cultus Domini et gratiarum actio ob liberationem a damnatione, de qua nunc supra n: 9286; et ex significatione azymorum, quod sit purificatio a falsis, nam per fermentum significatur falsum, et sic per infermentatum seu azymum, bonum purificatum a falsis, n: 2342. 8058. De hoc festo, quod etiam Pascha vocatum est, videatur infra n: 9292. 9294.

9288. Septem diebus, quod significet statum sanctum, constat ex significatione septem, quod sint sanctum, de qua n: 395. 433. 716. 881. 5265. 5268; et a significatione dierum, quod sint status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 2788. 3462. 3785. 4850. 5672. 5962. 7680. 8426. 9213.

9289. Comedes azyma, quod significet appropriationem boni purificati a falsis, constat ex significatione comedere, quod sit appropriatio, de qua n: 3168. 3596. 4745; et ex significatione azymi, quod sit bonum purificatum a falsis, de qua mox supra n: 9287.

9290. Quemadmodum praecepi tibi, quod significet secundum leges ordinis, constat ex significatione praecipere, cum a Domino, quod sit Divinum Verum procedens ab Ipso, nam hoc continet et docet praecepta vitae et cultus; Divinum illud Verum est ipse Ordo in coelis, et vera sunt leges illius ordinis, n: 1728. 1919. 2258. 2447. [52] 5703. 7995. 8700. 8988; inde patet, quod per quemadmodum praecepi tibi, significetur secundum leges ordinis.

9291. Ad statum tempus mensis Abib, quod significet a principio status novi, constat ex significatione mensis Abib, quod sit principium status novi, de qua n: 8053.

9292. Quia in eo exivisti ex Aegypto, quod significet liberationem ab infestatione a falsis, constat ex illis quae de exitu filiorum Israëlis ex Aegypto, n: 7107. 7110. 7126. [53] 7142. 7220. 7228. 7240. 7278. 7317. 8866. 9197. dicta et ostensa

sunt; in quibus locis videri potest, quod per commorationem filiorum Israëlis in Aegypto, significata sit infestatio spiritualium, hoc est, illorum qui ab Ecclesia spirituali Domini fuerunt, ab infernalibus, et tutatio eorum a Domino, et quod per exitum illorum ex Aegypto significata sit liberatio inde; quodque propter illam rem Pascha, quod est festum azymorum, institutum fuerit, de quo videatur n: 7093 f. 7867. 7995.

9293. Et non videbuntur facies meae vacue, quod significet receptionem boni ex Misericordia et gratiarum actionem, constat ex significatione facierum Jehovae, quod sint bonum, misericordia, pax, de qua n: 222. 223. 5585. 7599; et ex significatione non videre vacue seu non absque munere, quod sit testificatio ob receptionem boni et gratiarum actio, nam munera, quae offerebantur Jehovae, significabant talia quae ab homine ex corde offeruntur Domino et acceptantur a Domino: se habet cum muneribus, sicut cum quibusvis factis hominis; facta hominis sunt modo gestus, et abstracte a voluntate spectata sunt solum motus varie formati et quasi articulati, non absimiles motibus machinae, ita inanimati; sed facta una cum voluntate spectata, non sunt tales motus, sed sunt formae voluntatis coram oculis ostensae, nam facta non aliud sunt quam testificationes talium quae voluntatis sunt; et etiam ex voluntate animam seu vitam suam habent; quapropter de factis simile quod de Motibus dici potest, nempe quod nihil in factis vivat praeter voluntatem, sicut nihil in motibus praeter conatum: quod ita sit, etiam novit homo; nam qui intelligens est, non ad facta hominis attendit, sed solum ad voluntatem, ex qua, per quam, et propter quam, facta existunt; imo qui sapiens est, vix facta videt, sed in factis quale et quantum voluntatis: similiter se habet cum muneribus, quod in illis voluntas spectetur a Domino; inde est, quod per munera Jehovae, hoc est, Domino oblata significentur talia quae sunt voluntatis, seu cordis; voluntas hominis est quae vocatur [54] cor in Verbo: ex his quoque patet, quomodo intelligendum, quod quisque secundum facta sua aut opera sua, accepturus sit judicium in altera vita, Matth: XVI: 27, quod nempe secundum illa quae cordis et inde vitae. Quod talia per munera Jehovae oblata significentur, patet ex Verbo, ut apud Davidem „*Sacrificium et munus non voluisti*, holo-

caustum et sacrificium peccati non petiisti, *facere voluntatem tuam,* Deus mi, desideravi" Psalm: XL: 7. 9. Apud Moschen „Jehovah Deus vester, Ipse Deus deorum et Dominus dominorum, *qui non acceptat facies, et non accipit munus*" Deut: X: 17: et apud Matthaeum „*Si obtuleris munus tuum super altari*, et apud hoc recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid contra te, *relinques ibi munus coram altari,* et *abi prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum*" V: 23. 24; [55] inde patet, quod munera Domino oblata, fuerint testificationes talium quae corde offeruntur, quae sunt fidei et charitatis; reconciliari fratri est charitas erga proximum. Apud Eundem „Venerunt sapientes ex Orientalibus, et *Domino nato obtulerunt munera*, aurum, thus, et myrrham" II: 11, per aurum, thus et myrrham, significantur omnia quae boni amoris et fidei sunt in Dominum, aurum quae boni amoris, thus quae boni fidei, et myrrha quae utriusque in externis; quod sapientes ex orientalibus obtulerint illa, erat quia in Orientalibus apud quosdam ex antiquis temporibus permansit scientia et sapientia Veterum, quae fuit, in illis quae in mundo et super tellure intelligere et videre coelestia et Divina; nam notum antiquis fuit, quod omnia corresponderent, et repraesentarent, ac inde significarent, ut patet etiam a Gentilium Antiquissimis libris et monumentis; inde erat, quod sciverunt Aurum, thus et myrrham, significavisse bona quae offerenda Deo: sciverunt etiam ex propheticis suis, quae fuerunt Antiquae Ecclesiae, de quibus n: 2686, quod Dominus in mundum venturus esset, et quod tunc apparitura illis stella, de qua etiam Bileamus, qui quoque ex filiis orientis erat, prophetavit, Num: XXIV: 17, videatur n: 3762, Stella etiam significat cognitiones boni et veri interni, quae a Domino, n: 2495. 2849. 4697. Apud Davidem „Reges Tharschisch et insularum *munus adducent*, *reges Schebae et Sebae donum afferent*, et incurvabunt se omnes reges, et omnes gentes servient Ei" Psalm: LXXII: 10. 11, haec de Domino dicta sunt; per munus adducere et donum [56] afferre, significatur bonum amoris et fidei; nam Tharschisch significat doctrinalia amoris et fidei, n: 1156; Scheba et Seba cognitiones boni et veri, n: 1171. 3240; reges vera Ecclesiae, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148; et gen-

tes bona Ecclesiae, n: 1159. 1258. 1259. 1260. 1416. 1849. 4574. 6005. 8771; inde patet, quid intelligitur per quod incurvabunt se omnes reges, et omnes gentes servient. Apud Esaiam „Annuntiabunt gloriam meam in gentibus, tunc adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus *munus Jehovae* super equis, super curru, et super rhedis cameratis, et super mulis, et super veredariis, ad montem sanctitatis meae Hierosolymam, *quemadmodum adducunt filii Israëlis munus in vase mundo domum Jehovae*" LXVI: 19. 20; qui sensum internum Verbi non scit, credere potest quod haec de Judaeis dicta sint, et quod illi sic ad Hierosolymam a gentibus adducerentur; sed sunt bona amoris et fidei in Dominum, quae ita prophetice describuntur, et quae per munus intelliguntur, equi, currus, rhedae cameratae, muli et veredarii, super quibus adducendi, sunt intellectualia, doctrinalia, et scientifica veri et boni, ut patet a significatione illorum, ut equorum, n: 2760. 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. 6401. 6534. 8029. 8146. 8148; et ex significatione curruum, n: 5321. 5945. 8146. 8148. 8215; et ex significatione mulorum, n: 2781. Apud Malachiam „Sedebit conflans et purgans argentum, et purificabit filios Levi, et defaecabit illos sicut aurum et sicut argentum, *ut sint adferentes Jehovae munus in justitia; tunc suave erit Jehovae munus Jehudae et Hierosolymae juxta dies saeculi, et juxta annos priores*" III: 3. 4, quia per munus oblatum Jehovae significatur bonum amoris et fidei, ideo dicitur, quod sint adferentes Jehovae munus [57] in justitia, et quod tunc suave erit Jehovae munus; purificare filios Levi et defaecare illos sicut aurum et argentum significat purificationem boni et veri a malis et falsis, filii Levi sunt qui in fide et charitate, ita qui ab Ecclesia spirituali, n: 3875. 4497. 4502. 4503; Judah est Bonum amoris coelestis, ita qui in illo, n: 3654. 3881.

9294. Et festum messis primitiarum operum quae seminaveras in agro, quod significet cultum Domini et gratiarum actionem propter implantationem veri in bono, constat ex significatione festi, quod sit cultus Domini et gratiarum actio, de qua supra n: 9286. 9287; ex significatione messis, quod sit fructificatio veri, ita implantatio ejus in bono; ex significatione primitiarum seu principiorum operum, quod sint quae sunt ulti-

mum instructionis et primum vitae, de qua sequitur; ex significatione seminare, quod sit instruere, de qua n: 9272; et ex significatione agri, quod sit Ecclesia quoad bonum, ita bonum Ecclesiae, de qua n: 2971. 3500. 3766. 7502. 9139. 9141; ex quibus patet, quod per festum messis primitiarum operum quae seminaveras in agro, significetur cultus Domini et gratiarum actio propter implantationem veri in bono. Quod haec per hoc festum significentur, constat ex illis quae supra n: 9286, dicta sunt, quod nempe tria festa instituta fuerint propter liberationem hominis a damnatione, ita propter Regenerationem, nam per regenerationem liberatur homo ab inferno, ac introducitur in coelum, quapropter primum Festum, quod festum azymorum dictum est, significat purificationem a falsis; hoc itaque Festum significat implantationem veri in bono; et tertium festum implantationem boni; cum enim homo regeneratur, tunc primum purificatur a falsis quae ex malo amorum sui et mundi, quod fit per id quod instruatur de malo, de inferno, et de damnatione, tum de bono, de coelo et de felicitate aeterna; et quod sic se detineri patiatur a faciendis, volendis et cogitandis malis: quando humus sic praeparata est, tunc inseminantur vera fidei, nam non prius ea recipiuntur; sed vera quae inseminantur, implantanda sunt bono, quoniam alibi non humum habent, nec alibi radicem figere possunt; implantantur in bono, cum homo vult verum, amat illud, et facit illud; hic status regenerationis seu liberationis a damnatione significatur per hoc Festum, quod vocatur festum messis primitiarum operum; messis enim significat vera producentia bonum. Quando vera implantata sunt in bono, tunc homo non amplius per vera, sed per bonum ducitur a Domino, quod fit cum is vult bonum et facit bonum ex affectione amoris, hoc est, ex charitate; hic status regenerationis seu liberationis a damnatione significatur per Tertium Festum, quod vocatur Festum collectionis. Haec tria Festa etiam vocata sunt Festum Paesach, Festum septimanarum, et Festum Tabernaculorum, de quibus videatur Exod: XXXIV: 18 ad 22. Levit: XXIII: 1 ad fin: Deuter: XVI: 1 ad fin: Similia, quae per tria haec festa, repraesentata sunt perEductionem filiorum Israëlis e terra Aegypti; per Introductionem eorum in terram Canaanem; et per Habitationem ibi:

simile enim per Eductionem filiorum Israëlis e terra Aegypti repraesentatum est, quod per Primum Festum, quod Paesach nominatum est; quod ita sit, videri potest ex illis quae de Paesach, n: 7093 fin: 7867. 7995, ostensa sunt; nam Eductio filiorum Israëlis, propter quam id Festum institutum est, significabat liberationem illorum qui ab Ecclesia spirituali a falsis, a quibus infestati, n: 7240. 7317. 9197. Simile autem per Introductionem filiorum Israëlis in terram Canaan repraesentatum est, quod per hoc secundum Festum, quod Festum primitiarum operum, ut et Festum septimanarum vocatum est, nempe implantatio veri in bono; terra enim Canaan est Ecclesia quoad bonum, ita bonum Ecclesiae, n: 1607. 3038. 3481. 3686. 3705. 4240. 4447. 4517. 5136. 6516; et filii Israëlis, abstracte a personis, sunt vera spiritualia, n: 5414. 5879. 5951. Simile etiam per Habitationem filiorum Israëlis in terra Canaane repraesentatum est, quod per Tertium Festum quod Festum collectionis fructuum terrae, et collectionis ex area et torculari, tum Festum tabernaculorum, vocatum est, nempe implantatio boni et sic vita in coelo. Ex his nunc patet, cur tria Festa instituta fuerint, quod nempe propter Eductionem humani generis, quod vult recipere novam vitam a Domino, ex inferno, ac Introductionem eorum in coelum; et hoc a Domino per adventum suum in mundum.

9295. Quod secundum hoc Festum, quod vocatum est Festum messis primitiarum operum, tum primitiarum tritici, ut et Festum septimanarum, significet implantationem veri in bono, constat ex ejus institutione, de qua ita apud Moschen „ Dic „ ad filios Israëlis, quando veneritis in terram, quam Ego dans „ vobis, et messueritis messem ejus, adferetis [58] manipulum „ primulum primitiarum messis vestrae ad sacerdotem, qui mo„ titabit manipulum coram Jehovah in beneplacitum vestri; a „ crastino sabbathi motitabit illum sacerdos; et facietis in die „ illo filium agni in holocaustum, tum mincham et libamen: pa„ nem vero vel spicam tostam vel virentem non comedetis usque „ ad diem illum hunc: deinde numerabitis vobis a crastino sab„ bathi, a die quo attulistis manipulum motitationis, septem sab„ batha integra erunt, usque ad crastinum sabbathi septimi nu„ merabitis quinquaginta dies, et offeretis munus novum Jeho-

„ vae, de habitationibus vestris offeretis panem motitationis, fer„ mentatus coquetur, primitias, Jehovae; offeretis praeter pa„ nem septem agnos, unum juvencum, et duos arietes, in ho„ locaustum, cum eorum mincha et libamine" Levit: XXIII: 10 ad 21. Deut: XVI: 9 ad 12. Quod singula haec significant, non nisi quam a sensu eorum interno sciri potest; in eo sensu *semina* quae seminantur in agro sunt vera fidei quae implantantur bono; per *messem*, maturescentia quando bona inde, nam *triticum* et *hordeum* sunt bona, et *spica* sive arista in qua illa sunt vera ita adjuncta bonis; *manipulus* est talium series et collectio, nam vera manipulatim disposita sunt; *motitatio* est vivificatio, vera enim non prius viva sunt apud hominem quam cum in bono sunt; *sacerdos* qui manipulum motitabat, hoc est, qui bona veri vivificabat, repraesentabat Dominum, nam ab Ipso omne vitae; quod hoc factum sit *crastino sabbathi* significabat sanctum conjunctionis boni et veri; quod prius non licuerit *panem, spicam, tostam*, aut *spicam virentem edere*, significabat vitam boni et ejus appropriationem non prius, *panis* est bonum amoris, *spica tosta* est bonum charitatis, *spica virens* est bonum veri, et *edere* est appropriare; *quod inde septem sabbatha numerarentur usque ad festum*, quod fiebat inde *quinquagesimo die*, significabat plenariam implantationem veri in bono usque ad primum status novi; *panis fermentatus* qui tunc offerebatur, significabat bonum tunc nondum plene purificatum; *motitatio* ejus significabat vivificationem; *holocaustum ex agnis, juvenco, arietibus, cum mincha et libaminibus*, significabant cultum Domini ex illius boni quali: haec sunt quae significantur per hoc festum, et per illa quae peragebantur; ex quibus patet, quod secundus status liberationis a damnatione, qui erat status implantationis veri in bono, significatus fuerit. Quia Festum hoc vocatum est Festum primitiarum messis, sciendum est, quid messis in Verbo significat: Ager, in quo messis, in lato sensu significat totum humanum genus, seu totum mundum; in minus lato sensu Ecclesiam; in strictiori sensu hominem Ecclesiae; et in adhuc strictiore, bonum quod in homine Ecclesiae, nam hoc recipit vera fidei, sicut ager semina: ex significatione Agri patet, quid significat Messis, quod nempe in latissimo sensu statum totius generis humani quoad receptionem boni per verum;

in minus lato sensu statum Ecclesiae quoad receptionem verorum fidei in bono; [59] in strictiori sensu statum hominis Ecclesiae quoad illam receptionem; et in adhuc strictiori sensu statum boni quoad receptionem veri, ita implantationem veri in bono. Ex his constare potest, quid per Messem significatur in sequentibus his locis, ut apud Matthaeum „Qui seminat bonum semen est Filius hominis; *Ager* est mundus; *semen* sunt filii regni; *Zizania* sunt filii illius mali; *inimicus* qui seminat illa, est diabolus; *messis* vero consummatio saeculi, *messores* autem sunt Angeli" XIII: 37. 38. 39; bonum semen sunt vera fidei a Domino, Filius hominis est Dominus quoad vera Ecclesiae; mundus, qui est ager, est totum genus humanum; filii regni, qui sunt semen, sunt vera fidei Ecclesiae; filii regni mali, qui sunt Zizania, sunt falsa fidei Ecclesiae; diabolus qui inimicus et seminat ea, est infernum; consummatio saeculi, quae messis, est ultimus status Ecclesiae quoad receptionem verorum fidei in bono; angeli, qui messores, sunt vera a Domino; quod talia per illa Domini verba significentur, constare potest ex sensu eorum interno, de quo passim in explicationibus: ex illis quoque patet, quomodo Dominus, cum fuit in mundo, loquutus est, quod nempe per significativa, ob causam ut Verbum non solum esset pro mundo, sed etiam pro coelo. In Apocalypsi „Angelus exivit e Templo clamans voce magna ei qui super nube sedebat, *mitte falcem tuam* et *mete*, quia venit tibi hora *metendi*, quia *arefacta est messis terrae:* misit itaque sedens super nube *falcem suam in terram*, et *demessa est terra*" XIV: 15. 16, messis hic quoque pro ultimo statu Ecclesiae quoad receptionem Verorum fidei in bono. Apud Joëlem „Luxerunt sacerdotes ministri Jehovae, *devastatus est ager*, luxit terra quia devastatum est frumentum, exaruit mustum, languet oleum, pudefacti sunt agricolae, ejularunt vinitores super tritico et super hordeo, et *quod perierit messis agri*" I: 9. 10. 11, describitur hic vastatio Ecclesiae quoad vera fidei et bona Charitatis per talia quae sunt agri, vineae et oliveti, ipsa Ecclesia est ager, et status ejus ultimus qui a Domino vocatus est Consummatio saeculi, est Messis. Apud Eundem „*Immittite falcem, quia maturuit messis;* venite, descendite, quia plenum est torcular, exundant lacus eo quod magna malitia eorum" IV: 13, etiam hic per

messem significatur Consummatio saeculi seu ultimus status Ecclesiae devastatae. Apud Jeremiam „Exscindite seminantem e Babele, et *prehendentem falcem in tempore messis*" L: 16. [60] apud Eundem „Filia Babelis sicut *area*, tempus ad triturandum eam, adhuc parum cum venit *tempus messis*" LI: 33, tempus messis pro ultimo statu Ecclesiae ibi. Apud Esaiam „Ejulate naves Tharschischi, quia devastata est Tyrus, ut non domus, nec intret quisquam, silent habitatores insulae, mercator Zidonis, transiens mare, impleverunt te, et per aquas multas semen Schichoris, *Messis Nili, proventus illius*, ut esset mercatura gentium" XXIII: 1. 2. 3, sancta Ecclesiae, quae hic describuntur, nemo sciri potest nisi ex sensu interno; quisque scit, quod sancta coeli et Ecclesiae ubivis in Verbo sint, et quod inde Verbum sanctum sit; in sensu literae ibi agitur de mercatura Tyri et Zidonis, quae non sancta sunt absque sensu interiori sancto; quid autem in hoc sensu significant, patet si evolvuntur; naves Tharschischi sunt doctrinalia veri et boni; Tyrus et Zidon sunt cognitiones boni et veri, non domus ut non intret quisquam, est quod non amplius bonum cui verum implantari possit; habitatores insulae qui silent, sunt bona remotiora; semen Schichoris est verum scientificum; messis Nili proventus illius, est inde bonum extra Ecclesiam.

9296. Et festum collectionis in exitu anni, in colligendo te opera tua ex agro, quod significet cultum ex grato animo ob implantationem boni inde, ita ob regenerationem et plenariam liberationem a Damnatione, constat ex significatione festi, quod sit cultus Domini et gratiarum actio, de qua supra n: 9286. 9287. 9294, ita cultus ex grato animo; ex significatione collectionis, cum de implantatione veri in bono dicitur, quod sit ipsa implantatio boni; ex significatione exitus anni, quod sit finis operum; et ex significatione in colligendo te opera tua ex agro, quod sit fruitio et usus omnium quae implantata sunt bono; per opera enim significantur non solum ea quae agri sunt, sed etiam quae vineae et oliveti, ita quae fructus terrae, ut patet a descriptione hujus festi apud Moschen „Festum tabernaculorum facies tibi septem diebus, *quum collegeris de area tua et de torculari tuo;* et benedicet tibi Jehovah Deus tuus *in omni proventu tuo*, et *in omni opere manuum tuarum*" Deut: XVI: 13.

15; et alibi „In quinto decimo die mensis septimi, *cum collegeritis fructum terrae*, feriabimini festum Jehovae septem dies" Levit: XXIII: 39. Quia per hoc Festum significatur cultus Domini ex grato animo propter implantationem boni, et sic propter plenariam liberationem a damnatione, primum hic explicabitur, quid sit implantatio boni: prius passim ostensum est, quod homini sint binae facultates vitae, nempe Intellectus et Voluntas, et quod Intellectus dicatus sit receptioni veri, ac Voluntas dicata receptioni boni; sunt enim bina, ad quae omnia in universo tam Coelo quam Mundo, se referunt, nempe Verum et Bonum; inde etiam patet, quod bina illa faciant vitam hominis, et quod vitam ejus novam Verum fidei et Bonum Charitatis, et quod nisi utrumque implantatum fuerit homini, non ei vita nova sit: quomodo verum quod fidei inseminatur et implantatur homini, notum est in Ecclesia; sed nondum bene, quomodo bonum quod charitatis: homo, cum infans est, recipit tunc bonum a Domino, quod bonum est bonum innocentiae, quale est infantibus; hoc bonum facit initiamentum novae voluntatis apud hominem, et crescit succedente aetate secundum vitam innocentiae cum sodalibus, ac secundum vitam probitatis et obedientiae erga parentes et magistros, sed plus apud illos qui postea se regenerari patiuntur; hoc praevidet Dominus et secundum statum vitae sequentis providet, nam Dominus in omni praesenti praevidet malum et providet bonum, et hoc a primo stamine vitae usque in aeternum: postea cum homo adolescit, ac incipit cogitare ex se, quantum tunc aufertur a jucundis amorum sui ac mundi, tantum novum illud voluntarium seu initiamentum novae voluntatis clauditur; et quantum non ab illis jucundis aufertur, tantum illud aperitur, et quoque perficitur. Sed quomodo id perficitur, per implantationem veri, nunc dicetur; novum illud voluntarium, quod est ex bono innocentiae, est habitaculum per quod Dominus intrat apud hominem, et excitat hominem ad velle bonum, et ex velle facere bonum; is influxus tantum operatur apud hominem, quantum is desistit a malis; inde ei facultas sciendi, appercipiendi, reflectendi, ac intelligendi vera et bona moralia et civilia secundum jucundum usus; postea influit Dominus per bonum illud in vera doctrinae Ecclesiae, quae apud hominem, et ex memoria evocat talia quae inserviunt usui vi-

tae, et haec implantat bono, ac perficit illud; inde est quod bonum apud hominem prorsus sit secundum usum vitae; si usus vitae pro proximo est, hoc est, pro bono concivis, patriae, Ecclesiae, Coeli, ac pro Domino, tunc bonum illud est bonum charitatis; at si usus vitae est solum pro se et pro mundo, tunc clauditur id initiamentum novae voluntatis, ac infra illud formatur voluntarium ex malis amorum sui et mundi, ac inde intellectuale a falsis; hoc voluntarium est clausum supra et apertum infra, hoc est, clausum ad coelum et apertum ad mundum: ex his patet, quomodo vera implantantur bono, et formant illud; tum quoque quod homo cum in bono est, sit in coelo apud Dominum, nam, ut supra dictum est, nova voluntas, ubi bonum charitatis, est habitaculum Domini, proinde coelum apud hominem; et novum intellectuale inde est quasi tabernaculum per quod introitus et exitus: Talia in communi et in particulari repraesentata sunt per hoc festum, quod festum collectionis fructuum terrae, et festum tabernaculorum dictum est: quod ita sit, patet ex institutione hujus festi, de qua ita apud Moschen „In quintodecimo die Mensis septimi, cum colligeritis fructum „terrae, feriabimini festum Jehovae septem dies; in die primo „sabbathum, et in die octavo sabbathum: et accipietis vobis in „die primo fructum arboris honoris, spathas palmarum, et ra„mum arboris densae, et salices torrentis, et laetemini coram „Jehovah Deo vestro septem dies: omnis indigena Israëlis ha„bitabunt in tabernaculis; ut sciant generationes vestrae, quod „in tabernaculis habitare fecerim filios Israëlis, cum eduxero „eos e terra Aegypti" Levit: XXIII: 39 ad 44: et alibi „Fe„stum tabernaculorum facies tibi septem dies, cum collegeris „de area tua et de torculari tuo; laeteris in festo illo, tu, filius „tuus, et filia tua, et servus tuus, et ancilla tua, et Levita, et „peregrinus, et orphanus et vidua, qui in portis tuis: omnino „laetus eris" Deut: XVI: 13 ad 16: quod status boni implantati per verum a Domino, ita status coeli apud hominem, per hoc festum repraesentatus sit, patet a sensu interno omnium quae ibi memorantur; in eo enim sensu, *per diem quintodecimum mensis septimi*, significatur finis status prioris, et principium status novi, quod *quintodecimum* id sit, videatur n: 8400, et quoque *septimum*, n: 728. 6508. 8976. 9228; per *fructum*

terrae, qui tunc *collectus*, significatur bonum charitatis, n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847. 3146. 7690. [61] 7692; simile per *collectionem ex area et torculari, frumentum* enim quod est *areae*, est bonum veri, n: 5295. 5410; *vinum* quod *torcularis*, est verum ex bono, n: 6377, et *oleum* quod etiam est *torcularis*, est bonum ex quo verum, n: 886. 3728. 4582. 4638; [62] per *sabbathum* primo die, et per *sabbathum octavo die* significatur conjunctio veri cum bono, et reciproce boni cum vero, quod *sabbathum* sit conjunctio veri et boni, n: 8495. 8510. 8890. 8893. 9274; quod *octavus dies* etiam dictus sit sabbathum, est quia per *octavum* significabatur principium novi status, n: 2044. 8400 fin: per *fructum arboris honoris*, quem die *primo acciperent*, significabatur festivitas et gaudium propter bonum implantatum, quapropter sequitur, *ut laetemini coram Jehovah*, per *spathas palmarum* vera interna illius boni, n: 8369; [63] *per ramum arboris densae* seu *implexae*, vera boni externa seu scientifica, n: 2831. 8133; et per *salices torrentis*, [64] vera adhuc exteriora, quae sensualium corporis; per *tabernacula in quibus septem dies habitarent*, significatur sanctum amoris a Domino, et reciproce in Dominum, n: 414. 1102. 2145. 2152. 3312. 3391. 4391. 4599, et quod sit sanctum unionis, n: 8666: *per indigenam Israëlis* significantur qui in bono charitatis, ita quoque abstracte bonum illud, n: 3654. 4598. 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833. 6426. 7957: [65] per *laetitiam omnium tunc*, significabatur gaudium quale illis qui in bono a Domino, ita quale illis qui in coelo, nam qui in bono charitatis est a Domino, is in coelo est apud Dominum; haec sunt, propter quae illud festum.

9297. Tribus vicibus in anno videbitur omnis masculus ad facies Domini Jehovae, quod significet continuam apparentiam et praesentiam Domini sic etiam in veris fidei, constat ex significatione tribus vicibus in anno, quod sit completum et continuum, de qua n: 4495. 9198; ex significatione videri, quod sit apparentia et praesentia, de qua n: 4198. 5975. 6893; ex significatione masculi, quod sit verum fidei, de qua n: 2046. 7838; et ex significatione facierum, cum de Jehovah, hoc est, Domino, quod sit Divinum Bonum Divini Amoris, seu Misericordia, de qua n: 222. 223. 5585. 7599; et quia Divinum Bo-

num Divini Amoris est Ipse Jehovah seu Dominus, ideo per videri ad facies Domini Jehovae, simile significatur quod per videri a Domino; Dominus etiam est, qui videt hominem, et sistit se apud illum, datque ei ut se videat, ita homo non videt Dominum ex se, sed ex Domino apud se. Quomodo intelligitur quod continua apparentia et praesentia Domini sit etiam in veris fidei, paucis dicetur; praesentia Domini apud hominem est in bono apud illum, quia bonum facit vitam ejus, non autem verum, nisi quatenus ex bono; inde est, ut supra n: 9296, dictum, quod habitaculum Domini in bono innocentiae apud hominem; cum itaque homo regeneratus est, tunc Dominus non modo praesens est in bono apud illum, sed etiam in veris quae ex bono, nam vera tunc vitam habent ex bono, et sunt bonum in forma, per quam boni quale potest appercipi; haec vera sunt quae faciunt novum intellectum hominis, qui unum facit cum nova ejus voluntate; nam, ut prius dictum est, omnia se referunt ad verum et ad bonum, ac intellectus hominis dicatus est veris, at voluntas bono, ex quo vera; inde patet, quomodo intelligendum, quod tunc apparentia et praesentia Domini etiam sit in veris fidei; haec sunt quae significantur per quod tribus vicibus in anno videretur omnis masculus ad facies Domini Jehovae; inde dicitur, quod videbitur *masculus*, quia per masculum significatur verum fidei; et ideo dicitur ad *facies Domini Jehovae*, quia per Jehovam significatur Esse Divinum, et per Dominum Existere Divinum ex Esse; inde esse apud hominem est bonum, et existere inde est verum. Dicitur in Ecclesia, quod Fides sit a Domino, sed sciendum quod fides quae a charitate, sit a Domino, non autem fides separata a charitate, nam haec fides est a proprio, et vocatur fides persuasiva, de qua in Doctrina Charitatis et fidei ante Caput sequens: homo scire potest, num fides apud se sit a Domino vel a semet; qui afficitur veris solum propter eruditionis famam, ut lucretur honores et opes, et non propter usum vitae bonum, is in fide persuasiva est, quae a semet, et non a Domino. Sunt etiam veri fidei theoretica, et sunt practica; qui spectat theoretica propter practica, et illa videt in his, et sic ex utrisque conjunctis usum vitae bonum, et afficitur illis et his propter hunc finem, is in fide est a Domino; causa est, quia usus vitae, qui finis, est bonum apud illum, et

secundum usum vitae omnia formantur; vera fidei sunt per quae formatio: quod ita sit, manifeste patet ex illis qui in altera vita; omnes quotcunque ibi sunt, rediguntur ad statum sui boni vel ad statum sui mali, ita ad usum suae vitae, qui fuit finis, hoc est, quod super omnia amaverant, ac quod inde ipsum jucundum vitae eorum fuerat; ad hoc rediguntur omnes; vera vel falsa, quae unum fecerunt cum illo usu, remanent, et quoque plura adsciscuntur, quae se prioribus conjungunt, ac complent usum, et faciunt ut usus in ipsa sua forma appareat: inde est, quod spiritus et angeli sint formae sui usus, spiritus mali formae usus mali, hi sunt in inferno; spiritus boni seu angeli formae usus boni, hi sunt in coelo; inde quoque est, quod spiritus ad praesentiam illico cognoscantur quales sunt, vera fidei ex facie et ejus pulchritudine quoad formam, et ipsum bonum, quod est usus, ex igne amoris ibi qui pulchritudinem vivificat, et quoque ex sphaera undante ex illis: ex his iterum constare potest, quid sit praesentia Domini in veris fidei.

9298. Non sacrificabis super fermentato sanguinem sacrificii mei, quod significet quod cultus Domini ex veris Ecclesiae non commiscendus sit cum falsis ex malo, constat ex significatione sacrificare et sacrificii, quod sit cultus Domini, de qua [n:] 922. 923. 2180. 2805. 2807. 2830. 3519. 6905. 8680. 8936; ex significatione fermentati, quod sit falsificatum et falsum ex malo, de qua n: 2342. 7906. 8051. 8058; et ex significatione sanguinis, quod sit verum ex bono, ita verum Ecclesiae, de qua n: 4735. 6978. [66] 7317. 7326. 7846. 7850. 7877. 9127; inde patet, quod per non sacrificabis super fermentato sanguinem sacrificii mei, significetur quod cultus Domini ex veris Ecclesiae non commiscendus sit cum falsis ex malo: quid falsum ex malo, et falsum non ex malo, videatur n: 1679. 2408. 4729. 6359. 7272. 8298. 9258. Quod vera ex bono, quae sunt vera Ecclesiae, non commiscenda sint cum falsis ex malo, est quia prorsus non concordant, sunt enim contraria, unde conflictus, ex quo vel peribit bonum, vel dissipabitur malum, est enim bonum ex coelo, hoc est, per coelum a Domino, et est malum ex inferno: dantur quidem vera apud malos, et quoque falsa apud bonos, sed vera apud malos non commiscentur cum falsis ex malo apud eos, quamdiu solum in memoria sunt,

et serviunt pro mediis ad malum, tamdiu enim absque vita sunt; sed si vera falsificantur ad favendum malo, quod etiam fit per sinistram interpretationem, tunc commiscentur, unde prophanatio veri; quae qualis sit, videatur n: 1008. 1010. 1059. 1327. 1328. 2051. 2426. 3398. 3399. 3402. 3489. 4601. 6348. 6959. 6960. 6963. 6971. 8394. 8943. 9188. Quod prohibitum fuerit sacrificare super fermentato, patet ab hac lege de mincha, quae simul cum sacrificio super altari adolebatur, de qua ita apud Moschen „*Omnis mincha*, quam adferetis Jehovae, *non conficietur fermentata*, et *ullum fermentum* et *ullum mel* non, de quo adoleatis ignitum Jehovae" Levit: II: 11. Ex his constat, quod prophanatio veri significetur per hanc legem; ideo quoque dicitur sanguis sacrificii, non sacrificium, quia sanguis est verum ex bono.

9299. Et non pernoctabit adeps festi mei usque ad mane, quod significet bonum cultus non ex proprio, sed a Domino semper novum, constat a significatione pernoctare, quod sit id quod ex proprio, nam per noctem in Verbo significatur malum et falsum, n: 221. 709. 6000. 7776. 7851. 7870. 7947, ita quoque proprium, quia proprium hominis non est nisi quam malum et falsum, n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1023. 1044. 4318. 5660. 5786. 8480; ex significatione adipis seu pinguedinis, quod sit bonum amoris, de qua n: 353. 5943, hic bonum amoris in cultu, quia dicitur adeps festi, festum enim est cultus, n: 9286. 9287. 9294; et ex significatione mane, quod sit Dominus et Ipsius adventus, ut constare potest ex illis quae de mane, n: 2405. 2780. 5962. [67] 8426. 8427. 8812, ostensa sunt; inde hic per mane, ubi agitur de bono cultus non ex proprio, significatur id a Domino semper novum.

9300. Primum primitiarum humi tuae introduces in domum Dei tui, quod significet quod omnia vera boni et bona veri sancta sint, quia a solo Domino, constat ex significatione primitiarum humi, quod sit quod bona et vera Ecclesiae addicanda sint soli Domino, quod primitiae illa sint, videatur n: 9223, et quod humus sit Ecclesia, n: 566. 1068; primum primitiarum dicitur, quia hoc primarium erit; bona enim et vera suam vitam a Domino habent, et tunc vitam a Domino habent, cum Ipsi addicantur; et ex significatione adducere in domum Dei,

quod sit ad Dominum, ut sancta sint; quod domus Dei sit Dominus, videatur n: 3720, et quod omne sanctum sit a Domino, n: 9229; ex quibus patet, quod per primum primitiarum humi tuae introduces in domum Dei, significetur quod omnia vera boni et bona veri sancta sint quia a solo Domino. Vera boni et bona veri dicuntur, quia apud hominem qui regeneratur, et magis apud illum cum regeneratus est, vera sunt boni et bona sunt veri, vera enim faciunt vitam intellectus, et bonum vitam voluntatis; et apud hominem regeneratum intellectus et voluntas unam mentem faciunt, et communicant reciproce, vera quae intellectus cum bono quod voluntatis, et bonum quod voluntatis cum veris quae intellectus; influunt vicissim, vix aliter ac sanguis e corde in pulmones, et inde rursus in cor, et dein e corde sinistro in arterias et ab his per venas iterum in cor; talis idea potest haberi de reciprocatione boni et veri apud hominem ab intellectu ejus in voluntatem, et a voluntate ejus in intellectum, quod ex pulmonibus et corde idea imprimis de reciprocatione veri fidei et boni charitatis in intellectu et voluntate capi possit, est quia pulmones correspondent veris quae fidei et Cor bono quod amoris, n: 3635. 3883 ad 3896; inde quoque est, quod per cor in Verbo significetur vita voluntatis, et per animam vita fidei, n: 9050: quod ex illis idea [68] de veris quae intellectus et de bono quod voluntatis formari possit, est quia omnia quae fidei et quae amoris sunt, secum ferant ideam ex talibus quae homo scit, nam homo absque idea ex scibilibus et sensibilibus apud se non cogitare potest; et homo tunc cogitat juste, etiam de illis quae fidei et amoris sunt, quum ex correspondentiis, nam correspondentiae sunt veritates naturales, in quibus sicut in speculis repraesentantur veritates spirituales; quapropter quantum extra illas capiuntur ideae cogitationis de spiritualibus, tantum vel ex fallaciis sensuum vel ex incongruis capiuntur ideae: quales ideae homini sunt de illis quae fidei et amoris, patet manifeste in altera vita, nam ibi ideae percipiuntur clare. Quod dicatur quod vera fidei se referant ad intellectum hominis, et bonum charitatis ad voluntatem ejus, apparere potest sicut non congruum illis, qui dicunt et se confirmant in eo, quod ea quae fidei sunt simpliciter credenda sint, quia naturalis homo et ejus intellectuale non capit quicquam de talibus, et quia fides non ab

homine est, sed a Domino; verum iidem usque agnoscunt et credunt, quod homo illustretur in veris, et accendatur bono, quum legit Verbum, et cum illustratur quod tunc percipiat quid verum et non verum, etiam illos, qui prae aliis detexerunt veritates ex Verbo, vocant illustratos; inde patet, quod, qui illustrantur, videant et percipiant intus in se num verum sit vel non verum: quod tunc intus illustratur, est eorum intellectuale, et quod tunc intus accenditur, est eorum voluntarium; sed si verum genuinum fidei est in quo illustrantur, et bonum genuinum charitatis in quo accenduntur, tunc est intellectuale interni hominis quod illustratur, et voluntarium interni hominis quod accenditur; aliter si non verum genuinum fidei est, et non bonum genuinum charitatis; qui in his sunt, etiam qui in falsis et malis, quidem confirmare vera Ecclesiae possunt, sed non ex interiori videre et percipere num vera sint; inde est, quod plerique permaneant in Doctrinalibus Ecclesiae suae, in qua nati sunt, et modo confirment illa, qui etiam confirmavissent se in maxime haereticis, sicut in Socinianismo et in Judaismo, si ex talibus parentibus nati fuissent: ex his patet, quod intellectuale illustretur apud illos qui in affectione veri ex bono sunt, non autem apud illos qui in affectione veri ex malo: apud illos qui in affectione veri ex bono sunt, illustratur intellectuale interni hominis, et accenditur voluntarium interni hominis; at apud illos qui in affectione veri ex malo sunt, non illustratur intellectuale interni hominis, nec accenditur voluntarium interni hominis, causa est, quia hi naturales homines sunt; inde est, quod defendant quod naturalis homo non capere possit ea quae fidei sunt. Quod intellectus sit qui illustratur veris fidei, et voluntas quae accenditur bono charitatis, apud illos qui in affectione veri ex bono sunt, et inde interiores ac spirituales homines sunt, patet manifeste ab iisdem in altera vita, illi ibi in intellectu sunt omnium quae fidei sunt, et in voluntate omnium quae charitatis, quod etiam clare percipiunt, inde illis intelligentia et sapientia quae ineffabilis, sunt enim post exuitionem corporis in interiori intellectu qui illustrabatur in mundo, et in interiore voluntate quae accendebatur in mundo; sed quomodo tunc illustrabantur et accendebantur, non percipere potuerunt, quia tunc cogitabant in corpore et ex talibus quae mundi sunt: ex his nunc constat, quod

vera fidei faciant vitam intellectus, et bonum charitatis faciat vitam voluntatis, ita quod intellectus adesse debeat in illis quae fidei sunt, et voluntas in illis quae charitatis, seu quod idem, quod illae binae facultates sint, in quas influit fides et charitas a Domino, et quod secundum eorum statum recipiantur, ita quod nullibi quam in illis apud hominem sit habitaculum Domini. Quomodo cum his porro se habet, idea formari potest ex illis, quae de Interno et de Externo homine n: 6057. 9279, dicta sunt, quod nempe Internus homo formatus sit ad imaginem coeli, et Externus ad imaginem mundi, et quod illi, apud quos Internus homo non apertus est, nihil videant e coelo, et quod ea quae vident ex mundo de Coelo, caligo sint, et quod ideo nullam ideam spiritualem possint habere de talibus, quae fidei et charitatis sunt; inde quoque est, quod ne quidem capere possint quid bonum Christianum seu quid charitas est, usque adeo ut prorsus cogitent in solis veris, quae vocant fidei, consistere vitam coeli, et quoque hanc dari posse apud quoscunque, qui fiduciam fidei habent, tametsi non vitam fidei; quantum hi caecutiunt de vita fidei, quae est charitas, patet evidenter ex eo, quod prorsus nihil attendant ad millia de bono vitae, quae Ipse Dominus docuit, et cum legunt Verbum, quod illico rejiciant ea post fidem a tergo, ac ita a semet et ab aliis abscondant; inde quoque est, quod illa quae sunt boni, hoc est, quae sunt charitatis et ejus operum, ejiciant e doctrina Ecclesiae in doctrinam inferiorem, quam Theologiam moralem vocant, quam naturalem faciunt non spiritualem; cum tamen post mortem vita charitatis manet, et modo tantum fidei, quantum concordat cum ea vita, hoc est, tantum cogitationis de Veris fidei, quantum voluntatis boni est secundum illa. Quod qui in fide sunt ex bono, possint se confirmare ex scientificis quibuscunque, et per illa corroborare fidem, videatur n: 2454. 2568. 2588. 4156. 4293. 4760. 5201. 6047. 8629.

9301. Non coques haedum in lacte matris suae, quod significet quod bonum innocentiae posterioris status non conjungendum sit cum vero innocentiae prioris status, constat ex significatione coquere, quod sit conjungere, de qua n: 8496; ex significatione haedi, quod sit bonum innocentiae, de qua n: 3519. 4871; et ex significatione lactis, quod sit verum inno-

centiae, de qua n: 2184. 3183; inde lac matris est verum innocentiae primae; ex his patet, quod per non coques haedum in lacte matris suae, significetur quod bonum innocentiae posterioris status non conjungendum sit cum vero innocentiae prioris status; hoc arcanum coeleste est, ex quo illa lex fluit; omnes enim leges et omnia judicia et statuta, quae filiis Israëlis data sunt, arcana coeli continent, quibus etiam correspondent. Sed quomodo intelligendum sit hoc arcanum, quod nempe bonum innocentiae posterioris status non conjungendum sit vero innocentiae prioris status, paucis dicetur; innocentia prioris status est innocentia quae est infantum et puerorum, et innocentia posterioris status est innocentia quae est adultorum et senum qui in bono amoris in Dominum sunt; innocentia infantum et puerorum est externa, et habitat in densa ignorantia, at innocentia senum est interna, et habitat in sapientia, de differentia utriusque videatur n: 2305. 2306. 3183. 3495. 4797. Innocentia, quae habitat in sapientia, est scire, agnoscere et credere, quod nihil intelligere, et nihil velle possit a semet, et inde quod nihil velit intelligere et velle a semet, sed solum a Domino; tum quicquid putat se intelligere a semet sit falsum; et quicquid putat se velle a semet sit malum; hic status vitae est status innocentiae posterioris status, in quo sunt omnes qui in tertio coelo, quod Coelum innocentiae vocatur; inde est, quod illi sint in sapientia, quia quod intelligunt et quod volunt, est a Domino: sed Innocentiae quae habitat in ignorantia, qualis apud infantes et pueros, est credere quod omnia quae sciunt et cogitant, et quoque quae volunt, sint in se, et quod omnia quae inde loquuntur et faciunt, sint a se; quod haec fallaciae sint non capiunt; vera quae illius innocentiae sunt, fundantur quoad maximam partem, super fallaciis sensuum externorum, quae tamen discutiendae sunt, sicut provehitur homo ad sapientiam: ex his paucis constare potest, quod bonum innocentiae posterioris status non conjungendum sit cum vero innocentiae prioris status.

9302. Vers: 20 ad 30. *Ecce Ego mitto Angelum ante te, ad custodiendum te in via, et ad perducendum te ad locum, quem praeparavi. Custodi a facie Ejus, et audi vocem Ejus, ne exacerbes Eum, quia non feret praevaricationem vestram,*

quia Nomen meum in medio Ejus. Quia si audiendo audiveris vocem Ejus, et feceris omne quod loquor, inimicum agam in inimicos tuos, et hostem agam in hostes tuos. Cum iverit Angelus meus ante te, et perduxerit te ad Emorraeum, et Chittaeum, et Perisaeum, et Cananaeum, Chivaeum et Jebusaeum, et excidero illum. Non incurvabis te diis illorum, et non servies illis, et non facies secundum opera illorum, quia destruendo destrues illos, et confringendo confringes statuas illorum. Et servietis Jehovae Deo vestro, et benedicet pani tuo et aquis tuis, et removebo morbum e medio tui. Non erit abortiens et sterilis in terra tua, numerum dierum tuorum implebo. Terrorem meum mittam ante te, et turbabo omnem populum, ad quos veneris, et dabo omnes inimicos tuos ad te cervicem. Et mittam crabronem ante te, et expellet Chivaeum, Cananaeum et Chittaeum ab ante te. Non expellam illum ab ante te in anno uno, ne forte sit terra desolata, et multiplicetur super te fera agri. Parum, parum expellam illum ab ante te, usque dum fructificeris et haeredites terram. Ecce Ego mitto Angelum ante te, significat Dominum quoad Divinum Humanum: ad custodiendum te in via, significat Ipsius Providentiam et custodiam a falsis mali: ad perducendum te ad locum quem praeparavi, significat introductionem ab Ipso in coelum secundum bonum vitae et fidei: custodi a facie Ejus, significat timorem sanctum: et audi vocem Ejus, significat obedientiam praeceptorum quae ab Ipso: ne exacerbes Eum, significat aversionem ab Ipso per falsa ex malo: quia non feret praevaricationem vestram, significat quia illa repugnant veris ex bono: quia Nomen meum in medio Ejus, significat quod ex Ipso omne bonum amoris et verum fidei: quia si audiendo audiveris vocem Ejus, significat instructionem de praeceptis fidei, et receptionem: et feceris omne quod loquor, significat obsequium ex fide et amore: inimicum agam in inimicos tuos, significat quod Dominus avertet omnia falsa ex malo: et hostem agam in hostes tuos, significat quod avertet omnia mala ex quibus falsa: cum iverit Angelus meus ante te, significat vitam secundum praecepta Domini: et perduxerit te ad Emorraeum, et Chittaeum, et Perisaeum, et Cananaeum, Chivaeum et Jebusaeum, et excidero illum, significat cum Dominus tutatus sit contra mala et falsa infestantia Ec-

clesiam, et haec amoverit: non incurvabis te diis illorum, significat quod falsa mali non colenda: et non servies illis, significat quod nec obedienda: et non facies secundum opera illorum, significat quod mala vitae non sectanda: quia destruendo destrues illos, significat quod mala prorsus amovenda: et confringendo confringes statuas illorum, significat quod similiter falsa cultus: et servietis Jehovae Deo vestro, significat cultum solius Domini: et benedicet pani tuo et aquis tuis, significat incrementum boni amoris et veri fidei: et removebo morbum e medio tui, significat tutelam a falsificationibus veri et ab adulterationibus boni: non erit abortiens et sterilis in terra tua, significat quod bona et vera suo ordine in continua progressione procedent: numerum dierum tuorum implebo, significat usque ad statum plenum: terrorem meum mittam ante te, significat terrorem illorum qui in malis falsi pro veris boni: et turbabo omnem populum, significat consternationem omnium falsorum: ad quos veneris, significat ex praesentia Domini: et dabo omnes inimicos tuos ad te cervicem, significat falsorum fugam et damnationem: et mittam crabronem ante te, significat formidinem illorum qui in falsis ex malo: et expellet Chivaeum, Cananaeum et Chittaeum ab ante te, significat fugam falsorum ex malis: non expellam illum ab ante te in anno uno, significat non fugam seu remotionem eorum festinam: ne forte sit terra desolata, significat deficientiam tunc et parum vitae spiritualis: et multiplicetur super te fera agri, significat affluxum falsorum ex jucundis amorum sui et mundi: parum, parum expellam illum ab ante te, significat remotionem per gradus secundum ordinem: usque dum fructificeris, significat secundum incrementum boni: et haereditės terram, significat dum in bono, ita regeneratus.

9303. Ecce Ego mitto Angelum ante te, quod significet Dominum quoad Divinum Humanum, constat ex significatione mittere, cum de Domino, quod sit procedere, de qua n: 6831, hic facere ut procedat; et ex significatione Angeli, quod sit qui procedit, nam Angelus in Lingua Originali significat Missum, inde est ejus vocis derivatio, et per Missum significatur procedens, ut constare potest ex locis e Verbo n: 6831, [69] citatis; inde patet, quod per Angelum Jehovae intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, nam Hoc a Jehovah ut Patre procedit; Je-

hovah ut Pater est Divinum Bonum Divini Amoris, quod est ipsum Esse, n: 3704, et procedens a Patre est Divinum Verum ex Divino illo Bono, ita Existere Divinum ex Esse Divino, hoc significatur hic per Angelum; similiter apud Esaiam « *Angelus facierum Ipsius* liberavit illos ob amorem suum, et indulgentiam suam, *Hic redemit illos,* et assumsit illos, et portavit illos omnibus diebus aeternitatis » LXIII: 9: et apud Malachiam « Ecce subito veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quaeritis, et *Angelus foederis* quem vos desideratis » III: 1. 2; ad Templum Domini est ad Humanum suum, quod id Templum Ipsius sit, docet Ipse Dominus, apud Matthaeum Cap: XXVI: 61, [70] et apud Johannem Cap: II: 19. 21. 22. In Ecclesia dicitur, quod ex Tribus, qui nominantur Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, unum Divinum, quod etiam Unus Deus vocatur, existit; et quod a Patre procedat Filius, et a Patre per Filium procedat Spiritus Sanctus; sed quid sit Procedere seu Exire adhuc ignoratur; Angelorum ideae de eo prorsus differunt ab ideis hominum Ecclesiae qui de ea re cogitaverunt; causa est, quia ideae hominum Ecclesiae fundantur super Tribus, sed Angelorum super Uno: quod ideae hominum Ecclesiae fundentur super Tribus, est quia illi Divinum in tres personas distinguunt, et cuique specialia et particularia munia attribuunt; inde est, quod quidem dicere possint, quod Deus unus sit, sed nusquam cogitare aliter quam quod Tres sint, qui per unionem, quam mysticam vocant, unum sunt; sed sic quidem cogitare possunt, quod Unum Divinum sit, non autem quod unus Deus sit; in cogitatione enim est Pater Deus, Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus; Unum Divinum est unum per consensum et sic unanimum, sed unus Deus est prorsus Unus. Qualis idea, seu qualis Cogitatio est homini Ecclesiae de Uno Deo, apparet manifeste in altera vita, unusquisque enim cogitationis suae ideas secum fert; idea seu cogitatio eorum est, quod tres dii sint, sed quod non ausint dicere deos verum Deum; etiam pauci unum ex tribus faciunt per unionem, aliter enim cogitant de Patre, aliter de Filio, et aliter de Spiritu Sancto; inde patuit, qualem fidem Ecclesia habet de omnium essentialissimo, quod est Ipsum Divinum: et quia cogitationes quae sunt fidei, et affectiones quae sunt amoris, conjungunt et separant omnes in altera vita, ideo

illi qui extra Ecclesiam nati fuerunt, et crediderunt in unum Deum, fugiunt illos qui intra Ecclesiam, dicentes quod non credant in unum Deum, sed in tres deos; et quod qui non credunt in unum Deum sub Humana forma, in nullum Deum credant, quoniam cogitatio eorum effundit se absque determinatione in universum, et sic labitur in naturam, quam sic loco Dei agnoscunt: cum quaeritur, quid intelligunt per Procedere, cum dicunt Filium procedere a Patre, et Spiritum Sanctum a Patre per Filium, respondent quod procedere sit vox unionis, et quod involvat mysterium illud; sed idea cogitationis de eo, cum explorata, non fuit alia quam solius vocis, et nullius rei. Verum Angelorum ideae de Divino, de Trino, deque Procedere, prorsus differunt ab ideis hominum Ecclesiae, ex causa, ut supra dictum est, quia ideae cogitationis Angelorum fundantur super Uno, at ideae cogitationis hominum Ecclesiae super tribus; Angeli cogitant, et quod cogitant credunt, quod Unus Deus sit, et Ille Dominus, et quod Humanum sit ipsum Divinum in forma, et quod sanctum procedens ab Ipso sit Spiritus Sanctus; ita quod Trinum sit, sed usque Unum. Hoc ad captum sistitur per ideam de Angelis in coelo; Angelus ibi apparet in forma humana, sed usque sunt tria apud illum, quae unum faciunt, est Internum ejus, quod non coram oculis apparet, est Externum quod apparet, et est sphaera vitae affectionum et cogitationum ejus, quae ab illo ad distantiam exundat, de qua videatur n: 1048. 1053. 1316. 1504 ad 1519. 1695. 2489. 4464. 5179. 6206 fin: 7454. 8063. 8630; haec tria faciunt unum Angelum: sed Angeli sunt finiti et creati, Dominus autem Infinitus et Increatus; et quia de Infinito non ab ullo homine, ne quidem ab Angelo, aliqua idea potest haberi, quam ex finitis, ideo tale exemplum licet sistere, ut illustretur quid sit Trinum in Uno, et quod Unus Deus sit, et quod Ille sit Dominus, et non alius. Videantur porro quae de his prius ostensa sunt in locis n: 9194 et 9199, [71] citatis.

9304. Ad custodiendum te in via, quod significet Ipsius Providentiam et custodiam a falsis mali, constat ex significatione custodire, cum de Domino, quod sit Providentia; nam Providentia est providere et prospicere, ita ducere ad bonum et custodire a malo, quoniam a Domino providetur bonum et prae-

videtur malum, n: 6489, et quia praevidetur [72] malum, etiam custoditur homo ab illo, alioquin provideri bonum nequit; et ex significatione viae, quod sit verum, de qua n: 627. 2333. 3477, hic etiam falsum, quia dicitur custodire, qui enim ducit in vero, is quoque custodit a falso, quia falsum infestat et oppugnat verum: quod sit falsum mali, est quia hoc falsum infestat et oppugnat, non autem falsum non mali, quale apud illos qui in bono sunt, de quo falso, et quoque de falso mali, videatur n: 2243. 2408. 2863. 4736. 4822. 6359. 7272. 7437. 7574. 7577. 8051. 8137. 8149. 8298. 8311. 8318 fin: 9258. 9298.

9305. Ad perducendum te ad locum quem praeparavi, quod significet introductionem ab Ipso in coelum secundum bonum vitae et fidei, constat ex significatione perducere ad locum, hoc est, in terram Canaanem, quod sit introducere in coelum, per terram Canaanem enim significatur Ecclesia, et quoque coelum, n: 1607. 3038. 3481. 3705. 3686. 4447. 5136. 6516; nam per introductionem filiorum Israëlis in illam terram repraesentabatur fidelium introductio in coelum; et ex significatione praeparare, cum de coelo, quod per terram Canaanem significatur, quod sit donare id ex Misericordia illis qui in bono vitae et fidei sunt, nam illis dicitur coelum praeparatum, ut apud Matthaeum „Tum dicet Rex illis qui a dextris, venite benedicti Patris mei, *tanquam haereditatem possidete praeparatum vobis Regnum a fundatione mundi*" XXV: 34: apud Marcum „Sedere a dextris meis, et a sinistris meis, non est Meum dare, *sed quibus praeparatum est*" X: 40: et apud Johannem „Abeo *ad praeparandum locum vobis;* et si abivero et *praeparavero vobis locum,* iterum veniam, et assumam vos ad Me Ipsum, ut ubi sum Ego, vos sitis" XIV: 2. 3: praeparare enim coelum, est praeparare illos qui introducendi sunt in coelum, nam secundum praeparationem, hoc est, secundum receptionem boni, donatur coelum; coelum enim est in homine, et locus ei in coelo est secundum statum vitae et fidei in quo est, nam locus ibi correspondet statui vitae, quapropter etiam locus apparet in altera vita secundum statum vitae, ac in se est status, n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5605. [73] 7381.

9306. Custodi a facie Ejus, quod significet timorem san-

ctum, constat ex significatione custodire a facie, cum de Domino, qui hic per Angelum intelligitur, quod sit timere ne irascatur ob mala, seu ne exacerbetur ob praevaricationes, ut sequitur; timere illa, est timor sanctus, de quo timore videatur n: 2826. [74] 3718. 3719. 5459. 5534. 7280. 7788. 8816. 8925. Custodire a facie Ejus dicitur, quia per faciem significantur interiora quae sunt vitae, ita quae sunt cogitationis et affectionis, et imprimis quae sunt fidei et amoris; causa est, quia facies ad imaginem interiorum hominis formata est, ob finem, ut illa quae sunt interni hominis appareant in externo, ita quae spiritualis mundi sunt coram visu in mundo naturali; et sic afficiat proximum; quod facies sistat illa quae homo cogitat et amat in forma visibili aut sicut in speculo, notum est; quod tales facies sint apud sinceros, imprimis apud Angelos, videatur n: 1999. 2484. 3527. 3573. 4066. 4326. 4796. 4797. 4798. [75] 4799. 5102. 5695. 6604. 8248. 8249. 8250: quapropter facies in Lingua originali est vox communis, quae adhibetur ad describendum affectiones, quae apud hominem, et apparent, sicut gratiam, favorem, benevolentiam, opem, beneficium, et quoque inclementiam, iram, vindictam; inde est, quod in ea Lingua cum adjunctivis, significat juxta, apud, coram, propter, ut et contra, ita quicquid in ipso, ex ipso, pro ipso, et contra ipsum, nam facies, ut dictum, est ipse homo, seu illud quod homini inest, et apparet. Ex his sciri potest, quid per faciem Jehovae, seu per faciem Angeli, qui hic est Dominus quoad Divinum Humanum, significatur, quod nempe Divinum Bonum Divini Amoris, et Divinum Verum ex Divino illo Bono, nam haec sunt in Jehovah seu Domino, et ex Ipso, imo sunt Ipse, videatur n: 222. 223. 5585; inde patet quid significatur per facies Jehovae in Benedictione „*Lucere faciat Jehovah facies suas ad te*, et misereatur tui: *elevet Jehovah facies suas ad te*, et ponat tibi pacem" Num: VI: 25. 26. Apud Davidem „Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, *lucere faciat facies suas nobis*" Psalm: LXVII: 2; pariter Psalm: LXXX: 4. 8. 20. Psalm: CXIX: 134. 135. Dan: IX: 17, [76] et alibi. Inde est quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur Angelus facierum Jehovae, apud Esaiam „Misericordias Jehovae memorare faciam, retribuet eis secundum Misericordias suas, et secundum

multitudinem misericordiarum suarum, et factus illis *in Salvatorem*, [77] et *Angelus facierum Ipsius salvavit eos*, propter amorem Ipsius, et propter clementiam Ipsius" LXIII: 7. 8. 9; quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur Angelus facierum Jehovae, est quia Divinum Humanum est Ipsum Divinum in facie, hoc est, in forma, quod etiam Dominus docet apud Johannem „Si cognovistis Me, etiam Patrem meum cognovistis, et abhinc cognovistis Illum, *et vidistis Illum:* dixit Philippus, monstra nobis Patrem; dixit illi Jesus, tantum tempus vobiscum sum, et non nosti Me Philippe, *qui vidit Me, vidit Patrem: Ego in Patre sum et Pater in Me*, credite Mihi, *quod Ego in Patre et Pater in Me*" XIV: 7 ad 11. Per faciem Jehovae seu Domini etiam significatur ira, vindicta, punitio, malum, ex causa, quia simplices, ex idea communi quod omnia sint a Deo, credunt quod etiam malum, imprimis malum poenae: quapropter secundum communem illam ideam, et quoque secundum apparentiam, tribuitur Jehovae seu Domino ira, vindicta, punitio et malum, cum tamen illa non sunt a Domino sed ab homine, de qua re videatur n: 1861. 2447. 5798. 6071. 6991. [78] 6997. 7533. 7632. 7877. 7926. 6832. 8197. 8227. 8228. 8282. 8483. 8632. 8875. 9128; tale significatur hic per *Custodi a facie Ejus*, ne exacerbes Eum, quia non feret praevaricationem vestram: et quoque in Levitico „Quisquis comederit ullum sanguinem, *dabo facies meas contra* animam comedentem sanguinem, et exscindam illam e medio populi ejus" XVII: 10: apud Jeremiam „*Posui facies meas contra urbem in malum*, et non in bonum" XXI: 10: et apud Davidem „*Facies Jehovae contra facientes malum*, ad exscindendum e terra memoriam eorum" Psalm: XXXIV: 17.

9307. Et audi vocem Ejus, quod significet obedientiam praeceptorum quae ab Ipso, nempe Domino, constat ex significatione audire, quod sit obedientia, de qua n: 2542. 3869. 4652 ad 4660. 7216. 8361; et ex significatione vocis, cum de Domino, quod sint Vera Divina, de qua n: 7573. 8813, ita praecepta quae a Domino; vera Divina et praecepta quae a Domino sunt quae in Verbo; inde quoque Verbum et doctrina e Verbo est Vox Jehovae, n: 219. 220. 6971.

9308. Ne exacerbes Eum, quod significet aversionem ab

Ipso per falsa ex malo, constat ex significatione exacerbare seu iram excitare, cum de Domino, qui hic est Angelus, quod sit avertere per falsa ex malo, nam falsa ex malo sunt aversiones a Domino, de qua n: 4997. 5746. 5841.

9309. Quia non feret praevaricationem vestram, quod significet quia illa repugnant veris ex bono, constat ex significatione praevaricationis, quod sint quae contra vera fidei, de qua n: 9156, ita quae repugnant veris ex bono, quae sunt vera fidei; quod vera ex bono sint vera fidei, est quia fides est boni, usque adeo ut non dabilis sit nisi ubi bonum; inde per non ferre praevaricationem vestram, significatur non sustinere falsa ex malo quia repugnant veris ex bono; de repugnantia illa videatur supra n: 9298; simile quod hic etiam intelligitur apud Davidem „Osculamini Filium ne irascatur, et pereatis in via, quia exardebit cito ira Ejus, beati omnes confidentes in Ipso" Psalm: II: 12, Dominus hic vocatur Filius a Vero fidei, quod ab Ipso, quod id sit Filius, videatur n: 1729. 1733. 2159. 2803. 2813. 3704.

9310. Quia Nomen meum in medio Ejus, quod significet quod ab Ipso omne bonum amoris et verum fidei, constat ex significatione Nominis Jehovae, quod sit omne in uno complexu per quod colitur Deus, de qua n: 2724. 3006, ita omne bonum amoris et verum fidei, n: 6674; et ex significatione in medio Ejus, quod sit quod in Ipso, ita quoque quod ex Ipso, nam bonum amoris tale est, ut quod est in illo etiam sit in aliis ex illo, est enim communicativum sui; proprium enim amoris est, ut velit quod omne suum ex se in aliis sit; hoc quia fit ex Ipso Divino per Divinum Humanum suum, et ex Eo, ideo quoque Dominus quoad Divinum Humanum dicitur Nomen Jehovae, n: 6887. 8274. Qui non scit quid Nomen in sensu interno significat, credere potest, quod in Verbo, ubi Nomen Jehovae ac Nomen Domini dicitur, solum Nomen intelligatur, cum tamen est omne bonum amoris et omne verum fidei quod a Domino, ut apud Matthaeum „Si *duo ex vobis consenserint in Nomine meo* super terra de omni re, quamcunque petierint, fiet illis: *ubi sunt duo aut tres congregati in Nomine meo*, ibi sum in medio eorum" XVIII: 19. 20. Apud Eundem „Omnis qui reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut ma-

trem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, *propter Nomen meum*, centuplum accipiet, et vitae aeternae sortietur haereditatem » XIX: 29. Apud Johannem « Quotquot receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, *credentibus in Nomen Ipsius* » I: 12. Apud Eundem « Qui non credit, jam judicatus est, *quia non credidit in Nomen Unigeniti Filii Dei* » III: 18. Apud Eundem « Haec scripta sunt, ut credatis quod Jesus sit Christus Filius Dei, et *ut credentes vitam habeatis in Nomine Ipsius* ». XX: 31; in his locis, et in perpluribus aliis per Nomen Domini significatur omne bonum amoris et verum fidei in complexu, per quae colitur. Apud Johannem « Si manseritis in Me, et verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis petetis, etiam fiet vobis: *quodcunque petieritis Patrem in Nomine Meo, dabit vobis* » XV: 7. 16, petere Patrem in Nomine Meo, est petere Dominum, sicut Ipse docet apud eundem Evangelistam « *Quaecunque petieritis in Nomine meo* hoc faciam; si *quid petieritis in Nomine meo*, Ego faciam » XIV: 13. 14, quod petere in Nomine Domini sit petere Dominum, est « *quia nemo venire ad Patrem potest nisi per Dominum* » ibid: Vers: 6, et quia Dominus quoad Divinum Humanum est Jehovah seu Pater in forma visibili, ut supra n: 9303. et 9306 ostensum est. Apud Eundem « Oves vocem Illius audiunt, et *proprias oves vocat nomine tenus*, et educit illas » X: 3, oves pro illis qui in bono charitatis et fidei sunt; audire vocem pro obedire praeceptis; vocare nomine tenus et educere, pro donare coelum secundum bonum amoris et fidei, nam nomen, cum de hominibus, est quale eorum quoad amorem et fidem, n: 144. 145. 1754. 1896. 3421.

9311. Quia si audiendo audiveris vocem Ejus, quod significet instructionem de praeceptis fidei, et receptionem, constat ex significatione audire, quod sit instrui et recipere, de qua sequitur; et ex significatione vocis, quod sint praecepta fidei, ut supra n: 9307. Audire in Verbo significat non solum simpliciter audire, sed etiam recipere memoria et instrui, tum recipere intellectu et credere, ut et recipere obedientia et facere; quod illa per audire significentur, est quia loquela quae auditur se sistit coram visu interno seu intellectu, et sic intus recipitur, ac ibi secundum rationum efficaciam aut secundum vires persuasionis aliunde, vel retinentur, vel creduntur, vel obediuntur; in-

de est, quod correspondentia auris et auditus sit cum talibus in mundo spirituali, de qua videatur n: 4652 ad 4660. 5017. 7216. 8361. 8990. Quod audire sit recipere memoria et instrui, tum recipere intellectu et credere, ut et recipere obedientia et facere, patet etiam a sequentibus his locis; ut apud Matthaeum „Per parabolas loquor, quia videntes non vident, et *audientes non audiunt*, nec intelligunt: ut compleatur in iis prophetia Esaiae, quae dicit, *auditu audietis*, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non cernetis: incrassatum est cor populi hujus, et *auribus graviter audiverunt*, et oculos suos occluserunt, ne forte videant oculis, et *auribus audiant*, et corde intelligant. Vestri beati sunt oculi, quia vident, et *aures vestrae quia audiunt:* multi prophetae et justi desideraverunt videre quae videtis, sed non viderunt, et *audire quae auditis*, sed *non audiverunt*" XIII: 12 ad 17, hic audire dicitur in omni sensu tam pro instrui, quam pro credere, et pro obedire; audientes non audiunt pro doceri et tamen non credere, tum pro instrui et non obedire; auribus graviter audire pro renuere instructionem, fidem, et obedientiam; beatae aures quia audiunt pro beatitudine ex receptione doctrinae fidei de Domino et per Verbum a Domino. Apud Johannem „Qui ingrediens est per januam, pastor est ovium, *oves vocem Ipsius audiunt:* qui ante Me fuerunt, fures fuerunt et latrones; *sed non audiverunt illos oves.* Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, etiam illas oportet Me adducere, et *vocem meam audient*, et fiet unus grex et unus Pastor: *oves meae vocem meam audiunt*, et Ego cognosco eas, et sequuntur Me" X: 2. 3. 8. 16. 27. Audire vocem pro instrui de praeceptis fidei, ac recipere illa fide et obedientia: similia significantur per ea quae Dominus toties dixit „*Qui habet aurem ad audiendum, audiat*" Matth: XI: 15. Cap. XIII: 9. 43. Marc: IV: 9. 23. [79] Cap: VII: 16. Luc: VIII: 8. Cap: XIV: 35: similia quoque in sequentibus locis, apud Matthaeum „Ecce vox e nube dicens, hic est Filius meus dilectus, *Ipsum audite*" XVII: 5. Apud Johannem „Qui habet sponsam Sponsus est, amicus autem Sponsi, *qui stat et audit Ipsum*, gaudio gaudet *ob vocem Sponsi*" III: 29. Apud Eundem „Amen dico vobis, quod veniet hora, *quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audient vivent*" V: 25, mortui

pro illis, qui adhuc non habent vitam spiritualem ex ignorantia veri fidei; audire vocem Filii Dei pro instrui in veris fidei et illis obedire; vivere pro donari vita spirituali per illa. Apud Eundem „Qui est ex Deo, *verba Dei audit*, propterea *vos non auditis*, quia ex Deo non estis" VIII: 47. Apud Eundem „Jesus dixit, omnis qui est ex veritate, *audit meam vocem*" XVIII: 37. Apud Lucam „Abraham ad divitem, habent Moschen et Prophetas, *audiunto illos*" XVI: 29. Apud Marcum „Dicebant de Jesu, bene omnia fecit, *nam surdos facit audire*, et mutos loqui" VII: 37, surdi pro illis qui non sciunt vera fidei, et ideo non possunt vivere secundum illa, videatur n: 6989, audire pro instrui, recipere, et obedire. Apud Johannem „Quando venerit Spiritus Sanctus, ducet vos in omnem veritatem, non loquetur a seipso, *sed quaecunque audiverit loquetur*, ex Meo accipiet" XVI: 13. 14, quaecunque audiverit pro quaecunque receperit ex Domino. Apud Matthaeum „*Omnis qui audit mea verba*, et facit ea, comparabo viro prudenti; at *omnis audiens verba mea*, sed non faciens ea, comparabitur viro stulto" VII: 24. 26: et apud Lucam „Omnis qui venit ad Me, et *audit sermones meos*, et facit eos, monstrabo cui similis est" VI: 47; audire verba aut sermones pro discere et scire praecepta fidei quae a Domino; facere pro vivere secundum illa.

9312. Et feceris omne quod loquar, quod significet obsequium ex fide et amore, constat ex significatione facere quae loquor, quod sit vivere secundum illa quae Dominus in Verbo docuit, nam quae Jehovah loquitur sunt quae Verbum docet, ita quae Dominus, qui est Verbum, Joh: I: 1. 2. 14; vivere secundum illa, est obsequi illis ex fide et amore: obsequium ex fide et amore est obsequium vivum, quoniam in se vitam ex fide et amore habet: cum obsequio se habet sicut cum omni facto hominis; in facto hominis nihil vivit praeter amorem et fidem, reliqua quae vitae sunt, ex illis et secundum illa vitam habent, nam vita amoris et fidei est vita a Domino, qui est ipsa vita; ea vita est vita coeli, ac omnium qui angeli fient: cum obsequio similiter se habet.

9313. Inimicum agam in inimicos tuos, quod significet quod Dominus avertet omnia falsa ex malo, constat ex signifi-

catione inimicum agere, cum de Jehovah aut Domino, quod sit avertere, de qua sequitur; et ex significatione inimicorum tuorum, quod sint falsa ex malo, haec enim sunt inimici in sensu spirituali, quia continue infestant, oppugnant, et conantur destruere vera ex bono, sunt enim opposita. Quod inimicum agere, cum de Jehovah seu Domino, sit avertere, nempe falsa ex malo, est quia Dominus nusquam agit inimicum, est enim ipsa Misericordia et ipsum Bonum, ac in ipsam Misericordiam et in ipsum Bonum, non cadere potest inimicitia, ne quidem contra falsum et malum; sed falsum et malum agunt inimicitiam contra bonum et verum, hoc est, illi qui in falso et malo sunt contra illos qui in vero et bono; et quia illi semet destruunt quum hos destruere conantur, inde est quod appareat sicut Dominus inimicum agat, cum tamen solum in tuto ponit suos; ex his patet, quomodo intelligendum, quod per inimicum agere, cum de Domino, significetur avertere falsa ex malo: quomodo cum hoc arcano porro se habet, videantur quae n: 4299. 7643. 7679. 7710. 7926. 7989. 8146. 8137. 8265. [80] 8946, ostensa sunt.

9314. Et hostem agam in hostes tuos, quod significet quod avertet omnia mala ex quibus falsa, constat ex significatione hostem agere, cum de Jehovah seu Domino, quod sit avertere, de qua mox supra n: 9313; et ex significatione hostium, quod sint mala ex quibus falsa, quoniam illa in spirituali sensu sunt hostes contra bona ex quibus vera. Quod per hostes significentur mala ex quibus falsa, est quia per inimicos significantur falsa ex malo; nam ubi in Verbo agitur de falso, etiam agitur de malo, sicut cum de vero etiam de bono, videatur n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 3132. 4138 fin: 5138. 5502. 6343. 7945. 8339: inde patet, quod aliud significetur per inimicum agere in inimicos, et aliud per hostem agere in hostes; et quod hoc non sit repetitio solum propter exaltationem rei.

9315. Cum iverit Angelus meus ante te, quod significet vitam secundum praecepta Domini, constat ex significatione ire ante te, cum de Domino, qui hic est Angelus Jehovae, quod sit docere praecepta fidei et vitae, ita quoque vita secundum illa praecepta; quod ire et proficisci sit vivere, videatur n: 1293. 3335. 4882. 5493. 5605. [81] 8417. 8420. 8557. 8559; et ex

significatione Angeli Jehovae, quod sit Dominus quoad Divinum Humanum, de qua supra n: 9303. 9306. [82] Quod Dominus quoad Divinum Humanum per Angelum intelligatur, est quia plures Angeli, qui apparuerunt ante adventum Domini in mundum, fuerunt Ipse Jehovah in forma humana, seu in forma Angeli; quod patet manifeste ex eo, quod vocaverint Angelos, qui apparuerunt, Jehovam, sicut qui apparuerunt Abrahamo; de quibus in Cap: XVIII: Genes: quod illi Jehovah appellati sint, videatur ibi Vers: 1. 13. 14. 17. 20. 26. 33; et qui apparuit Gideoni, de quo in Cap: VI: Judic: quod ille etiam Jehovah appellatus sit, videatur ibi Vers: 12. 14. 16. 22. 23. 24, praeter etiam alibi: Ipse Jehovah in forma humana, seu quod idem, in forma Angeli, erat Dominus: Divinum Humanum Ipsius apparuit tunc sicut Angelus, de quo Ipse Dominus loquitur apud Johannem „*Jesus dixit, Abraham exultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est: amen, amen, dico vobis, priusquam Abraham fuit, Ego sum*" VIII: 56. 58: et apud Eundem „*Glorifica Me Tu Pater apud Te Ipsum gloria, quam habui antequam Mundus esset apud Te*" XVII: 5. Quod Jehovah aliter non potuerit apparere, constat quoque ex Domini verbis apud Johannem „*Non vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis*" V: 37: et apud Eundem „*Non quod Patrem viderit quis, nisi qui apud Patrem, hic vidit Patrem*" VI: 46. [83] Ex his sciri potest, quid Dominus ab aeterno. Quod placuerit Domino nasci Homo, fuit ut actualiter indueret Humanum, et hoc Divinum faceret, ad salvandum genus humanum. Scias itaque, quod Dominus sit Ipse Jehovah seu Pater in forma Humana; quod etiam Ipse Dominus docet apud Johannem „*Ego et Pater unum sumus*" X: 30: [84] apud Eundem „*Jesus dixit, Patrem abhinc cognovistis et vidistis, qui vidit Me vidit Patrem: credite Mihi, quod Ego in Patre et Pater in Me*" XIV: 7. 9. 11: et apud Eundem „*Omnia Mea Tua sunt, et omnia Tua Mea*" XVII: 10. Hoc magnum mysterium describitur apud Johannem, his verbis „*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; Hoc erat in principio apud Deum: omnia per Ipsum facta sunt, et sine Ipso factum est nihil quod factum est. Et Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos, et vidimus*

gloriam Ipsius, gloriam ut Unigeniti a Patre. Deum nemo vidit usquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ipse exposuit » I: 1. 2. 3. 14. 18; Verbum est Divinum Verum, quod hominibus revelatum est, et quia hoc revelari non potuit nisi a Jehovah ut Homine, hoc est, nisi a Jehovah in Humana Forma, ita a Domino, ideo dicitur « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; » in Ecclesia notum est, quod per Verbum intelligatur Dominus, quia hoc aperte dicitur « Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipsius, gloriam ut Unigeniti a Patre: » quod Divinum Verum non potuerit revelari hominibus, nisi a Jehovah in Humana forma, etiam clare dicitur « Deum nemo vidit usquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris, Ipse exposuit. » Ex his patet, quod Dominus ab aeterno fuerit Jehovah seu Pater in forma Humana, sed nondum in Carne, nam Angelus non habet Carnem: et quia Jehovah seu Pater voluit induere omne Humanum, propter salvationem Generis humani, ideo quoque assumsit Carnem, quare dicitur « *Deus erat Verbum, et Verbum Caro factum est;* » et apud Lucam « *Videte manus meas, et pedes meos, quod Ipse Ego sim, palpate Me et videte, nam spiritus Carnem et ossa non habet, sicut Me videtis habere* » XXIV: 39: Dominus per haec docuit, quod non amplius esset Jehovah sub forma Angeli, sed quod esset Jehovah Homo: quod etiam intelligitur per haec Domini verba « *Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et abeo ad Patrem* » Joh: XVI: 28. Quod Dominus humanum suum, cum fuit in mundo, Divinum fecerit, videatur n: 1616. 1725. 1818. 1921. 2025. 2026. 2033. 2034. 2083. 2523. 2751. 2798. 3038. 3043. 3212. 3241. 3318 fin: 3637. 3737. 4065. 4180. 4211. 4237. 4286. 4585. 4687. 4692. 4724. 4738. 4766. 5005. 5045. 5078. 5110. 5256. 6373. 6700. 6716. 6849. 6864. 6872. 7014. 7211. 7499. 8547. 8864. 8865. 8878; et quod expulerit omne humanum quod a matre, usque tandem ut non filius Mariae fuerit, n: 2159. 2649. 2776. 4963. 5157: imprimis n: 3704. 4727. [85] 9303. 9306; et quae de his in locis citatis n: 9194. 9199, ostensa sunt.

9316. Et perduxit te ad Emorraeum et Chittaeum, et Pe-

risaeum, et Cananaeum, Chivaeum et Jebusaeum, et excidero illum, quod significet cum Dominus tutatus sit contra mala et falsa infestantia Ecclesiam, et haec amoverit, constat ex significatione Angeli qui perducturus sit ad nominatas gentes, quod sit Dominus, de qua n: 9303. 9315; ex significatione Emorraei, Chittaei, Perisaei, Cananaei, Chivaei et Jebusaei, quod sint mala et falsa infestantia Ecclesiam, sed quaenam mala et quaenam falsa in specie per quemvis significantur, videatur n: 8054; cum enim filii Israëlis introducti sunt in terram Canaanem, tunc repraesentativum Ecclesiae et Coeli apud illos instituebatur, et apud gentes repraesentativum malorum et falsorum infestantium Ecclesiam, de qua re videatur n: 3686. 4447. 6306. 6516. 8054. 8317; et ex significatione exscindere, quod sit tutari, et sic amovere; quod per solam tutationem Coeli a Domino amoveatur infernum, hoc est, per solam tutationem illorum qui in bono et vero, amoveantur qui in malo et falso, videatur mox supra n: 9313.

9317. Non incurvabis te diis illorum, quod significet quod falsa mali non colenda, constat ex significatione incurvare se, quod sit adoratio et cultus, de qua n: 4689; et ex significatione deorum gentium, quod sint falsa mali, de qua n: 4544. 7873. 8867. 9283: [86] falsa mali coluntur, quando cultus fit secundum doctrinam, quae conflata est ex veris falsificatis et bonis adulteratis; hoc fit quando dominia et lucra spectantur ut fines, ac Vera ex Verbo ut media.

9318. Et non servies illis, quod significet quod nec obedienda, constat ex significatione servire, quod sit obedientia, de qua n: 8987. 8991; [87] et quoque cultus, n: 7934. 8057.

9319. Et non facies secundum opera eorum, quod significet quod mala vitae non sectanda, constat ex significatione operum, quod sint mala vitae; quod non facere secundum illa, sit [non] sequi seu sectari illa, patet.

9320. Quia destruendo destrues illos, quod significet quod mala prorsus amovenda, constat ex significatione destruere, cum de malis et falsis, quae per gentes terrae Canaanis et per deos eorum, significantur, quod sit amovere; quod destruere sit amovere, est quia illi, qui in bono et vero sunt, nusquam destruunt illos qui in malo et falso, sed modo amovent; ex causa, quia

ex bono agunt et non ex malo, et bonum est a Domino, qui nusquam destruit aliquem; ast illi qui in malo et inde falso sunt, destruere conantur et quantum possunt destruunt illos qui in bono, ex causa quia ex malo agunt; sed quia tunc ruunt contra bonum quod a Domino, ita contra Divinum, semet ipsos destruunt, hoc est, in damnationem et in infernum praecipitant; talis lex ordinis est, quod ita sit, videatur n: 4299. 7643. 7679. 7710. 7926. 7989. 8137. 8146. 8265. [80] 8945. 8946. Quod Israëlitae et Judaei destruerent gentes terrae Canaanis, erat quia illi repraesentabant spiritualia et coelestia, et gentes infernalia et diabolica, quae nusquam simul cum illis esse possent, sunt enim opposita: quod illis permissum fuerit destruere gentes erat causa, quia apud illos non fuit Ecclesia, sed modo repraesentativum Ecclesiae, ita nec Dominus apud illos praesens nisi solum repraesentative, n: 4307, erant enim in externis absque interno, hoc est, in cultu repraesentativo boni et veri, non autem in bono et vero: talibus permittitur destruere, occidere, internecioni et devotioni dare; non autem permittitur illis qui in externis et simul in internis sunt, quoniam hi ex bono agent, et bonum est a Domino. Quod Judaei et Israëlitae tales fuerunt, aperte declaret Moscheh „*Ne dicas in corde tuo, quando impulerit Jehovah Deus tuus gentes coram te, dicendo, propter justitiam meam adduxit me Jehovah ad possidendum terram hanc; non propter justitiam tuam, et propter rectitudinem cordis tui, quia populus durus cervice tu*" Deut: IX: 4. 5. 6: et alibi „*Gens perdita consiliis illi, nec in illis intelligentia: de vite Sodomae vitis eorum, et de agris Gomorrhae; uvae ejus uvae fellis, botri amaritudinum illis, venenum draconum vinum eorum, et fel aspidum crudele; nonne illud absconditum apud Me, obsignatum in thesauris meis*" Deut: XXXII: 28. 32. 33. 34; [88] Vitis in sensu interno significat Ecclesiam, n: 1069. 5113. 6375. 6376. 9277; uvae et botri significant bona interna et externa illius Ecclesiae, n: 1071. 5117. 6378; et Vinum significat Verum illius Ecclesiae internum, n: 1071. 1798. 6377; inde patet, quid significat quod vitis eorum sit de Vite Sodomae et de agris Gomorrhae; quod uvae eorum sint uvae fellis, et botri amaritudinum; et quod vinum eorum sit venenum draconum, et fel aspidum crudele: quod haec nota sint Je-

hovae, hoc est, Domino, significatur per quod illud absconditum sit apud Se, et obsignatum in thesauris suis. Apud Johannem „*Jesus dixit Judaeis, vos ex Patre diabolo estis, et desiderium patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio*" VIII: 44; [89] inde vocantur „*Generatio prava et adultera*" Matth: XII: 39: tum „*progenies viperarum*" Matth: III: 7. Cap: XII: 34. Cap: XXIII: 33. [90] Luc: III: 7: quod tales, describitur etiam a Domino in parabolis, Matth: XXI: 33 seq: 45. Marc: XII: 1 ad 9. Luc: XIV: 16 ad 24. Cap: XX: 9 seq: Quod gens illa fuerit Gens pessima; quod, cum in cultu, in externis fuerit absque interno; quod apud illam non Ecclesia, sed modo repraesentativum Ecclesiae fuerit; et quod usque repraesentare potuerit interna Ecclesiae, videatur n: 3398. 3479. 3480. 3732 fin: 3881 fin: 4208. 4281. 4288. 4289. 4290. 4293. 4307. 4314. 4316. 4317. 4429. 4433. 4444. 4500. 4503. 4680. 4815. 4818. [91] 4820. 4825. 4832. 4837. 4844. 4847. 4865. 4868. 4874 4899. 4903. 4911. 4912. 4913. 5057. 5998. 6304. 6832. 6877. 7048. 7051. 7248. 7401. 7439. 8301. 8588. 8788. 8806. 8814. 8819. 8871. 8882. 9284.

9321. Et confringendo confringes statuas illorum, quod significet quod similiter falsa cultus, nempe amovenda, constat ex significatione confringere, cum de falsis cultus, quae per statuas significantur, quod sit amovere, ut supra n: 9320; et ex significatione statuarum, quod sint falsa cultus, de qua n: 3727. 4580.

9322. Et servietis Jehovae Deo vestro, quod significet cultum solius Domini, constat ex significatione servire, quod sit cultus, ut supra n: 9318; quod sit cultus Domini, est quia Jehovah est Dominus in Verbo, n: 1343. 2921. 3035. 5663. 6280. 6281. 6303. 6945. 6956. 8864.

9323. Et benedicet pani tuo et aquis tuis, quod significet incrementum boni amoris et veri fidei, constat ex significatione benedici a Jehovah, quod sit fructificari in bonis et multiplicari in veris, de qua n: 2846. 3406. 4981. 6091. 6099. 8939, ita incrementum in talibus quae sunt amoris et fidei; ex significatione panis, quod sit bonum amoris, de qua n: 276. 680. 2165. 2177. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 6118. 8410; et ex significatione aquae, quod sit verum fidei, de qua

n: 680. 739. 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 6346. 7307. 8568. Quia panis significabat omne bonum amoris, et aqua omne verum fidei in complexu, et quia benedici a Jehovah significat omne incrementum in illis, ideo solenne votivum fuit in Ecclesiis Antiquis, ut Jehovah benedicat Pani et Aquis, et quoque communis formula dicere Panem et Aquam, cum exprimeretur omnis cibus et omnis potus naturalis, ac intelligeretur omne bonum et omne verum spirituale, haec enim sunt quae nutriunt vitam spiritualem, sicut illa vitam naturalem, n: 4976: haec significantur per Panem et Aquam in sequentibus locis, apud Esaiam „Ecce Jehovah Zebaoth removens ex Hierosolyma et Jehudah *omnem baculum panis*, et *omnem baculum aquae*" III: 1, baculus panis pro potentia et vita ex bono, et baculus aquae pro potentia et vita ex vero: apud Ezechielem „Ecce Ego frangens *baculum panis* in Hierosolyma, ut *comedant panem in pondere et sollicitudine*, et *aquam in mensura et cum stupore bibant:* ut *careant pane et aqua*, et desolentur vir et frater ejus, et contabescant propter iniquitatem suam" IV: 16. 17; quod carere pane et aqua sit deprivari bono amoris et vero fidei, patet manifeste, nam dicitur ut desolentur vir et frater, et contabescant propter iniquitatem: pariter apud Eundem „*Panem suum cum sollicitudine comedent*, et *aquas suas cum stupore bibent*, ut devastetur terra a plenitudine ejus, propter violentiam omnium habitantium in ea" XII: 19. Apud Amos „Ecce dies venturi, quibus immittam famem in terram, *non famem ad panem, neque sitim ad aquas, sed ad audiendum verba Jehovae*" VIII: 11. In Libro Primo Regum „Dixit Vir Dei ad Jerobeamum, si dares mihi dimidiam domum tuam, non ingredior tecum, *nec comederem panem, neque biberem aquam* in loco hoc: sic namque praecepit Jehovah, dicendo, *non comedes panem, neque bibes aquam*, neque redibis per viam quam ivisti. Sed propheta ex Bethele dixit ad illum, quod dictum a Jehovah, *quod comederet secum panem et biberet aquam*, mentiendo; et reversus est cum eo, et comedit Panem in domo ejus, et bibit aquas; quapropter discerptus est a leone" XIII: 8. 9. 16. 17. 18. 19. 24, quod non ederet panem et biberet aquam apud Jerobeamum, significabat quod abhorresceret bonum ibi et quoque verum, quia erant propha-

nata; Jerobeamus enim prophanavit altare et omnia sancta cultus, ut patet ab historicis Verbi ibi. Defectus boni et veri spiritualis significabatur per quod non data sit pluvia per tres annos et dimidium regnante Achabo, usque ut *deficeret panis* et *aqua:* et quod tunc abiret Elias ad viduam in Sarepta, et peteret ab illa *parum aquae ut* biberet, et *frustum panis* ut ederet» I Reg: XVII: et XVIII; per panem enim significabatur omne bonum Ecclesiae, et per aquam omne verum Ecclesiae, ut supra dictum est; quia eo tempore repraesentabantur talia, ex causa quia repraesentativum Ecclesiae erat apud illos, et quia sic per repraesentativa conscriberetur Verbum, etiam Historicum, inde erat quod devastatio boni et veri repraesentaretur per defectum panis et aquae: quoniam Panis significabat omne bonum amoris in complexu, ideo quoque Sacrificia dicebantur Panis, n: 2165; et ideo quoque Dominus se vocat Panem qui e coelo descendit, Joh: VI: 48. 50. 51, nam Dominus est Ipsum Bonum Amoris.

9324. Et removebo morbum e medio tui, quod significet tutelam a falsificationibus veri et adulterationibus boni, constat ex significatione removere e medio tui, cum de falsificatis veris et adulteratis bonis, quae per morbum significantur, quod sit tutari, nam Dominus cum tutatur ab illis, removet illa, n: 9313; et ex significatione morbi, quod sit falsificatum verum et adulteratum bonum; haec sunt morbi vitae spiritualis, nam vita spiritualis existit et subsistit per vera quae fidei et bona quae amoris, quando haec falsificantur et pervertuntur, homo aegrotat, at quando corde negantur, tunc homo spiritualiter moritur: quod morbi talia sint, et talibus correspondeant, videatur n: 4958. 5711 ad 5727. 8364. 9031 fin:

9325. Non erit abortiens et sterilis in terra, quod significet quod bona et vera suo ordine in continua progressione procedent, constat ex significatione non abortiens et sterilis esse, quod sit regenerationis progressivum in suo ordine, proinde quod bona et vera suo ordine in continua progressione procedent, de qua sequitur; et ex significatione in terra, quod sit in Ecclesia; quod terra in Verbo sit Ecclesia, videatur n: 566. 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 2571. 2928. 3355. 3368. 3379. 4447. 4535. 5577. 8011. 8732; quod terra significet Ecclesiam, est quia intelligitur ter-

ra Canaan, ubi Ecclesia erat, et ab antiquissimis temporibus fuerat, n: 3686. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136. [92] 6516. 8317; et in spirituali mundo, cum nominatur terra, non percipitur terra, sed gentis quale ibi quoad suum religiosum; inde cum terra nominatur in Verbo, et per eam intelligitur terra Canaan, percipitur Ecclesia: ex his constare potest, quid in Propheticis Verbi intelligitur per *Novum Coelum et Novam Terram*, quod nempe Ecclesia interna et externa, n: 1850. 3355. 4535, sunt enim homines interni et homines externi. Quod non erit abortiens et sterilis in terra, significet quod bona et vera suo ordine in continua progressione procedant, est quia per omnia quae sunt partus in Verbi sensu interno intelligantur talia quae sunt partus spiritualis, ita quae sunt regenerationis, n: 2584. 3860. 3905. 3915: quae sunt partus spiritualis seu regenerationis, sunt vera fidei et bona charitatis, nam per haec homo e novo concipitur et nascitur: quod talia per partus significentur, patet a pluribus locis in Verbo, et manifeste a Domini verbis ad Nicodemum „ Jesus dixit illi, *amen, amen dico tibi, nisi quis generatur denuo, non potest videre Regnum Dei:* dixit Nicodemus, quomodo potest homo regenerari cum senex est, num potest in uterum matris suae secundo ingredi, et generari: respondit Jesus, amen, amen, dico tibi, nisi quis generatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in Regnum Dei, quod natum est ex carne, caro est, sed quod *generatum* est a spiritu, spiritus est: dixit Nicodemus, quomodo possunt haec fieri; respondit Jesus, tune es magister in Israël, et haec non nosti " Joh: III: 3. 4. 5. 6. 9. 10; generari per aquam et spiritum, est per vera fidei et bonum amoris, videantur loca citata n: 9274: quod talia significentur per partus in Verbo, est ex correspondentia conjugiorum in terris cum conjugio coelesti, quod est conjugium boni et veri, de qua correspondentia videatur n: 2727 ad 2759; sed quod inde amor vere conjugialis descendat, vix hodie aliquis novit, et forte vix aliquis agnoscere vult, quia terrena et corporea ante oculos sunt, quae exstinguunt et suffocant, quando de tali Correspondentia cogitant: quia amor vere conjugialis inde est, ideo quoque per partus et generationes in sensu Verbi interno significantur quae sunt partus et generationis novae a Domino; inde quoque est quod Pater, Mater, Fi-

lii, Filiae, Generi, Nurus, Nepotes, et plures qui sunt ex conjugiis, significent bona et vera; ac derivationes eorum, de quibus pluries in explicationibus. Ex his nunc constare potest, quod per *non erit abortiens et sterilis in terra,* significetur quod bona et vera suo ordine in continua progressione procedent. Quod abortiens et sterilis significent illa quae sunt abortus et sterilitatis in sensu spirituali, quae sunt perversiones boni et veri, tum vastationes et negationes eorum, patet a sequentibus his locis; apud Hoscheam „Ephraim quando vidi usque ad Tyrum, plantata in pulchro; et Ephraim ad educendum ad occisorem filios suos: *da illis Jehovah vulvam abortientem*, et *ubera arentia:* propter malitiam operum illorum expellam illos e domo mea" IX: 13. 14. 15, nisi sciatur quid significatur per Ephraim, per Tyrum, per occisorem, per filios, per vulvam abortientem, per ubera arentia, in sensu interno, prorsus non sciri potest, quid prophetica illa involvunt; quod Ephraim sit intellectuale Ecclesiae, quod est intellectuale illustratum de veris et bonis fidei ex Verbo, videatur n: 3969. 5354. 6222. 6234. 6238. [93] 6267; quod Tyrus sint cognitiones veri et boni, n: 1201, inde patet, quid significatur per Ephraim quando vidi usque ad Tyrum, plantatum in pulchro; quod occisor sit qui deprivat vita spirituali seu vita ex vero et bono, n: 3607. 6767. 8902; et quod filii sint vera fidei, n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2813. 3373. 3704. 4257; inde patet quid significatur per Ephraim ad educendum ad occisorem filios suos; quod ubera sint affectiones boni et veri, n: 6432, inde ubera arentia sunt nullae affectiones sed loco earum cupiditates pervertendi; inde patet, quid vulva abortiens, quod nempe sit perversio boni et veri; quod illa quae vitae spiritualis sunt per omnia ea significentur, constat, nam dicitur, propter malitiam operum expellam eum e domo mea; e domo Jehovae est ex Ecclesia et ex coelo, n: 2233. 2234. 3720. [94] 6640. Apud Malachiam „Increpabo vobis absumentem, ut non corrumpat vobis fructum terrae, *neque abortiverit vobis vitis in agro;* praedicabunt vos beatos omnes gentes, et eritis vos *terra beneplaciti*" III: 11. 12, quod non abortiret vitis in agro, significat quod vera et bona fidei apud illos qui in Ecclesia suo ordine procedent, vitis enim est verum et bonum Ecclesiae spiritualis, n: 1069. 6375. 6876. 9277,

et ager est Ecclesia, n: 2971. 3766. 7502. 9139. 9295; terra beneplaciti est Ecclesia Domino grata, nam unusquisque intra Ecclesiam, qui regeneratus est per verum et bonum, est Ecclesia, inde patet, quid sit quod *eritis terra beneplaciti;* quod terra sit Ecclesia, videatur supra. Apud Moschen „Si audiveritis judicia mea, ut custodiatis et faciatis ea, benedictus eris prae omni populo, *non erit in te infoecundus nec sterilis*, et in bestia: removebit Jehovah a te *omnem morbum*, et omnes languores Aegypti malos" Deut: VII: 11. 14. 15; non erit infoecundus et sterilis pro non absque vita ex vero et bono, ita quod erunt spiritualiter vivi: quia sterilis id significabat, ideo mulieres in antiquis Ecclesiis reputabant se non vivas, quum steriles, prout Rachel, quae de se ita dixit ad Jacobum „Vidit Rachel *quod non pareret Jacobo;* et dixit ad Jacobum, da mihi filios, et *si non mortua ego*" Genes: XXX: 1. [95] n: 3908. Per steriles etiam significantur qui non in bono sunt quia non in veris, et usque desiderant vera ut in bono sint, prout Gentes probae quae extra Ecclesiam; ut apud Esaiam „*Canta sterilis non pepererat*, [96] persona cantu et jubila non parturivit, quia *multi filii desolatae* prae filiis maritatae" LIV: 1: apud Davidem „Jehovah erigit ex pulvere attritum, e sterquilinio exaltat egenum, ad collocandum cum principibus populi sui, qui *habitare facit sterilem domus matrem filiorum laetam*" Psalm: CXIII: 7. 8. 9. [97] In prophetico Channae postquam pepererat Samuelem „Saturi conducti sunt, et famelici cessarunt, *usque dum sterilis peperit septem*, multiprolis autem defecit" I Sam: II: 5; in illis locis per steriles intelliguntur gentes quae arcessuntur ad Ecclesiam, et ad quas transfertur Ecclesia, quando vetus desiit, [98] hoc est, quando illi, qui prius ab Ecclesia fuerunt, non amplius in fide sunt, quia in nulla charitate; haec Ecclesia est quae intelligitur per multiprolem quae defecit, et per maritatam, illa autem nempe nova Gentium, per sterilem et desolatam cui erunt multi filii, et per sterilem domus matrem filiorum laetam; parere septem est regenerari ad plenum, nam septem ibi non significant septem sed ad plenum, n: 9228: ex his patet, quid intelligitur per haec Domini verba „*Venient dies*, *in quibus dicent*, *beatae steriles*, *et ventres qui non genuerunt*, et *ubera quae non lactarunt*" Luc: XXIII: 29, agitur ibi de consum-

matione saeculi, quae est ultimum tempus Ecclesiae. In Libro II Regum „Viri Jerichuntis dicebant ad Elisaeum, ecce sedes urbis bona, at *aquae malae*, et *terra sterilis:* tunc Elisaeus dixit, ut mitterent in paropside nova salem, et projicerent inde salem ad exitum aquarum, et sanatae aquae, nec venit amplius mors aut sterilitas" II: 19. 20. 21, quid haec involvunt, nemo scire potest nisi ex sensu interno; omnia enim miracula, quae in Verbo, involvunt talia quae in Regno Domini seu in Ecclesia, n: 7337. 7465. 8364. 9086; quapropter sciendum est, quid repraesentabat Elisaeus, quid significabat urbs Jericho, quid aquae malae et terra sterilis, quid paropsis nova et sal in ea, tum quid exitus aquarum in quem projicerent salem; quod Elisaeus repraesentaverit Dominum quoad Verbum, videatur n: 2762; quod aquae significent vera fidei, n: 28. 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 6346. [99] 7307. 8137. 8138. 8568; inde aquae malae significant vera absque bono, et terra sterilis bonum Ecclesiae inde non vivum; paropsis nova seu vas novum scientifica et cognitiones boni et veri, n: 3068. 3079. 3316. 3318; sal desiderium veri ad bonum, n: 9207; exitus aquarum significat naturale hominis quod recipit cognitiones veri et boni, et quod emendatur per desiderium veri ad bonum: ex his patet, quid miraculum illud involvebat, quod nempe emendationem Ecclesiae et vitae per verbum a Domino, et per desiderium veri ad bonum inde; et quod emendatio fiat cum naturale hominis ex tali desiderio recipit vera ex Verbo; quod hoc factum sit ad urbem Jericho, erat quia illa urbs non procul a Jordane sita est, et per Jordanem significatur id apud hominem Ecclesiae, quod primum recipit vera, ita naturale, n: 1585. 4255; quod naturale hominis sit primum quod recipit vera ex Verbo a Domino, et quod ultimo regeneratur, et quod cum id regeneratum est, totus homo regeneratus sit, significatum est per Domini verba ad Petrum, cum lavit pedes discipulorum „*Dixit Jesus, qui lotus est, non opus habet, nisi ut quoad pedes lavetur, et mundus est totus*" Joh: XIII: 10, quod pedes sint illa quae sunt naturalis hominis, in genere naturale, videatur n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. [100] 4938 ad 4952. 5327. 5328. Quod naturalis seu externus homo in correspondentia debeat esse cum spirituali seu interno, ut homo regeneratus sit,

ita quod non prius regeneratus sit quam cum naturale regeneratum est, videatur n: 2850. 3167. 3286. 3321. 3470. 3493. 3508. 3509. 3518. 3573. 3576. 3579. 3620. 3623. 3671. 3882. 3969. 4353. 4588. [101] 4612. 4618. 5168. 5326. 5373. 5651. 6299. 6454. 7442. 7443. 8742 ad 8747. 9043. 9046. 9061.

9326. Numerum dierum tuorum implebo, quod significet usque ad statum plenum, constat ex significatione dierum, quod sint status vitae, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 5672. 5962. 6110. 7680. 8426, hic status vitae novae seu vitae spiritualis, quae est regenerati; et ex significatione implere numerum, quod sit ad plenum: usque ad statum plenum, est usque dum regeneratus est homo; quod eo usque procedent vera et bona suo ordine in continua progressione, significatur per quod non erit abortiens et sterilis in terra, de quibus mox supra n: 9325.

9327. Terrorem meum mittam ante te, quod significet terrorem illorum qui in malis falsi pro veris boni, constat ex significatione terroris, quod sit terror eorum qui in malis falsi; et ex significatione filiorum Israëlis, ante quos mitteretur terror, quod sint qui in bono spirituali seu vero boni, de qua n: 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5820. 5833. 7957. [102] 8234. 8805; quod [103] gentes terrae Canaanis, quibus terror pro filiis Israëlis, significent mala falsi et falsa mali, videatur n: 1413. 1437. 1607. 1573. 1574. 1868. 4517. 6306. [104] 8054. 8317; inde est, quod per terrorem meum mittam ante te, significetur terror illorum qui in malis falsi pro veris boni. Cum hoc ita se habet, omnis potentia in spirituali mundo est ex veris quae ex bono, ita ex veris quae procedunt a Domino; quod manifeste ex eo constare potest, quod Dominus disponat omnia in coelo, et omnia in inferno, tum omnia in mundo, per vera quae ab Ipso; nam Divinum Verum procedens a Domino est ipsum illud, per quod omnia exstiterunt, et per quod omnia subsistunt: quod ita sit, non comprehendunt illi qui solum cogitant ex materiali, qualiter cogitant illi qui naturae originem et sustentationem omnium adscribunt; hi non aliam ideam habere possunt de veris, quam quod sint nullius potentiae, quia solius cogitationis, de qua nihil essentiale, minus substantiale percipiunt, tametsi

sciunt quod cogitatio regat totum corpus, et excitet singula ejus in motum, prorsus secundum quale suum; tum quoque quod nihil non in universo se referat ad verum quod ex bono; quod verum sit cui omnis potentia, et ipsissimum essentiale, videatur n: 8200; ex his patet, quod potentia Angelis sit ex Vero Divino quod a Domino, et quod inde dicantur potentiae: qualis potentia veris ex bono est, hoc est, veris ex Domino, videatur experientia, quae de Brachio, quod tali vero correspondet, n: 4932. 4933. 4934. 4935, allata est. Quia omnis potentia est Veri, inde sequitur, quod prorsus nulla potentia sit falso ex malo, hoc enim est privativum veri ex bono, ita privativum potentiae; quapropter etiam illi qui in inferno sunt, quia omnes ibi in falsis ex malo sunt, prorsus nihil potentiae habent; possunt ideo millia eorum ab uno Angelo coeli abigi, dejici et dissipari, vix aliter ac floccus in aëre per ventum oris. Ex his videri potest, unde terror illis qui in malis falsi pro veris boni: hic terror vocatur terror Dei, Genes: XXXV: 5. Hiob: XIII: 21; et apud Ezechielem „*Dabo terrorem meum* in terra viventium; dum cubare factus fuerit in medio praeputiatorum cum confossis gladio, Pharao et omnis multitudo ejus" XXXII: 32: et apud Moschen „Si *statuta mea reprobaveritis*, sique *judicia mea fastidiverit anima vestra, ut non faciatis omnia praecepta mea, injiciam consternationem in cor eorum*, ut persequatur eos sonus folii impulsi, et fugiant fugam gladii, et cadant sine persequente" Levit: XXVI: 15. 36, describitur hic terror eorum, qui in malis falsi et in falsis mali sunt; dicitur, quod persequetur eos sonus folii, et fugient fugam gladii, causa quod ita dicatur, est quia folium significat verum, n: 885, et gladius verum pugnans contra falsum mali, n: 2799. 6353. 8294; quod illis prorsus nihil potentiae contra verum sit, significatur per quod cadent sine persequente.

9328. Et turbabo omnem populum, quod significet consternationem omnium falsorum, constat ex significatione turbare, quod sit consternatio, de qua sequitur; ex significatione populi, quod sint qui in veris, ita abstracte vera, et in opposito sensu falsa, de qua n: 1259. 1260. 2928. 3295. 3581. 6232. Quod turbare significet consternationem, est quia illi, qui consternantur, animo et corde turbantur, usque ut insa-

niant, et ruant ex se in perniciem; quod talis consternatio per turbare significetur, patet apud Sachariam „ In die illo *erit perturbatio Jehovae magna* inter eos qui pugnant contra Hierosolymam; et arripient vir manum socii sui, et ascendet manus ejus super manum socii ejus » XIV: 13; pugnare contra Hierosolymam est contra Ecclesiam, ita quoque contra vera et bona fidei, quae faciunt Ecclesiam; quod perturbatio sit consternatio usque ad insaniam, patet. Apud Moschen „ Jehovah Deus tuus dabit gentes coram te, et *conturbabit conturbatione magna*, usque dum perdantur » Deut: VII: 23, perturbatio pro consternatione.

9329. Ad quos veneris, quod significet ex praesentia Domini, constat ex significatione venire ad aliquem, quod sit praesentia, ut n: 5934. 6063. 6089. 7498. 7631; quod sit praesentia Domini, est quia de potentia veri contra mala et falsa agitur, et omne verum et ejus potentia est a Domino; filii Israëlis, de quibus hic dicitur, etiam significant vera quae a Domino, seu vera spiritualia, videatur n: 5414. 5879. 5951. 7957. [102] 8234. 8805.

9330. Et dabo omnes inimicos tuos ad te cervicem, quod significet falsorum fugam et damnationem, constat ex significatione inimicorum, quod sint falsa ex malo, de qua n: 9313. 9314; et ex significatione dare cervicem, quod sit fuga; quod etiam sit damnatio, est quia cum illi qui in falsis ex malo sunt, pro veris ex bono fugiunt, se in infernum seu in damnationem conjiciunt. Cum his ita se habet, qui in falsis ex malo sunt, in altera vita primum contra illos qui in veris ex bono sunt, pugnant; quod permittatur illis pugnare, est propter causam, ut inde eveniat bonum; bonum, quod inde evenit, est quod qui in veris ex bono sunt, per id confirmentur in veris contra falsa, et quod qui in falsis ex malo sunt, confirmentur in falsis, et sic devastent se ipsos; nam in altera vita ab illis qui in veris ex bono sunt, removentur falsa, et ab illis qui in falsis ex malo sunt, removentur vera; sic qui in veris ex bono sunt, elevantur in coelum, et qui in falsis ex malo delabuntur in infernum; et cum in inferno sunt, in terrore et consternatione sunt pro veris ex bono, in quibus sunt Angeli ex Domino. Quod talis status maneat illos qui in falsis ex malo sunt, et illos qui in veris ex bono,

docet Dominus apud Matthaeum „*Quicunque habet, dabitur illi ut abundantius habeat; quicunque vero non habet, auferetur ab eo*" XIII: 12: et apud Lucam, „*Tollite ab eo minam, et date ei qui decem minas habet: dixerunt, Domine, habet decem minas; dico vobis, quod omni* [105] *qui habet, dabitur; ab eo autem, qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo*" XIX: 24. 25. 26.

9331. Et mittam crabronem ante te, quod significet formidinem illorum qui in falsis mali, constat ex significatione crabronum, quod sint falsa pungentia et necantia, [106] et inde formidinem incutientia; terror praedicatur de illis qui in malis, et formido de illis qui in falsis, de terrore illorum, videatur supra n: 9327: quod crabrones formidinem illorum qui in falsis significent, est quia alati sunt et praediti aculeis, quibus punctiones venenatas inferunt: animalia enim tam majora quam minora significant talia quae sunt affectionum, seu quae se referunt ad voluntatem, aut significant talia quae sunt cogitationum, seu quae se referunt ad intellectum; nam omnia quaecunque in homine sunt, se referunt vel ad ejus voluntatem vel ad ejus intellectum, quae non ad alterutrum se referunt, non sunt in homine, ita non sunt hominis: animalia gradientia et quoque reptilia, significant affectiones in utroque sensu, ita bona vel mala, nam haec sunt affectionum, at vero animalia volantia et quoque insecta alata significant talia quae sunt cogitationum in utroque sensu, ita vera vel falsa, nam haec sunt cogitationum: quod animalia significent bona vel mala, videatur n: 9280; quod reptilia talia in sensuali externo, n: 746. 909. 994; quod volatilia significent vera vel falsa, n: 40. 745. 776. 778. 866. 988. 911. 3219. 5149. 7441; inde insecta alata significant similia, sed in extremis hominis. Ast falsa, de quibus nunc, sunt plurium generum, sunt falsa quae non laedunt, sunt falsa quae leviter et quae graviter laedunt, et quoque sunt quae necant; cognoscuntur cujus generis sunt, ex malis ex quibus sunt; omne enim falsum quod laedit, et quod necat, trahit suum existere ex malo; nam falsum ex malo est malum apparens in forma; in altera vita etiam talia falsa, cum repraesentantur in forma visibili, sistuntur sicut colluvies insectorum et volatilium immundorum, et terribilium aspectu secundum mali, ex quo sunt, spe-

ciem. Ex his patet, unde est quod crabrones significent formidinem illorum qui in falsis mali sunt; similiter in Deuteronomio „*Crabronem mittet Jehovah Deus tuus*, in illos, usque dum perierint residui et absconditi coram te" VII: 20. In Verbo memorantur passim insecta varii generis, et ubivis significant falsa aut mala in extremis, seu in sensuali externo hominis, quae sunt mala et falsa oriunda ex fallaciis sensuum ac ex voluptatibus et appetitibus variis in corpore, quae per lenocinia sua et per apparentias seducunt, ac faciunt ut rationale assentiat, et sic immergatur falsis ex malo: quod falsa illius generis significentur per volatilia noxia Aegypti, videatur n: 7441, pariter per locustas ibi, n: 7643; quod per ranas Aegypti significentur ratiocinia ex falsis, n: 7351. 7352. 7384; per pediculos ibi mala ejusdem generis, n: 7419; et quod per vermes falsa quae consumunt et cruciant, n: 8481. Talia quoque mala et falsa significantur per insectorum variorum genera in sequentibus his locis; apud Esaiam „Fiet in die illo sibilabit Jehovah *muscae quae in extremitate fluviorum Aegypti*, et *api quae in terra Aschuris;* quae venient et quiescent omnes in fluvio desolationum, et in fissuris petrarum, et in omnibus virgultis" VII: 18. 19, agitur ibi de adventu Domini, et de statu Ecclesiae tunc; musca in extremitate fluviorum Aegypti est falsum in extremis, hoc est, in sensuali externo hominis, n: 7441; Apis in terra Aschuris est falsum pervertens ratiocinia mentis, Aschur enim est ratiocinatio, n: 1186; fluvius desolationum est falsitas ubivis regnans; fissurae petrarum sunt vera fidei in obscuro, quia remota a luce coeli, n: 8581 fin: virgulta sunt vera nascentia similia, n: 2682. Apud Amos „Percussi vos uredine et rubigine, plurimos hortos vestros, et vineas vestras, et ficus vestras, et oleas vestras, *comedit eruca*" IV: 9. Apud Joëlem „*Residuum erucae* comedet *locusta*, et *residuum locustae* comedet *melolontha*, et *residuum melolonthae* comedet *bruchus;* expergiscimini ebrii, et ejulate omnes potantes vinum, propter mustum quod excisum est ex ore vestro" I: 4. 5. Apud Eundem „Plenae sunt areae frumento puro, exundant torcularia mustum et oleum; et compensabo vobis annos, quos consumsit *locusta*, *melolontha*, et *bruchus*, et *eruca*, exercitus meus magnus, quem misi inter vos" II: 24. 25; quod hic falsa et mala

in extremis seu sensuali externo hominis Ecclesiae per insectorum illorum genera significentur, patet ex singulis ibi, nam agitur de perversione veri et boni Ecclesiae; quid locusta, et quid bruchus, videatur n: 7643; quod per hortos, vineas, ficus, oleas, vinum et mustum, quae a talibus perdentur, significentur bona et vera Ecclesiae in communi, saepius in explicationibus ostensum est. Apud Davidem „Prorepere fecit in terram eorum *ranas*, in conclavia regum eorum; dixit ut veniret *colluvies, pediculi* in omni termino eorum" Psalm: CV: 29. 30 [. 31]; ibi de Aegypto, quid ranae ibi, videatur n: 7351. 7352. 7384, et quid pediculi, n: 7419. Apud Moschen „Vineas plantabis et coles, sed vinum non bibes, neque congregabis, quia *comedet illud vermis*" Deut: XXVIII: 39, [107] vermis pro omni tali falso et malo in genere. Apud Esaiam „Ne timete opprobrium hominis, et a calumniis eorum ne consternemini, quia sicut vestem *comedet eos tinea*, et sicut lanam *comedet eos blatta*" LI: 8; tinea pro falsis in extremis hominis, et blatta pro malis ibi, nam vestis, quam comedet tinea, significat vera inferiora seu exteriora, quae sunt sensualis hominis, n: 2576. 5248. 6377. 6918. 9158. 9212; et lana quam comedat blatta, significat bona inferiora seu exteriora, quae sunt sensualis hominis, quod patet a pluribus locis, tum a significatione ovis e qua lana, quod sit bonum charitatis, n: 4169. Quaenam et qualia sunt extrema naturalis hominis, quae sensualia vocantur, videatur n: 4009. 5077. 5081. 5089. 5094. 5125. 5128. 5580. 5767. 5774. 6183. 6201. 6310 ad 6318. 6564. [108] 6598. 6612. 6614. 6622. 6624. 6844. 6845. 6948. 6949. 7442. 7645. 7693. 9212. 9216.

9332. Et expellet Chivaeum, Cananaeum et Chittaeum ab ante te, quod significet fugam falsorum ex malis, constat ex significatione expellere, quod sit fugare, ita fuga; ex significatione Chivaei, Cananaei et Chittaei, quod sint falsa ex malis, Chivaeus falsum ex leviori malo, n: 6860; Cananaeus falsum ex graviori malo, n: 4818. 8054, [109] et Chittaeus falsum ex gravissimo malo, n: 2913. 6858: quod per Gentes in terra Canaane significentur omnia falsa et mala in complexu, videantur loca n: 9327 citata.

9333. Non expellam illum ab ante te in anno uno, quod

significet non fugam seu remotionem illorum festinam, nempe falsorum et malorum, quae per gentes in terra Canaane significantur, constat ex significatione expellere, quod sit fuga, qui enim in malis et falsis sunt in altera vita, non expelluntur sed fugiunt a se; quod etiam sit remotio, videbitur infra; et ex significatione in anno uno, quod sit festinum, nam sequitur, „parum, parum, expellam illum ab ante te," per quod significatur remotio per gradus secundum ordinem. Quod expellere, cum de malis et falsis praedicatur, sit remotio, est quia falsa et mala ab homine non expelluntur, sed removentur: qui non scit, quomodo cum liberatione hominis a malis et falsis, seu cum remissione peccatorum se habet, credat [110] quod peccata abstergantur, quando dicuntur remissa; quod ita credatur, est ex sensu literali Verbi, ubi aliquoties ita dicitur: unde perplurimorum animos insedit is error, quod justi et puri sint, postquam absolutionem receperunt: sed illi prorsus non sciunt, quomodo cum remissione peccatorum se habet, quod nempe homo non purificetur ab illis, sed detineatur ab illis a Domino, quando talis est, ut teneri possit in bono et vero; et quod tunc teneri possit in bono et vero, quando regeneratus est, nam tunc vitam boni charitatis et veri fidei adeptus est: quicquid enim homo a prima infantia cogitat, vult, loquitur, et facit, addit se ejus vitae, et facit illam; illa non possunt exterminari, sed modo removeri; et cum removentur, tunc apparet homo sicut absque peccatis, quia remota sunt, videatur n: 8393. 9014. [111] 8988 fin: secundum apparentiam, quod homo bonum et verum cogitet et agat ex se, cum tamen non ex se sed ex Domino, dictum est in Verbo, quod mundus a peccatis sit, et quoque justus, prout apud Esaiam „Si fuerint peccata vestra sicut coccinea, ut nix albescent; si rubra fuerint sicut purpura, ut lana erunt" 1: 18, et pluries alibi. Quod ita sit, scire datum est ex statu animarum in altera vita; quisque secum e mundo illuc fert omnia suae vitae, hoc est, quicquid cogitaverat, voluerat, loquutus est, et fecerat, imo etiam quicquid viderat et audiverat, ab infantia usque ad ultimum vitae suae in mundo, adeo ut ne quidem minutulum desit, n: 2474; qui in mundo vitam fidei et charitatis vixerant, ii tunc detineri a malis possunt, et teneri in bono, et sic elevari in coelum; qui autem in mundo vitam

non fidei et charitatis, sed vitam amoris sui et mundi egerant, ii quia non detineri a malis et teneri in bono possunt, delabuntur in infernum. Ex his patet, unde est, quod expellere, cum de falsis et malis dicitur, sit remotio. In hoc Versu et in sequente agitur in sensu interno de remotione illa, et ibi arcana ejus deteguntur.

9334. Ne forte sit terra desolata, quod significet deficientiam tunc, et parum vitae spiritualis, si nempe remotio foret festina, constat ex significatione terrae, quod sit Ecclesia in communi, et quoque in particulari, Ecclesia in particulari est homo qui fit Ecclesia, nam Ecclesia est in homine, et est homo regeneratus; quod terra sit Ecclesia in communi, videatur n: 9325; et quod terra sit Ecclesia in particulari seu homo regeneratus, n: 82. 620. 636. 913. 1411. 1733. 2117. 2118 fin: 2571. 3368. 3379; is homo etiam dicitur terra apud Malachiam „Praedicabunt vos beatos omnes gentes, et *eritis vos terra beneplaciti*" III: 12; et ex significatione desolatae, quod sit deficientia et parum vitae spiritualis: per desolatam enim, cum de Ecclesia in homine dicitur, significatur defectus veri et boni, ita quoque defectus vitae spiritualis, nam vita spiritualis inde est. Cum hoc, quod deficientia et parum vitae spiritualis sit, si falsa et mala festine removentur, ita se habet; homo, cum regeneratur, quod fit per implantationem veri et boni spiritualis, et tunc per remotionem falsi et mali, non festine regeneratur, sed lente; causa est, quia omnia quae homo cogitaverat, intenderat et fecerat ab infantia, se [112] addiderunt vitae ejus, et fecerunt illam, et quoque inter se talem nexum formaverunt, ut unum non possit amoveri nisi simul omnia; homo enim malus est imago inferni, et homo bonus est imago coeli; et quoque mala et falsa apud hominem malum, talem nexum inter se habent, qualem inter se societates infernales, quarum pars est; et bona ac vera apud hominem bonum, talem nexum inter se habent, qualem inter se societates coelestes, quarum pars est: inde patet, quod mala et falsa apud hominem malum non removeri loco possint subito, sed quantum bona et vera suo ordine ac interius implantata sunt, nam coelum apud hominem removet infernum: si id subito fieret, deficeret homo, turbarentur enim omnia et singula quae in nexu et forma, et auferrent [113]

vitam ejus. Quod regeneratio seu implantatio vitae coeli apud hominem inchoët ab ejus infantia, et perstet usque ad ultimum vitae ejus in mundo, et quod post vitam in mundo perficiatur in aeternum, videatur n: 2679. 3203. 3584. 3665. 3690. [114] 3701. 4377. 4551. 4552. 5126. 6751. 9103. 9296. 9297; imprimis n: 5122. 5398. 5912. 9258; et quod arcanum est, Regeneratio hominis in mundo est modo planum ad perficiendum vitam ejus in aeternum; quod homo, qui in bono vixerat, in altera vita perficiatur, videantur quae de infantibus, n: 2289 ad 2309, et quae de Gentium statu et sorte, ibi n: 2589 ad 2604, ostensa sunt.

9335. Et multiplicetur super te fera agri, quod significet affluxum falsorum ex jucundis amorum sui et mundi, constat ex significatione multiplicari, cum de remotione malorum et falsorum festina, quod sit affluxus; et ex significatione ferae agri, quod sint falsa ex jucundis amorum sui et mundi; per bestias enim varii generis in Verbo significantur affectiones bonae et malae, n: 9280, inde per feras affectiones falsi oriundae ex jucundis amorum sui et mundi; hae affectiones etiam repraesentantur per feras, ut per pantheras, tigrides, apros, lupos, ursos, in altera vita; sunt quoque sicut ferae, nam qui in illis amoribus sunt, in omnis generis malis et inde falsis sunt, ac sicut ferae spectant et tractant socios; quod ab illis amoribus omnia mala et falsa, videatur n: 2041. 2045. 2057. 2363. 2364. 2444. 4750. 4776. 6667. 7178. 7364. 7255. 7366 ad 7377. 7488. 7490. 7491 ad 7494. 7643. 8318. 8487. 8678. Quod affluant falsa ex illis amoribus per remotionem malorum et falsorum festinam, inde est, quia bona et vera per successivam implantationem removebunt illa; falsa enim non nisi quam a [115] veris, et mala non nisi quam a bonis removentur; si hoc non successive et secundum ordinem fiat, influunt falsa amoribus illis faventia, nam hi amores apud unumquemvis hominem, antequam regeneratus est, regnant: et cum falsa influunt, tunc vera amplius non agnoscuntur: homo etiam, qui regeneratur, in affectione veri tenetur, in qua cum est, inquirit vera undequaque inter scientifica in naturali, et ibi tunc praesentant se fallaciae sensuum externorum, quae ibi multa copia sunt, ex illis, quando aspirant jucunda amorum sui et mundi, non nisi quam

falsa concludit, quae succedunt et implent mentem, si falsa mali subito removentur: haec sunt quae in sensu interno intelliguntur per *non expellam illum ab ante te in anno uno, ne forte sit terra desolata, et multiplicetur super te fera agri; parum, parum expellam illum ab ante te, usque dum fructificeris et haeredites terram.* Quod fera sit falsum et malum ex amoribus sui et mundi, patet ex locis in Verbo ubi nominatur, ut apud Esaiam „Erit ibi semita et via, quae via sanctitatis vocabitur, non transibit per eam immundus, *non rapax ferarum ascendet illam*" XXXV: 8. 9. [116] Apud Ezechielem „Mittam super te famem, et *feram malam*, ut orbam faciant te" V: 17. Apud Eundem „*Quando feram malam transire fecero per terram*, et orbaverit illam, et fiat desolatio, *ita ut non transiens propter feram*" XIV: 15. Apud Eundem „Super facies agri cades, *ferae terrae* et *avi coeli* dabo te in cibum" XXIX: 5. Apud Eundem „Tunc excidam iis foedus pacis, et *cessare faciam feram malam e terra*, ut habitent in deserto confidenter, non erunt amplius praeda gentibus, et *fera agri non amplius devorabit illos*" XXXIV: 25. 28. Apud Hoscheam „Devastabo vitem ejus et ficum ejus, et ponam eas in sylvam, et *comedet illas fera agri*" II: 12. Apud Eundem „Lugebit terra, et contabescet omnis habitans in ea, *pro fera agri* et pro avi coelorum" IV: 3. Apud Davidem „*Conculcat eam aper e* [117] *sylva*, et *fera agrorum depascit eam;* Deus Zebaoth revertere et visita vitem tuam" Psalm: LXXX: 14. Apud Eundem „Disponis tenebras, ut fiat nox, in *qua prodit omnis fera sylvae*" Psalm: CIV: 20. Apud Moschen „Si in statutis meis ambulaveritis, et praecepta mea custodiveritis et feceritis ea, *cessare faciam feram malam e terra:* si vero statuta mea reprobaveritis, *mittam in vos feram agri*, quae vastabit vos" Levit: XXVI: 3. 6. 15. 22. Apud Eundem „Excutiet Jehovah Deus tuus Gentes coram te paullatim, *ne forte multiplicetur contra te fera agri*" Deut: VII: 22, in illis locis fera agri, fera terrae, et fera sylvae, pro falsis et malis quae sunt amorum sui et mundi. Quia per feram significatur falsum, et falsum ex duplici origine est, nempe ex malo et ex probo, n: 9258, quapropter per feram in Verbo etiam significantur Gentes probae, quae tametsi in falso, usque tamen in probo vitae sunt; in hoc sensu fera dicitur apud Davidem

„*Mihi omnis fera sylvae*, et bestiae in montibus millium; *novi omnem avem montium*, et *fera agrorum meorum Mecum*" Psalm: L: 10. 11. Apud Eundem „*Laudate Jehovam fera et omnis bestia*" Psalm: CXLVIII: 7. 10. Apud Esaiam „*Omnis fera agrorum meorum* venite ad comedendum, *omnis fera in sylva*" LVI: 9. Apud Ezechielem „In ramis cedri, quae Aschur, *nidificarunt omnes aves coelorum*, et sub ramis ejus *pepererunt omnis fera agri*; ac in umbra ejus habitarunt *omnes gentes magnae*" XXXI: 6.

9336. Parum, parum expellam illum ab ante te, quod significet remotionem per gradus secundum ordinem, constat ex significatione parum parum, quod sit per gradus, ita lente; ex significatione expellere, cum de falsis et malis, quae per gentes terrae Canaanis significantur, quod sit remotio, de qua mox supra n: 9333. Per gradus secundum ordinem dicitur, quia secundum ordinem coeli disponuntur omnia apud hominem qui regeneratur; homo enim regeneratus est coelum in minima forma; quare etiam in illo est similis ordo qui est in coelo: homo, cum nascitur, quoad mala haereditaria est infernum in minima forma, et quoque fit infernum, quantum ex malis haereditariis desumit, ac illis superaddit propria; inde est, quod ordo ejus vitae ex nativitate et ex actuali vita sit oppositus ordini coeli; nam homo ex proprio amat se prae Domino, et amat mundum prae coelo; cum tamen vita coeli est amare Dominum supra omnia, et proximum sicut semet: inde patet, quod prior vita, quae est inferni, prorsus destruenda sit, hoc est, mala et falsa removenda, ut vita nova, quae est vita coeli, implantetur, videatur n: 4551. 4552. 4839. 6068; hoc nequaquam fieri potest festine; nam unumquodvis malum cum suis falsis irradicatum nexum cum omnibus malis et eorum falsis habet; et talia mala ac falsa sunt innumerabilia, et nexus eorum est tam multiplex, ut non comprehendi possit, ne quidem ab Angelis, sed solum a Domino: inde patet, quod vita inferni apud hominem non destrui queat subito, nam si subito, prorsus expiraret; et quod vita coeli nec implantari queat subito, nam si subito, etiam expiraret: sunt millia et millia arcanorum, quorum vix unicum homini notum est, per quae ducitur homo a Domino, cum a vita inferni in vitam coeli: quod ita sit, scire datum est e coelo, et quoque

confirmatum est per plura quae ad apperceptionem venerunt: quia homo de his vix aliquid scit, ideo multi lapsi sunt in errores de liberatione hominis a malis et falsis, seu de remissione peccatorum, credendo quod vita inferni apud hominem momento transcribi possit in vitam coeli apud illum ex Misericordia; cum tamen totus actus regenerationis est Misericordia, et non alii regenerantur, quam qui Misericordiam Domini recipiunt fide et vita in mundo, secundum Domini verba apud Johannem „*Quotquot receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*" I: 12. 13; quid sanguines, voluntas carnis, et voluntas viri, tum ex Deo natus, videatur n: 5826. Quid proprie intelligitur per remotionem a malis et falsis per gradus secundum ordinem, etiam paucis dicetur; Divinum Verum quod procedit a Divino Bono Domini, disponit omnia in ordinem in coelo, quapropter Divinum illud Verum in quo bonum a Domino, est ipse ordo, videatur n: 1728. 1919. 2247. 2258. 5703. 6338. 8700. 8988: secundum eum ordinem existunt omnia ibi, et secundum eundem subsistunt, nam subsistere est perpetuo existere: ut itaque Coelum in homine existat, necessarium est, ut recipiat Divinum Verum in bono a Domino: hoc fieri non potest nisi per gradus secundum similem ordinem, secundum quem Dominus ordinat coelum, nam res quae ejusdem naturae est, se similiter habet in parvo sicut in magno: successiva illa ordinatio est quae hic intelligitur per ordinem secundum gradus. Ex his quoque patet, quod Creatio nova hominis, quae est ejus Regeneratio, se habeat sicut creatio coeli et terrae; quapropter etiam in Verbo per Novum Coelum et Novam Terram intelligitur nova Ecclesia, n: 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 3355 fin: 4535; et quoque per creationem coeli et terrae in Primo Capite Geneseos intelligitur nova creatio Ecclesiae coelestis, quae vocatur Homo, de qua re in explicationibus ibi.

9337. Usque dum fructificeris, quod significet secundum incrementum boni, constat ex significatione fructificari, quod sit incrementum boni, de qua n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847. Quod remotio a malis et falsis fiat secundum incrementum boni, patet ab illis, quae prius saepe ostensa sunt; Domi-

nus enim per bonum influit apud hominem, et per illud disponit vera in ordinem, non autem vice versa; et quantum vera per bonum disponuntur in ordinem, tantum mala et falsa removentur. Homo in Verbo passim assimilatur arbori, et tunc ejus fidei vera significantur per folia, n: 885, ac bona amoris per fructus, n: 3146. 7690; inde patet non solum, quod fructificari sit incrementum boni, sed etiam quod praecipuum hominis sit bonum, sicut praecipuum arboris est fructus: folia quidem primum enascuntur, sed propter fructum ut finem; quod finis est, hoc non solum ultimum est, sed etiam primum, quoniam est in mediis unicum quod spectatur, ita omne; similiter se habet cum bono amoris respective ad vera fidei: tale significatur per ficum, de qua apud Matthaeum „Jesus revertens in urbem esurivit, et *videns Ficum unam in via*, venit ad eam, *sed nihil invenit in ea nisi folia tantum*, ideo dixit illi, ne *posthac ex te fructus nascatur in aeternum*, unde arefacta est ex tempore ficus" XXI: 18 [. 19]: et apud Lucam „*Ficum habebat aliquis in Vinea sua plantatam*, venit ergo *fructum quaerens* in ea, sed non invenit; dixit itaque ad Vinitorem, ecce tres annos venio *quaerens fructum in ficu hac*, non autem invenio, exscinde illam, ut quid terram infrugiferam faciet" XIII: 6. 7: tum apud Eundem „*Omnis arbor ex proprio fructu cognoscitur*, non ex spinis colligunt ficus, neque ex rubo vindemiant uvam; bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum, at [118] pravus homo ex pravo thesauro cordis sui profert pravum: *quid Me vocatis Domine, Domine, et non facitis quae dico*" VI: 44. 45. 46: ex his patet, quod fructus fidei, sicut vocatur, sit primarium fidei, et quod fides absque fructu, hoc est, absque bono vitae, sit modo folium, et sic quod homo, qui arbor, luxurians foliis absque fructu, sit ficus quae exarescit et exscinditur.

9338. Et haeredites terram, quod significet dum in bono, ita regeneratus, constat ex significatione haereditare, quod sit sicut haeres accipere, de qua sequitur; et ex significatione terrae, hic terrae Canaanis, quod sit Regnum Domini, ita coelum, de qua n: 1413. 1437. 1607. 1866. [119] 3038. 3481. 3705. 3686. 4240. 4447; inde per haereditare terram, significatur recipere sicut haeres coelum; per haeredem, cum de coelo, pro-

prie intelligitur homo qui vitam Domini habet, n: 2658. 2851. 3672. 7212, [120] ita qui in bono est a Domino, proinde regeneratus; quod homo cum in bono est a Domino, tunc in coelo sit, ita regeneratus, videatur n: 9274, et quae ibi citata. Quod id per haereditare, cum de Coelo, significetur, patet apud Matthaeum „Tunc dicet Rex iis qui a dextris, venite benedicti Patris mei, *ut haereditatem possidete paratum vobis Regnum e fundatione mundi;* quia esurivi, et dedistis Mihi quod ederem, sitivi et potastis Me: *in quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis*" XXV: 34. 35. 40, hic ut haereditatem possidere Regnum Domini seu Coelum, dicitur de illis qui in bono sunt; ipsa bona charitatis in suo ordine etiam recensentur; et tandem dicitur, quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis; fratres Domini dicuntur qui in bono, n: 6756, ita quoque qui bonum faciunt, quia bonum est Dominus apud hominem; ideo dicitur quantum fecistis uni *ex his fratribus*, non autem uni ex fratribus. In Apocalypsi „Qui vicerit, *haereditario accipiet omnia*, et ero illi Deus, et *ille erit Mihi filius*" XXI: 7, ibi de illis qui vincunt, dicitur quod haereditario accipient omnia, et dicuntur filii quia haeredes; vincere est ex bono et vero pugnare, nam per bonum vincitur malum, et per verum falsum. Apud Davidem „Deus salvabit Zionem, et aedificabit civitates Jehudae, et habitabunt ibi, et *possidebunt haereditario eam,* et semen servorum Ipsius *haereditabunt eam,* et amantes Nomen Ipsius habitabunt in ea" Psalm: LXIX: 36. 37, ibi possidere haereditario praedicatur de illis qui in bono coelesti sunt, et haereditare de illis qui in bono spirituali; bonum coeleste est bonum amoris in Dominum, et bonum spirituale est bonum charitatis erga proximum, n: 9277. Apud Esaiam „Confidens in Me, *haereditabit terram,* et *possidebit haereditario* montem sanctitatis meae" LVII: 13. Ex his patet quid significatur per quod terra Canaan distributa sit in *duodecim haereditates* pro duodecim tribubus Israëlis, Jos: XIV: XV: XVI: XVII: XVIII: XIX, et apud Ezechielem Cap: XLVII: 13 ad fin: tum Cap: XLVIII: ibi; per terram enim Canaanem significatum est Regnum Domini seu Coelum, n: 1413. 1437. 1607. 1866. [119] 3038. 3481. 3705. 3686. 4240. 4447; per duodecim tribus significata sunt omnia bona et vera

in communi et in particulari, n: 3858. 3862. 3926. 3939. 4060. 6335. 6337. 6397. 6640; sic per duodecim haereditates significatum est coelum cum omnibus coelis et societatibus ibi distinctis quoad bona amoris et inde vera fidei, n: 7836. 7891. 7996, ita in sensu abstracto ipsa bona quae a Domino, proinde quae sunt Dominus in Coelo: Coelum enim non est nisi quam Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini; Angeli ibi sunt recipientes veri in bono, et quantum hoc recipiunt, tantum faciunt coelum: et quod arcanum est, Dominus non habitat apud Angelum, nisi in Suo apud illum; similiter apud hominem, Divinum enim erit in Divino, non in proprio alicujus; hoc intelligitur per Domini verba de unione sui cum illis qui in bono amoris sunt, apud Johannem „*In illa die cognoscetis vos, quod Ego in Patre, et vos in Me, et Ego in vobis: qui amat Me, verbum meum servat, et ad illum veniemus, et mansionem apud illum faciemus*" XIV: 20. 23; et alibi apud Eundem „*Ego gloriam, quam dedisti Mihi, dedi illis, ut sint unum sicut nos unum sumus, ut amor quo amasti Me, in illis sit, et Ego in illis*" XVII: 22. 26.

9339. Vers: 31. 32. 33. *Et ponam terminum tuum a mari Suph et usque ad mare Philisthaeorum, et a deserto usque ad fluvium; quia dabo in manum vestram habitatores terrae, et expellam illos ab ante te. Non panges illis et diis illorum foedus. Non habitabunt in terra tua, ne forte faciant peccare te Mihi, cum serviveris diis illorum, quia erit tibi in laqueum.* Et ponam terminum tuum a mari Suph et usque ad mare Philisthaeorum, significat extensionem a veris scientificis ad vera interiora fidei: et a deserto usque ad fluvium, significat a jucundo sensualis usque ad bonum et verum rationalis: quia dabo in manum vestram habitatores terrae, significat imperium super malis: et expellam illos ab ante te, significat remotionem eorum: et non panges iis et diis illorum foedus, significat non communicationem cum malis et falsis: non habitabunt in terra tua, significat quod mala non simul erunt cum bonis Ecclesiae: ne forte faciant peccare te Mihi, significat ne mala avertant bona a Domino: cum serviveris diis illorum, significat si cultus ex falsis: quia erit tibi in laqueum, significat ex allectatione et deceptione malorum.

9340. Et ponam terminum tuum a mari Suph usque ad mare Philisthaeorum, quod significet extensionem a veris scientificis ad vera interiora fidei, constat ex significatione ponere terminum a loco ad locum, cum de veris spiritualibus, quod sit extensio; ex significatione maris Suph, quod sint vera sensualia et scientifica, quae ultima apud hominem; mare enim Suph erat ultimus terminus terrae Aegypti, et per Aegyptum significatur scientificum in utroque sensu tam verum quam falsum, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 2588. 4749. 4964. 4966. 5700. 6004. 6015. 6125. 6651. [121] 6679. 6683. 6692. 6750. 7779 fin: 7926. 8146. 8148; hic scientificum Verum, quia agitur de extensione spiritualium quae fidei apud filios Israëlis, per quos repraesentata est Ecclesia spiritualis, n: 4286. 4598. 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223. 8805; et ex significatione maris Philisthaeorum, quod sint vera interiora fidei; quod haec vera per mare Philisthaeorum significentur, est, quia mare ubi Tyrus et Zidon, erat terminus terrae Philisthaeae, et per Tyrum et Zidonem significantur cognitiones veri et boni, n: 1201, perque terram Philisthaeam scientia interiorum fidei, n: 1197. 2504. [122] 2726. 3463: quia Terra Canaan repraesentabat Regnum Domini, ita Coelum et Ecclesiam, ideo omnia loca ibi significabant talia quae sunt Regni Domini seu Coeli et Ecclesiae, quae vocantur coelestia et spiritualia, ac se referunt ad bonum amoris et ad vera fidei in Dominum; inde maria et fluvii, qui erant termini, significabant ultima ibi, proinde a mari ad mare, ac a fluvio ad fluvium, significabat extensionem eorum; quod ita sit, videatur n: 1585. 1866. 4116. 4240. 6516: inde constare potest, quod per terminum a mari Suph et usque ad mare Philisthaeorum significetur extensio spiritualium quae sunt veri, ab externis ad interna, ita a veris scientificis ad vera interiora fidei: extensio autem coelestium, quae sunt boni amoris, describitur mox per a deserto usque ad fluvium. Quod loca terrae Canaanis, tum maria et fluvii, talia significent in Verbo, ubivis in explicationibus ostensum est. Quid extensio a veris scientificis ad vera interiora fidei, paucis dicetur; Vera, quae in externo homine sunt, vocantur vera scientifica; vera autem, quae in interno homine, vocantur vera interiora fidei; vera scientifica sunt in memoria hominis, e qua cum depromuntur,

ad apperceptionem veniunt; vera autem interiora fidei sunt vera ipsius vitae, inscripta interno homini, e quibus parum apparet in memoria; sed de his alibi, ex Divina Domini Misericordia, plenius dicetur: vera scientifica et vera interiora fidei significata sunt per « *aquas infra expansum* et *aquas supra expansum* » Genes: Cap: I: Vers: 6. 7. n: 24, nam in Primo Capite Geneseos agitur in sensu interno de nova Creatione seu Regeneratione hominis Ecclesiae Coelestis. Quod Philisthaea, quae quoque continens terrae Canaanis fuit usque ad Tyrum et Zidonem, significaverit vera interiora fidei, erat quia ibi quoque fuerat Antiqua Ecclesia repraesentativa, ut patet a reliquiis cultus Divini apud illos, de quibus in Historicis et in Propheticis Verbi, ubi de Philisthaeis et de terra Philisthaea agitur, ut in Propheticis apud Jeremiam Cap: XXV: 20. Cap: XLVII: 1 ad fin: apud Ezechielem Cap: XVI: 27. 57. Cap: XXV: 15. 16. Apud Amos Cap: I: 8. Apud Zephaniam Cap: II: 5. Apud Sachariam Cap: IX: 6. Apud Davidem Psalm: LVI: 1. Psalm: LX: 10. Psalm: LXXXIII: 8. Psalm: CVIII: 10. Cum Philisthaeis se habuit sicut cum omnibus gentibus in terra Canaane, quod repraesentaverint bona et vera Ecclesiae, et quoque mala et falsa; nam quando apud illos Antiqua Ecclesia repraesentativa fuit, repraesentaverunt coelestia quae boni et spiritualia quae veri; at cum a genuino cultu repraesentativo deflexerunt, tunc repraesentare coeperunt diabolica quae mali et infernalia quae falsi; inde est, quod per Philisthaeam, sicut per reliquas gentes terrae Canaanis in Verbo, significentur tam bona et vera, quam mala et falsa. Quod per Philisthaeos significentur vera interiora fidei, constat apud Davidem « Gloriosa praedicanda in te Urbs Dei; memorabo Rahabam et Babelem inter cognoscentes Me, tum *Philisthaeam* et *Tyrum* cum Aethiopia; hic natus est ibi » Psalm: LXXXVII: 3. 4, urbs Dei est doctrina veri fidei ex Verbo, n: 402. 2268. 2449. [123] 2712. 2943. 3216. 4492. 4493. 5297; Tyrus sunt cognitiones veri et boni, n: 1201, similiter Aethiopia, n: 116. 117, inde patet quod Philisthaea sit scientia verorum fidei. Apud Amos « Nonne sicut filios Aethiopum vos Mihi filii Israëlis, nonne Israëlem ascendere feci e terra Aegypti, *et Philisthaeos e Kaphtore*, et Syros e Kir » IX: 7; agitur ibi de perversione et destructione Ecclesiae postquam instaurata

est; filii Aethiopum sunt hic qui in cognitionibus boni et veri, quas applicant ad confirmanda mala et falsa, n: 1163. 1164; filii Israëlis e terra Aegypti sunt qui in vera et bona spiritualia initiati sunt per vera scientifica, quod filii Israëlis sint qui in veris et bonis spiritualibus, ita in sensu abstracto vera et bona spiritualia, videatur n: 5414. 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833. 5879. 5951. 7956. [102] 8234; et quod terra Aegypti sit verum scientificum, supra ostensum est; simile significatur per Philisthaeos e Kaphtore, et per Syros e Kir, quibus ideo assimilantur; Philisthaei e Kaphtore sunt qui in interiora vera initiati sunt per exteriora, sed qui perverterunt illa, et applicarunt ad confirmanda falsa et mala, n: 1197. 1198. 3412. 3413. 3762. 8093. 8096. 8099. 8313; Syri autem e Kir sunt qui in cognitionibus boni et veri, quas etiam perverterunt, n: 1232. 1234. 3051. 3249. 3664. 3680. 4112. Apud Jeremiam „Propter diem venientem *ad vastandum omnes Philisthaeos*, ad exscindendum *Tyro* et *Zidoni* omnem residuum auxiliantem, quia *vastans* Jehovah *Philisthaeos*, reliquias *insulae Kaphtor*" XLVII: 4; agitur in illo Capite de vastatione Ecclesiae quoad vera fidei; vera fidei interiora sunt Philisthaei, et vera exteriora sunt reliquiae insulae Kaphtor. Apud Joëlem „Quid vobis mecum *Tyre* et *Zidon*, et *omnes termini Philisthaeae*, cito reducam retributionem vestram in caput vestrum, propterea quod argentum meum et aurum meum sumsistis, et desiderabilia mea bona intulistis in templa vestra" IV: 4. 5; omnes termini Philisthaeae pro omnibus veris fidei interioribus et exterioribus; argentum et aurum et desiderabilia bona inferre in templa sua, pro pervertere vera et bona, ac per applicationem ad mala et falsa prophanare; quod argentum et aurum sint vera et bona, videatur n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 8932. Apud Obadiam „Tunc haeredes erunt meridionales montis Esavi, et *planitiei Philisthaeorum*, et haeredes fient agri Ephraimi, Benjamin autem Gileadis" [Vers:] 19, hic agitur de instauratione Ecclesiae, sed res involvuntur nominibus; meridionales sunt, qui in luce veri, n: 1458. 3195. 3708. 5672. 5962; mons Esavi est bonum amoris, n: 3300. 3322. 3494. 3504. 3576; planities Philisthaeorum, est verum fidei, planities etiam est quod est doctrinale fidei, n: 2418; Ephraim est intel-

lectuale Ecclesiae, n: 3969. 5354. 6222. 6234. 6238. 6267; Benjamin est Verum spirituale coeleste Ecclesiae, n: 3969. 4592. 5686. 5689. 6440; et Gilead est bonum correspondens exterius, n: 4117. 4124. 4747. Apud Esaiam „Congregabit expulsos Israëlis, et dispersa Jehudae colliget a quatuor alis terrae, *involabunt in humerum Philisthaeorum versus mare*, una depraedabuntur filios orientis" XI: 12. 14, hic per Israëlem et Jehudam non intelliguntur Israël et Jehudah, sed per Israëlem illi qui in bono fidei, et per Jehudam qui in bono amoris; involare in humerum Philisthaeorum pro recipere et in possessionem sumere vera interiora fidei; depraedari filios Orientis pro recipere et in possessionem sumere bona interiora fidei; filii enim orientis sunt qui in bonis fidei, et in cognitionibus boni, n: 3249. 3762; quod depraedari sit recipere et in possessionem sumere, videantur quae de depraedatione Aegyptiorum a filiis Israëlis, n: 6914. 6917, ostensa sunt. Quia per terram Philisthaeam scientia verorum interiorum fidei significata est, ac per Abrahamum et Jischakum repraesentatus est Dominus, et per peregrinationem eorum instructio Domini in veris et bonis fidei et amoris, quae sunt sapientiae Divinae, ideo propter eam figurationem jussus est Abraham peregrinari *in Philisthaea*, de qua Genes: XX: 1 ad fin: et quoque Jischak, Genes: XXVI: 1 ad 24; ac ideo Abimelech *rex Philisthaeorum* pepigit cum Abrahamo foedus, Genes: XXI: 22 ad fin; et quoque cum Jischako, Gen: Cap: XXVI: 26 ad fin: de qua re videantur explicationes ad illa Capita.

9341. Et a deserto usque ad fluvium, quod significet a jucundo sensualis usque ad bonum et verum rationalis, constat ex significatione ponere terminum, quod sit extensio, ut mox supra n: 9340; ex significatione deserti, quod sit ubi non habitatum et non excultum, ita applicate ad spiritualia quae fidei et ad coelestia quae amoris, desertum est ubi non bonum et non verum, sicut est sensuali; quod sensuale hominis tale sit, videatur n: 9331 fin: quia sensuali non est bonum coeleste, nec verum spirituale, sed est jucundum et volupe ex corpore et mundo, ideo per desertum significatur hoc extremum in homine Ecclesiae; et ex significatione Euphratis, qui hic est fluvius, quod sit bonum et verum rationalis: quod Euphrates id sit, est

quia ibi Assyria, et per Assyriam seu Aschurem significatur rationale, n: 119. 1186: hoc intelligitur per Euphratem, ubi dicitur a deserto ad Euphratem, tum a fluvio Aegypti ad Euphratem, ut apud Joschuam „*A deserto* et Libano, *usque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem,* universa terra Chittaeorum, et usque ad Mare magnum, ad occasum solis, erit terminus vester" I: 4: et apud Moschen „Semini tuo dabo terram hanc *a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem*" Gen: XV: 18. Similiter apud Davidem „Vitem ex Aegypto proficisci fecisti; emisisti propagines usque ad mare, *et ad fluvium ramusculos ejus*" Psalm: LXXX: 9. 12, Vitis ex Aegypto pro Ecclesia spirituali repraesentata per filios Israëlis; ad mare et ad fluvium pro ad interiora vera et bona: pariter apud Micham „Ad te venient ab Aschure, et urbibus Aegypti, et *inde ab Aegypto usque ad fluvium*, et mare a mari, a monte ad montem". VII: 12. Sed aliud significatur per Euphratem, cum spectatur e medio terrae Canaanis, ut ejus extremum ab uno latere, seu ut quod claudit illam ab una parte, tunc per eum fluvium significatur id quod ultimum est Regni Domini, hoc est, quod ultimum est coeli et Ecclesiae quoad bonum et verum rationale; quod termini terrae Canaanis, qui fuerunt fluvii et maria, significaverint ultima in Regno Domini, videatur n: 1585. 1866. 4116. 4240. 6516; Euphrates ideo talia vera et talia bona quae sunt sensualis correspondentia veris et bonis Rationalis: sed quia sensuale hominis proxime exstat ad mundum et ad tellurem, et inde recipit sua objecta, n: 9331 fin: idcirco non aliud pro bono agnoscit, quam quod jucundat corpus, et non aliud pro vero, quam quod favet isti jucundo, ideo per fluvium Euphratem in hoc sensu significatur voluptas oriunda ex amoribus sui et mundi, ac falsitas confirmans illud per ratiocinia ex fallaciis sensuum: haec intelliguntur per fluvium Euphratem apud Johannem „Vox dixit sexto Angelo, *solve quatuor angelos vinctos ad fluvium magnum Euphratem;* soluti sunt, et occiderunt tertiam partem hominum" Apoc: IX: 15, angeli vincti ad Euphratem pro falsis oriundis per ratiocinia ex fallaciis sensuum, quae favent jucundis amorum sui et mundi. Apud Eundem „Sextus Angelus *effudit phialam super fluvium magnum Euphratem,* cujus ex-

siccata est aqua, ut pararetur via regum qui ab oriente solis" Apoc: XVI: 12, ibi Euphrates pro falsis ex simili origine; aqua exsiccata pro falsis illis a Domino remotis; via regum ab oriente solis, pro quod tunc vera fidei visa et revelata illis qui in amore in Dominum sunt; quod aquae sint vera, et in opposito sensu falsa, videatur n: 705. 739. 756. 790. 839. 2702. 3058. 3424. 4976. 7307. 8137. 8138. 8568. 9323; quod via sit verum visum et revelatum, n: 627. 2333. 3477; reges quod sint qui in veris, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148; oriens quod sit Dominus, tum amor ab Ipso et in Ipsum, n: 101. 1250. 3708; similiter sol, n: 1529. 1530. 2440. 2495. [124] 3636. 3643. 4060. 4696. 5377. 7078. 7083. 7171. 7173. 8644. 8812. Apud Jeremiam „Deseruisti Jehovam Deum tuum, quo tempore duxit te in viam; quamobrem quid tibi cum via Aegypti ut bibas aquas Schichoris; *aut quid cum via Aschuris ut bibas aquas fluvii*" II: 17. 18, ducere in viam pro docere verum; quid tibi cum via Aegypti ut bibas aquas Schichoris, pro quid cum falsis inductis per scientifica perverse applicata; quid tibi cum via Aschuris ut bibas aquas fluvii, pro quid cum falsis per ratiocinia ex fallaciis sensuum ad favendum jucundis amorum sui et mundi. Apud Eundem „Jehovah ad Prophetam, sume cingulum quod emisti, quod super lumbis tuis, et surge, *abi ad Euphratem*, et absconde illud ibi in foramine petrae, *abivit et abscondit illud ad Euphratem;* postea factum est a fine dierum multorum, et dixit Jehovah, surge, *abi ad Euphratem*, recipe inde cingulum; *quare abiit ad Euphratem* et fodit, et recepit cingulum ex loco ubi absconderat illud, sed ecce corruptum erat cingulum, non proderat ad quicquam" XIII: 3 ad 7; cingulum lumborum est vinculum externum continens omnia amoris et inde fidei; abscondi in foramine petrae juxta Euphratem est ubi fides in obscuro et fit nulla per falsa ex ratiociniis; cingulum corruptum ut non ad quicquam prodesset, pro quod tunc dissoluta et dispersa omnia amoris et fidei. Quod Jeremias „alligaret libro a se scripto lapidem, et *projiceret in medium Euphratem*" Cap: LI: 63, significabat quod Verbum propheticum periret per similia. Apud Eundem „Non effugiet celer, neque eripiet se fortis, *septentrionem versus juxta litus fluvii Euphratis impege-*

runt et ceciderunt; sed Jehovah Zebaoth vindictam sumit de hostibus suis: sacrificium Domino Jehovae Zebaoth *in terra septentrionis juxta fluvium Euphratem*" XLVI: 6. 10, [125] etiam ibi fluvius Euphrates pro falsificatis veris et adulteratis bonis per ratiocinia ex fallaciis, et inde scientificis, quae favent amoribus sui et mundi.

9342. Quia dabo in manum vestram habitatores terrae, quod significet imperium super malis, constat ex significatione dare in manum, quod sit vincere et imperare; et ex significatione habitatorum terrae, quod sint mala Ecclesiae; per habitatores enim significantur bona, n: 2268. 2451. 2712. 3613, inde in opposito sensu mala, nam per gentes terrae Canaanis significata sunt mala et falsa infestantia et destruentia bona et vera Ecclesiae, n: 9327.

9343. Et expellam illos ab ante te, quod significet remotionem eorum, constat ex significatione expellere, cum de malis, quod sit remotio, de qua n: 9333.

9344. Non panges illis et diis illorum foedus, quod significet non communicationem cum malis et falsis, constat ex significatione pangere foedus, quod sit conjungi, de qua n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778, ita quoque communicari, nam qui communicant inter se, conjunguntur; ex significatione habitatorum terrae, qui hic sunt illi cum quibus non pangerent foedus, quod sint mala, de qua mox supra n: 9342; et ex significatione deorum, quod sint falsa, de qua n: 4402 f.; 4544. 7873. 8867. 8941.

9345. Non habitabunt in terra tua, quod significet quod mala non simul erunt cum bonis Ecclesiae, constat ex significatione habitatorum, de quibus dicitur quod non habitabunt in terra tua, quod sint mala, de qua supra n: 9342; ex significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 1293. 3384. 3613; et quod habitare cum aliquo sit vivere seu esse simul, n: 4451; [126] et ex significatione terrae, quod sit Ecclesia quoad bonum, ita quoque bonum Ecclesiae, de qua n: 9325.

9346. Ne forte faciant peccare te Mihi, quod significet ne mala avertant bona a Domino, constat ex significatione habitatorum terrae, de quibus dicitur ne forte faciant peccare, quod sint mala, ut supra; ex significatione peccare, quod sit aver-

tere, de qua n: 5474. 5841. 7589; et ex significatione te Mihi, quod sint bona a Domino, per filios enim Israëlis, qui hic sunt Te, significantur illi qui in bono, ita bona, n: 5801. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833. 9340, et per Jehovam, qui hic est Mihi, intelligitur Dominus, n: 9199. 9315, et quae ibi citata. Quod mala avertant bona a Domino, inde est, quia mala et bona opposita seu contraria sunt, et duo opposita seu contraria non possunt simul esse, aversantur enim se mutuo et confligunt; quod constare evidenter potest ex eo, quod mala sint ex inferno et bona e coelo, ac infernum e coelo remotissimum est; non quoad distantiam, quoniam distantia in altera vita nulla est, sed quoad statum; quapropter qui in statu inferni sunt non possunt transferri in statum coeli, mala enim apud illos rejiciunt bona apud hos: hoc intelligitur per Abrahami verba ad divitem „Inter nos et vos hiatus ingens firmatus est, ut qui volunt transcendere abhinc ad vos non possint, neque qui ibi ad nos transire" Luc: XVI: 26; hiatus ingens est oppositio et contrarietas statuum vitae. Ex his patet, quomodo intelligendum, quod mala avertant bona a Domino, quod nempe qui in malis sunt, non modo non recipiant bona quae continue a Domino apud unumquemvis influunt, sed etiam prorsus avertant; quapropter homo nequaquam potest bonum coeli recipere, priusquam abstinet a malis.

9347. [127] Cum serviveris diis illorum, quod significet si cultus ex falsis, constat ex significatione servire, quod sit cultus, de qua n: 7934. 8057; et ex significatione deorum, quod sint falsa, de qua n: 4544. 7873. 8367. 8941.

9348. Quia erit tibi in laqueum, quod significet ex allectatione et ex deceptione malorum, constat ex significatione laquei, cum de malis, quod sit allectatio et deceptio. Quod mala allectent et decipiant, est inde, quia omnia mala scaturiunt ex amoribus sui et mundi, n: 9335, et amores sui et mundi connascuntur homini, et inde homo jucundum vitae suae a prima nativitate sentit, imo inde vitam habet; quapropter illi amores sicut latentes venae fluvii cogitationem et voluntatem hominis a Domino ad se, et a coelo ad mundum, ita a veris et bonis fidei ad falsa et mala continue trahunt; ratiocinia ex fallaciis sensuum tunc imprimis valent, et quoque Verbi sensus literalis per-

verse explicatus et applicatus: haec et illa sunt, quae per laqueos, tendiculas, foveas, retia, funes, pedicas, tum quoque per fraudes et dolos, in Verbo in sensu spirituali intelliguntur; ut apud Esaiam „Pavor et *fovea* et *laqueus* super te habitator terrae, unde fiet, fugiens e voce pavoris *cadet in foveam*, et *ascendens e fovea capietur laqueo;* nam Cataractae ab alto apertae sunt, et commota sunt fundamenta terrae" XXIV: 17. 18. 19: et apud Jeremiam „Timor, *fovea* et *laqueus* super te habitator Moabi, qui effugerit timorem, *incidet in foveam*, et *qui ascendit e fovea, capietur laqueo*" XLVIII: 43. 44, pavor et timor est turba et commotio animi, cum haeret inter mala et bona, et inde inter falsa et vera; fovea est falsum inductum per ratiocinia ex fallaciis sensuum ad favendum jucundis amorum sui et mundi; laqueus est allectatio et deceptio mali inde. Apud Esaiam [128] „Ibunt et impingent retro, et frangentur, et *illaqueabuntur*, et *capientur*" XXVIII: 13, impingere retro pro avertere se a bono et vero; frangi pro dissipare vera et bona; illaqueari pro allectari a malis amorum sui et mundi; capi pro auferri ab illis. Apud Ezechielem „Mater principum Israëlis Leaena; unus ex catulis illius didicit rapere rapinam, homines devoravit; audiverunt de eo gentes, *quarum in fovea captus est*, et deduxerunt eum hamis in terram Aegypti: postea stupravit viduas, et urbes devastavit, desolata est terra et plenitudo ejus a voce rugitus ejus; ideo *insidiatae sunt* illi gentes circumcirca ex provinciis, et *expanderunt super eum rete suum; in fovea earum* captus est: posuerunt eum *in cavea cum hamis*, et deduxerunt eum ad regem Babelis *in retibus*, ut non audiretur vox ejus amplius in montibus Israëlis" XIX: 4. 7. 8. 9; hic prophanatio veri successiva per allectamenta falsorum ex malis describitur; mater principum Israëlis, est Ecclesia ubi primaria vera, quod mater sit Ecclesia, videatur n: 289. 2691. 2717. 4257. 5581. [129] 8897, et principes Israëlis primaria vera, n: 1482. 2089. 5044; leaena est falsum ex malo pervertens vera Ecclesiae, catulus leonis est malum, in sua potentia, n: 6367; rapere rapinam, et devorare homines, est destruere vera et bona, homo enim est bonum Ecclesiae, n: 4287. 7424. 7523; gentes sunt mala, n: 1259. 1260. 1849. 2588 fin: 4444. 6306; [130] fovea in qua captus

a gentibus est falsum mali, n: 4728. 4744. 5038. 9086; terra Aegypti in quam hamis deductus est scientificum per quod falsum, n: 9340; stuprare viduas est pervertere bona quae desiderant verum, quod stuprare sit pervertere, n: 2466. 2729. 4865. 8904, et viduae bona quae desiderant verum, n: 9198. 9200; devastare urbes est destruere doctrinalia veri Ecclesiae, n: 402. 2268. 2449. [123] 2943. 3216. 4478. 4492. 4493; desolare terram et plenitudinem ejus est destruere omnia Ecclesiae, n: 9325; vox rugitus leonis est falsum; expandere super eum rete, est allectare per jucunda amorum terrestrium et per ratiocinia inde; deducere ad regem Babelis est prophanatio veri, n: 1182. 1283. 1295. 1304. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326. Quod talia non eveniant, quando homo non se et mundum super omnia amat, describitur ita apud Amos „Num rugiet Leo in sylva, si rapina illi non; *num cadet avis super laqueum terrae, si tendicula illi non, num ascendet laqueus de terra,* si capiendo non ceperit" III: 4. 5. Quod Laqueus in spirituali sensu sit allectatio et deceptio per jucunda amorum sui et mundi, ita allectatio et deceptio malorum, et hoc per ratiocinia ex fallaciis sensuum, quae favent illis jucundis, patet unicuivis, nam illaqueationes et captiones non aliunde sunt: diabolica turba nec aliud aggreditur apud hominem, quam illos ejus amores, quos jucundat omni modo, usque dum capitur, et cum captus est, ratiocinatur homo ex falsis contra vera, et ex malis contra bona; et tunc non contentus est eo, sed etiam jucundum captat in illaqueando et allectando alios ad falsa et mala; quod quoque hoc jucundum captet, est quia tunc unus ex turba diabolica est. Quia Laqueus, Tendicula, Rete, significant talia, etiam significant destructionem vitae spiritualis, et sic perditionem, nam jucunda illorum amorum sunt quae destruunt et quae perdunt; quoniam ex illis amoribus, ut supra dictum est, scaturiunt omnia mala; ex amore enim sui scaturit contemtus aliorum prae se, dein subsannatio et vituperatio eorum, postea inimicitia si non favent, tandem jucundum odii, jucundum vindictae, ita jucundum saevitiae, imo crudelitatis; ille amor in altera vita ascendit eo usque, ut nisi Dominus faveat, et det illis dominium super alios, Ipsum non modo contemnant, sed etiam subsannent Verbum quod de Ipso, et tandem ex odio et vindicta

contra Ipsum agunt, et quantum non possunt contra Ipsum, exercent talia cum saevitia et crudelitate contra omnes profitentes Ipsum; inde patet, unde scaturit, quod diabolica turba talis sit, quod nempe ex amore sui: quapropter Laqueus sicut significat jucundum amoris sui et mundi, etiam significat destructionem vitae spiritualis, et perditionem; nam omne fidei et amoris in Dominum, et omne amoris erga proximum, per jucundum amoris sui et mundi, ubi dominatur, destruitur, videantur citata n: 9335. Quod illi amores sint origines omnium malorum, et quod infernum sit ex illis et in illis amoribus, quodque illi amores sint ignes ibi, hodie in orbe ignotum est; cum tamen notum potuisset esse ex eo, quod illi amores oppositi sint amori erga proximum et amori in Deum, et quod oppositi humiliationi cordis, et quod ex illis solis omnis contemtus, omne odium, omnis vindicta, et omnis saevitia ac crudelitas, existat, quod quisque scire potest qui expendit. Quod itaque Laqueus destructionem vitae spiritualis et perditionem significet, patet a sequentibus his locis; apud Davidem „Jehovah pluet super impios, *Laqueos*, Ignem et Sulphur" Psalm: XI: 6; ignis et sulphur sunt mala amoris sui et mundi, quod ignis id sit, videatur n: 1297. 1861. 5071. 5215. 6314. 6832. 7324. 7575. 9144; [131] et quod sulphur, n: 2446; inde patet quid laquei. Apud Lucam „Ut subitus super vobis stet dies ille, [132] *nam sicut laqueus veniet* super omnes qui sedent super facie totius terrae" XXI: 34. 35, agitur ibi de ultimo tempore Ecclesiae, quando nulla fides, quia nulla charitas, quoniam amores sui et mundi regnaturi, inde perditio, quae est laqueus. Apud Jeremiam „Inveniuntur in populo meo impii, speculantur *sicut tendunt aucupes*, constituunt *perdentem*, ut homines *capiant*" V: 26: apud Davidem „*Laqueos tendunt* quaerentes animam meam, et quaerentes malum meum, loquuntur *perditiones*, et *dolos* toto die meditantur" Psalm: XXXVIII: 13: [133] apud Eundem „Custodi me *a manibus tendiculae*, posuerunt mihi, et *laqueis* operantium iniquitatem, *cadant in retia illi*, impii una, ego donec transeam" Psalm: CXLI: 9. 10. Apud Esaiam „Erit in Sanctuarium, licet in lapidem impulsus, et in petram offendiculi, duabus domibus Israëlis; *in laqueum* et *in tendiculam* habitatori Hierosolymae; impingent inter illos multi, et cadent, et confringen-

tur, et *illaqueabuntur* et *capientur*» VIII: 14. 15, agitur ibi de Domino; lapis impulsus et petra offendiculi pro scandalizatione; laqueus et tendicula pro perditione, nempe illorum qui oppugnant et destruere conantur vera et bona fidei in Dominum, per falsa faventia amoribus sui et mundi; omnes enim superbi non modo scandalizantur, sed etiam illaqueantur per id, quod Divinum apparuerit in forma humana, et tunc non in regia majestate, sed in specie contemta. Ex his nunc patet, quod per erit in laqueum significetur allectatio et deceptio malorum, et inde perditio; ut quoque alibi apud Moschen „Ne pangas foedus cum habitatore terrae, supra quam venturus, *ne fiat in laqueum in medio tui*» Exod: XXXIV: 12. [134] Apud Eundem „Non servies diis illorum, *laqueus namque hoc tibi*» Deut: VII: 16: apud Eundem „Cave tibi *ne illaqueeris post gentes*, et ne forte quaeras deos eorum» Deut: XII: 30, gentes sunt mala et inde falsa.

9349. Actum est in Capitibus XX. XXI. XXII. XXIII, de Legibus, Judiciis et Statutis, quae promulgata sunt e monte Sinai, et ostensum, quid in sensu interno continent, ita quomodo in coelo percipiuntur, quod nempe non secundum sensum literalem, sed secundum sensum spiritualem, qui non patet in litera, sed usque inest: Verum, qui non scit quomodo res se habet, potest autumare, quod Verbum quoad sensum literalem sic annihiletur, ex causa quia ad illum non attenditur in coelo: sed sciendum est, quod sensus literalis Verbi per id nequaquam annihiletur, verum potius confirmetur, et quod singula verba ex sensu spirituali, qui inest, pondera habeant, et sancta sint, quoniam sensus literalis est basis et fulcrum, cui sensus spiritualis innititur, et cui conjunctissime cohaeret, usque adeo, ut ne quidem jota seu apex, aut corniculum sit in litera Verbi, quod non sanctum Divinum in se continet; secundum Domini verba apud Matthaeum „*Amen, dico vobis, usque dum praetereat coelum et terra, jota unum, aut unum corniculum non praeteribit de Lege, donec omnia fiant*» V: 18: et apud Lucam „*Facilius est coelum et terram transire, quam Legis unum apicem cadere*» XVI: 17; quod lex sit Verbum, videatur n: 6752. 7463; [135] ideo etiam ex Divina Domini Providentia factum est, quod Verbum quoad omnem jotam et apicem a tempo-

re, quo scriptum est, conservatum sit, imprimis Verbum Veteris Testamenti: ostensum quoque est e coelo, quod in Verbo non solum unaquaevis vox, sed etiam unaquaevis syllaba, et, quod incredibile, unumquodvis corniculum syllabae in Lingua originali involvat sanctum, quod perceptibile fit Angelis intimi coeli; quod ita sit, asseverare possum, sed scio quod transcendat fidem. Inde patet, quod quidem Ritualia Externa Ecclesiae, quae repraesentabant Dominum ac Interna Coeli et Ecclesiae quae a Domino, de quibus in Verbo Veteris Testamenti, quoad plurimam partem abrogata sint, sed quod usque Verbum in sua Divina Sanctitate permaneat, quoniam, ut dictum est, omnia et singula ibi, usque involvunt sancta Divina, quae in coelo, dum legitur id Verbum, percipiuntur; est enim internum sanctum in singulis, quod est sensus ejus internus, seu sensus coelestis et Divinus; hic sensus est anima Verbi, et est ipsum Verum Divinum procedens a Domino, ita Ipse Dominus. Ex his constare potest, quomodo se habet cum Legibus, Judiciis, et Statutis, quae a Domino promulgata sunt e monte Sinai, et quae in Capitibus XX. XXI. XXII. XXIII, de quibus actum est, continentur, quod nempe omnia et singula ibi sancta sint, quia in interna forma sancta sunt; sed usque quod quaedam eorum abrogata sint quoad usum hodie ubi Ecclesia, quae est Ecclesia Interna; quaedam autem eorum sunt talia ut possint servire usui, si ita libet; et quaedam eorum omnino observanda et facienda sunt: sed usque quae abrogata sunt quoad usum ubi Ecclesia, et quae servire possunt usui si libet, ut et quae omnino observanda et facienda, aeque sancta sunt in sancto interno, nam Verbum totum quantum in sinu suo est Divinum: Sanctum internum est quod docet sensus Internus, et est idem cum Internis Ecclesiae Christianae, quae Doctrina Charitatis et Fidei docet. Ut haec ad captum sistantur, sint illustrationi Leges, Judicia, et Statuta, de quibus in Praedictis Capitibus: *Quae ibi omnino observanda et facienda, sunt quae continentur in Capite* XX: Vers: 3. 4. 5. 7. 8. 12. 13. 14. 20. Capit: XXI: Vers: 12. 14. 15. 20. Capit: XXII: Vers: 17. 18. 19. 27. Capit: XXIII: 1. 2. 3. 6. 7. 8. 24. 25. 32. *Quae servire possunt usui si libet, sunt talia quae continentur* in Capite XX: Vers: 10. Capit: XXI: 18. 19. 22. 23. 24. 25. 33. 34. 35. 36. 37. Capit:

XXII: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 16. 20. 21. 22. 24. 25. 26. 30. Cap: XXIII: 4. 5. 9. 12. 13. 14. 15. 16. 33. *Quae autem abrogata sunt quoad usum hodie ubi Ecclesia*, Cap: XX: Vers: 21. 22. 23. Cap: XXI: Vers: 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 16. 21. 26. 27. 28. 29. 31. 32. Cap: XXII: Vers: 14. 28. 29. Cap. XXIII: Vers: 10. 11. 17. 18. 19. Sed, ut supra dictum est, haec et illa aeque sancta sunt, seu aeque Verbum Divinum sunt.

CAUSAE

Cur Dominus in Nostra Tellure, et non in alia, nasci voluit.

9350. *Quod Domino placuerit nasci, et Humanum assumere in nostra Tellure, et non in alia, sunt plures causae, de quibus e coelo informatus sum.*

9351. Causa principalis fuit propter Verbum, quod hoc in nostra Tellure potuerit conscribi, et scriptum dein per universam Tellurem vulgari; ac semel vulgatum conservari in omnem posteritatem; et quod sic manifestari potuerit, quod Deus Homo factus sit, etiam omnibus in altera vita.

9352. Quod causa principalis fuerit propter Verbum, *est quia Verbum est ipsum Verum Divinum, quod docet hominem, quod Deus sit, quod coelum sit et quod Infernum, quod vita post mortem; et insuper docet, quomodo vivet et credet, ut in Coelum veniat, et sic in aeternum felix sit: haec omnia absque revelatione, ita in hac Tellure absque Verbo, prorsus ignota fuissent; et tamen homo ita creatus est, ut quoad Internum suum hominem non mori possit.*

9353. Quod Verbum in nostra Tellure potuerit conscribi, *est quia ars scribendi hic ab antiquissimo tempore fuerit, primum super codicibus, dein super membranis, postea super chartis, et demum vulgari typis. Hoc provisum est a Domino propter Verbum.*

9354. Quod Verbum dein per universam hanc tellurem vulgari potuerit, *est quia commercium omnium gentium hic datur, non modo per peregrinationes, sed etiam per navigationes ad omnia loca totius orbis; inde Verbum semel conscriptum transferri potuit ab una gente ad alteram, et ubivis doceri. Quod tale commercium daretur, etiam provisum est a Domino propter Verbum.*

9355. Quod Verbum semel [136] conscriptum potuerit conservari in omnem posteritatem, *proinde in millia et millia annorum, et quoque quod conservatum sit, notum est.*

9356. Quod sic manifestari potuerit, quod Deus Homo factus sit; *hoc enim primum et essentialissimum est, propter quod Verbum; nam nemo credere potest in Deum, et amare Deum, quem non sub aliqua specie comprehendere potest; quapropter qui incomprehensibile agnoscunt, labuntur cogitatione in naturam, et sic in nullum Deum credunt, videatur n:* 7211. 9303. 9315; *quapropter placuit Domino hic nasci, et hoc manifestum facere per Verbum, ut non modo id notum fieret in hoc orbe,* sed etiam ut per id manifestum fieret omnibus in universo, qui in coelum ex quacunque Tellure veniunt; *nam in coelo est omnium communicatio.*

9357. *Sciendum, quod Verbum in nostra Tellure per coelum a Domino datum, sit unio coeli et mundi, n:* 9212; *ob quem finem est correspondentia omnium quae in litera in Verbo cum Divinis in Coelo; et quod Verbum in supremo ac intimo suo sensu agat de Domino, de Regno Ipsius in coelis et in terris, deque amore et fide ab Ipso et in Ipsum; proinde de vita ab Ipso et in Ipso: talia sistuntur Angelis in Coelo, e quacunque Tellure sint, quando Verbum nostrae Telluris legitur et praedicatur.*

9358. *In omni alia Tellure manifestatur Verum Divinum oretenus per spiritus et angelos, sicut in praecedentibus, ubi de Incolis Tellurum in solari hoc mundo, dictum est, sed hoc fit intra familias; nam humanum genus in plerisque telluribus distinctum habitat secundum familias; quapropter Divinum Verum per spiritus et angelos ita revelatum non transfertur longe ultra familias, et nisi jugiter succedat nova revelatio, id vel pervertitur vel perit: aliter in nostra Tellure, ubi Ve-*

rum Divinum, quod est Verbum, manet in sua integritate in perpetuum.

9359. *Sciendum, quod Dominus omnes, e quacunque Tellure sint, agnoscat et recipiat, qui Deum sub humana forma agnoscunt et colunt, quoniam Deus sub Humana forma est Dominus: et quia Dominus incolis in Telluribus, in forma Angelica, quae est forma humana, apparet, ideo cum spiritus et angeli ex illis telluribus audiunt a nostrae telluris spiritibus et angelis, quod Deus actualiter Homo sit, recipiunt id Verbum, agnoscunt, et gaudent quod ita sit, videatur n:* 7173.

9360. *Ad causas quae prius allatae sunt, accedit, quod incolae, spiritus et angeli nostrae telluris referant in Maximo Homine, Sensum Externum et Corporeum, n:* 9107; *ac Sensus externus et corporeus est ultimum, in quod desinunt interiora vitae, et in quo ut in suo communi, requiescunt, n:* 5077. 9212. 9216: *simile est Verum Divinum in litera, quod vocatur Verbum; quod ob illam causam etiam in hac Tellure, et non in alia, datum est: et quia Dominus est Verbum, et ejus primum et ultimum, ut omnia secundum ordinem existerent, etiam ideo voluit in hac Tellure nasci, et fieri Verbum, secundum haec apud Johannem « In principio erat Verbum, et « Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in « principio apud Deum: omnia per Ipsum facta sunt, et sine « Ipso factum est nihil quod factum est.* Et Verbum Caro fa- « ctum est, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipsius, « gloriam ut Unigeniti a Patre. *Deum nemo vidit usquam, Uni- « genitus Filius, qui in sinu Patris est, Ipse exposuit »* I: 2. 3. 4. 14. 18, *Verbum est Divinum Verum. Sed hoc arcanum est, quod in intellectum modo pauciorum cadit.*

9361. *Quod incolae tellurum aliarum gaudeant, quando audiunt, quod Deus assumserit Humanum, et hoc Divinum fecerit, et quod sic Deus actualiter Homo sit, videbitur ad finem ultimorum Capitum Exodi.*

9362. *In nunc sequentibus usque ad finem Libri Exodi, ex Divina Domini Misericordia, dicetur de incolis, spiritibus, et angelis Tellurum in Coelo astrifero.*



EXODI

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

9363. Credere illa quae docet Verbum seu quae Doctrina Ecclesiae, et non vivere secundum illa, apparet sicut sit Fides, et quoque autumant quidam, quod salventur per illam; sed per illam solam nemo salvatur, est enim fides persuasiva, quae qualis sit, nunc dicetur.

9364. Fides persuasiva est, cum creditur et amatur Verbum et Doctrina Ecclesiae, non propter finem serviendi proximo, hoc est, concivi, patriae, Ecclesiae, Coelo, et Ipsi Domino, consequenter non propter vitam, nam illis servire est vita; sed propter lucrum, honores, et eruditionis famam, ut fines: quapropter qui in illa fide sunt, non spectant ad Dominum et ad Coelum, sed ad se et ad mundum.

9365. Qui in mundo magna spirant et multa cupiunt, in persuasivo, quod Verum sit quod Doctrina Ecclesiae docet, fortiori sunt, quam qui non magna spirant et multa cupiunt, causa est, quia Doctrina Ecclesiae est illis modo medium ad suos fines; et quantum cupiuntur fines, tantum amantur media, et quoque creduntur.

9366. Sed res in se talis est; quantum in igne amorum sui et mundi sunt, et ex igne illo loquuntur, praedicant, et agunt, tantum in illo persuasivo sunt; et tunc non aliter sciunt, quam quod ita sit: cum autem non in illorum amorum igne sunt, tunc nihil credunt, et plures illorum negant: inde patet, quod fides

persuasiva sit fides oris et non cordis: ita quod in se non sit fides.

9367. Qui in fide persuasiva sunt, non sciunt ex aliqua illustratione interna, num vera sint vel falsa quae docent, imo nec curant, modo a vulgo credantur; sunt enim in nulla affectione veri propter verum. Illi quoque solam fidem prae reliquis defendunt, et bonum fidei, quod est charitas, tanti faciunt, quàntum per id possunt lucrari.

9368. Qui in fide persuasiva sunt, recedunt a fide, si privantur honoribus et lucris, modo fama non periclitetur; nam fides persuasiva non est intus apud hominem, sed stat foris, solum in memoria, e qua depromitur, cum docetur: quapropter illa fides cum suis veris post mortem evanescit: nam tunc manet solum illud fidei quod intus in homine est, hoc est, quod radicatum est in bono, ita quod factum vitae.

9369. Illi qui in fide persuasiva sunt, intelliguntur per hos apud Matthaeum „ *Multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, et per Nomen tuum daemonia ejecimus; et in Nomine tuo multas virtutes fecimus: sed tunc confitebor illis, non novi vos, operarii iniquitatis* " VII: 22. 23. Tum apud Lucam „ *Tunc incipietis dicere, edimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti; sed dicet, dico vobis, non novi vos unde sitis, discedite a Me omnes operarii iniquitatis* " XIII: 26. 27: intelliguntur etiam per quinque virgines stultas, quae non habebant oleum in lampadibus, apud Matthaeum „ *Tandem venerunt illae virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; Ille vero respondens dicet, amen, dico vobis, non novi vos* " XXV: 11. 12, oleum in lampadibus est bonum in fide, n: 886. 4638.

CAPUT XXIV.

1. Et ad Moschen dixit, ascende ad JEHOVAM Tu, et Aharon, Nadab et Abihu, et septuaginta de senioribus Israëlis, et incurvetis vos e longinquo.

2. Et appropinquabit Moscheh solus ille ad JEHOVAM, et illi non appropinquabunt, et populus non ascendent cum illo.

3. Et venit Moscheh, et renuntiavit populo omnia verba JEHOVAE, et omnia judicia; et respondit omnis populus voce una, et dixerunt, omnia verba, quae loquutus JEHOVAH, faciemus.

4. Et scripsit Moscheh omnia verba JEHOVAE, et surrexit mane in matutino, et aedificavit altare sub monte, et duodecim statuas pro duodecim tribubus Israëlis.

5. Et misit pueros filiorum Israëlis, et obtulerunt holocausta, et sacrificaverunt sacrificia pacifica JEHOVAE juvencos.

6. Et accepit Moscheh dimidium sanguinis, et posuit in crateribus, et dimidium sanguinis sparsit super altare.

7. Et accepit librum foederis, et legit in auribus populi, et dixerunt, omnia quae loquutus JEHOVAH faciemus et audiemus.

8. Et accepit Moscheh sanguinem, et sparsit super populum, et dixit, ecce sanguis foederis, quod pepigit JEHOVAH cum vobis super omnia verba haec.

9. Et ascendit Moscheh et Aharon, Nadab et Abihu, et septuaginta ex senioribus Israëlis.

10. Et viderunt DEUM Israëlis, et sub pedibus Ipsius sicut opus lapidis sapphiri, et sicut substantia coeli quoad munditiem.

11. Et ad sepositos filios Israëlis non misit manum suam, et viderunt DEUM, et comederunt et biberunt.

12. Et dixit JEHOVAH ad Moschen, ascende ad Me in montem, et esto ibi, et dabo tibi tabulas lapidis, et legem, et praeceptum, quae scribam ad docendum illos.

13. Et surrexit Moscheh et Jehoschua minister ejus, et ascendit Moscheh ad montem DEI.

14. Et ad seniores dixit, sedete vobis in hoc, donec revertamur ad vos; et ecce Aharon et Chur vobiscum, quisquis habens verba, accedat ad illos.

15. Et ascendit Moscheh ad montem, et obtexit nubes montem.

16. Et commorabatur gloria JEHOVAE super monte Sinai, et obtexit eum nubes sex dies, et vocavit ad Moschen in die septimo e medio nubis.

17. Et aspectus gloriae JEHOVAE sicut ignis comedens in capite montis oculis filiorum Israëlis.

18. Et intravit Moscheh in medium nubis, et ascendit ad

montem, et fuit Moscheh in monte quadraginta dies et quadraginta noctes.

CONTENTA.

9370. Agitur in sensu interno de Verbo a Domino per coelum dato, quale sit, quod Divinum in sensu utroque, interno et externo; et quod per id conjunctio Domini sit cum homine.

SENSUS INTERNUS.

9371. Vers: 1. 2. *Et ad Moschen dixit, ascende ad Jehovam, Tu, et Aharon, Nadab et Abihu, et septuaginta de senioribus Israëlis, et incurvetis vos e longinquo. Et appropinquabit Moscheh solus ille ad Jehovam, et illi non appropinquabunt, et populus non ascendent cum illo.* Et ad Moschen dixit, significat quod concernit Verbum in communi: ascende ad Jehovam, significat conjunctionem cum Domino: tu et Aharon, significat Verbum in sensu interno et externo: Nadab et Abihu, significat doctrinam ex utroque: et septuaginta de senioribus Israëlis, significat praecipua vera Ecclesiae quae Verbi seu Doctrinae concordantia cum bono: et incurvetis vos e longinquo, significat humiliationem et adorationem ex corde, et tunc influxum Domini: et appropinquabit Moscheh solus ille ad Jehovam, significat conjunctionem et praesentiam Domini per Verbum in communi: et illi non appropinquabunt, significat non conjunctionem et praesentiam separatam: et populus non ascendet cum illo, significat plane non conjunctionem cum externo absque interno.

9372. Et ad Moschen dixit, quod significet quod concernit Verbum in communi, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua sequitur; et ex significatione dixit, quod involvat illa quae in hoc Capite sequuntur, ita quae concernunt Verbum, n: 9370. Quod Moscheh repraesentet Verbum, constare potest ex illis, quae de Mosche saepe prius ostensa sunt, ut ex Praefat: ad Cap: XVIII: Genes: et n: 4859 fin: 5922. 6723. 6752. 6771. 6827. 7010. 7014. 7089. 7382.

8601. 8760. 8787. 8805, quae videantur; hic repraesentat Moscheh Verbum in communi, quia de eo in sequentibus dicitur, *quod ille appropinquaret solus ad Jehovam*, Vers: 2, et quoque *quod ille vocatus e medio nubis*, *intraverit et ascenderit montem*, Vers: 16. 18. In Verbo sunt plures, qui repraesentant Dominum quoad Verum Divinum, seu quoad Verbum; sed inter illos praecipui sunt Moscheh, Elias, Elisaeus, et Johannes Baptista; quod Moscheh, videri potest in explicationibus nunc supra citatis; quod Elias et Elisaeus, in Praef: ad Cap: XVIII: Genes: et n: 2762. 5247 fin: quod Johannes Baptista, constat ex eo, quod is sit Elias qui venturus: qui non scit, quod Johannes Baptista repraesentaverit Dominum quoad Verbum, non scire potest quid involvunt et significant omnia illa, quae de illo in Novo Testamento dicta sunt; quapropter ut hoc arcanum pateat, et simul tunc quod Elias et quoque Moscheh, qui visi sunt cum Dominus transformatus est, significaverint Verbum, licet hic afferre aliqua, quae de Johanne Baptista memorantur; ut quae apud Matthaeum « *Postquam abiverunt nuntii Johannis, coepit Jesus loqui de Johanne, dicens, quid exivistis in desertum videre, num arundinem a vento agitatam; quid vero exivistis videre, num hominem mollibus indumentis indutum, ecce qui mollia gerunt, in domibus regum sunt: quid vero exivistis videre, num Prophetam, imo dico vobis, etiam magis quam propheta; hic est, de quo scriptum, ecce Ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te: amen dico vobis, non suscitatus est inter natos mulierum major Johanne Baptista; qui vero minor est in regno coelorum, major illo* [1] *est. Omnes Prophetae et Lex usque ad Johannem prophetarunt. Et si vultis credere, ille Ipse est Elias qui venturus est: qui habet aurem ad audiendum, audiat* » XI: 7 ad 15, et Luc: VII: 24 ad 28: quomodo haec intelligenda sunt, nemo scire potest, nisi sciat quod Johannes ille repraesentaverit Dominum quoad Verbum, et tunc nisi ex sensu interno sciat, quid significatur per desertum in quo ille; tum quid per arundinem vento agitatam, ut et per indumenta mollia in domibus regum; et dein quid significatur per quod ille magis quam propheta esset, et quod inter natos mulierum nullus illo major esset, et tamen minor in regno coelorum major illo; et

denique quod ille esset Elias: haec enim omnia absque sensu altiori solum ex aliqua comparatione sonant, et non ex re quae alicujus ponderis: sed prorsus aliter cum per Johannem intelligitur Dominus quoad Verbum, seu Verbum repraesentative; tunc per desertum Judaeae, in quo Johannes, significatur status in quo Verbum illo tempore, cum Dominus in mundum venit, quod nempe in deserto, hoc est, in tam obscuro, ut prorsus non agnosceretur Dominus, nec quicquam sciretur de Regno Ipsius coelesti; cum tamen omnes Prophetae de Ipso deque Regno Ipsius, quod in aeternum duraturum esset, propbetarunt, quod desertum tale obscurum sit, videatur n: 2708. 4736. 7313; Verbum ideo comparatur arundini vento agitatae, cum explicatur ad libitum, nam arundo in sensu interno est Verum in ultimo, quale est Verbum in litera: quod Verbum in ultimo seu in litera sit coram aspectu hominum sicut rude et obscurum, sed in sensu interno molle et splendens, significatur per quod non viderint hominem mollibus indumentis indutum, ecce qui mollia gerunt in domibus regum sunt; quod talia per haec verba significentur, patet a significatione indumentorum seu vestium, quod sint vera, videatur n: 2132. 2576. 4545. 4763. 5248. 6914. 6918. 9093; [2] et quod ideo Angeli appareant vestibus induti mollibus et splendentibus secundum vera ex bono apud illos, n: 5248. 5319. 5954. 9212. 9216; tum a significatione domuum regum, quod sint mansiones ubi angeli, ac in universali sensu coeli, nam domus dicuntur ex bono, n: 2233. 2234. 3128. 3652. 3720. 4622. 4982. 7836. 7891. 7996. 7997, et reges de vero, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. 6148, ideo angeli vocantur filii regni, filii regis, et quoque reges ex receptione veri a Domino: quod Verbum sit plus quam aliqua doctrina in mundo, et plus quam aliquod verum in mundo, significatur per quid exivistis videre, num prophetam, imo dico vobis etiam magis quam propheta, et quod non suscitatus sit inter natos mulierum major Johanne Baptista, propheta enim in sensu interno est doctrina, n: 2534. 7269, ac nati seu filii mulierum sunt vera, n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3704. 4257: quod Verbum in sensu interno, seu quale est in coelo, sit in gradu supra Verbum in sensu externo seu quale est in mundo, et quale Johannes Baptista do-

cuit, significatur per quod minor in regno coelorum sit major illo; nam Verbum perceptum in coelo talis sapientiae est, ut transcendat omnem captum humanum: quod Prophetica de Domino et de Ipsius adventu, et quod repraesentativa Domini ac Ipsius Regni cessaverint, cum Dominus in mundum venit, significatur per quod omnes Prophetae et Lex usque ad Johannem prophetaverint: quod Verbum per Johannem sicut per Eliam repraesentatum sit, significatur per quod ille ipse est Elias qui venturus; tum per haec apud Matthaeum „*Interrogaverunt discipuli Jesum, quare scribae dicunt, quod Eliam oporteat venire prius: Ipse respondens dixit, Elias quidem veniet prius, et restituet omnia; dico vobis, quod Elias jam venerit, et non agnoverint eum, sed fecerunt in eo quaecunque voluerunt: sic et Filius hominis passurus est ab illis: et intellexerunt, quod de Johanne Baptista dixisset illis*" XVII: 10 ad 13; quod Elias venerit, et non agnoverint eum, sed fecerint in eo quaecunque voluerunt, significat quod Verbum quidem illos docuerit, quod venturus Dominus, sed quod usque non voluerint comprehendere, interpretando id ad favorem sui dominii, et sic extinguendo Divinum quod in illo: quod similiter facturi cum ipso Vero Divino, significatur per quod sic et Filius hominis passurus sit ab illis; quod Filius hominis sit Dominus quoad Verum Divinum, videatur n: 2803. 2813. 3704. Ex his nunc patet quid intelligitur per propheticum de Johanne apud Malachiam „*Ecce Ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam venit dies Jehovae magnus et terribilis*" III: 23. Describitur etiam Verbum in ultimo, seu quale est in forma externa, quae apparet coram homine in mundo, per indumenta et per alimenta Johannis Baptistae, apud Matthaeum „*Johannes Baptista praedicans in deserto Judaeae, habebat indumentum ex pilis cameli, et cingulum coriaceum circum lumbum; alimentum ejus erant locustae et mel agreste*" III: 1. 3. 4: similiter ac Elias in Libro II Regum „*quod esset vir pilosus, et cingulo corii cinctus circum lumbos*" I: 8; per indumentum seu vestem, cum de Verbo, significatur Verum Divinum ibi in forma ultima; per pilos cameli significantur vera scientifica qualia ibi coram homine in mundo; per cingulum coriaceum significatur vinculum externum connectens et in ordine tenens omnia interiora; per ali-

mentum significatur nutritio spiritualis ex cognitionibus veri et boni ex Verbo; per locustas significantur vera ultima seu communissima; et per mel agreste, amoenum eorum: quod per indumenta et alimenta significentur talia, ducit originem ex repraesentativis in altera vita; ibi induti apparent omnes secundum vera ex bono; et quoque alimenta ibi repraesentantur secundum desideria sciendi et sapiendi; inde est, quod indumentum seu vestis sit verum, videantur citationes supra; et quod alimentum seu cibus sit nutritio spiritualis, n: 3114. 4459. 4792. 5147. 5293. 5340. 5342. 5576. 5579. 5915. 8562. 9003; quod cingulum sit vinculum colligens et continens interiora, n: 9341 fin: quod corium sit externum, n: 3540, ita cingulum coriaceum est vinculum externum; quod pili sint vera ultima seu communissima, n: 3301. 5569 ad 5573; quod Camelus sit scientificum in communi, n: 3048. 3071. 3143. 3145. 4156; quod locusta sit verum nutriens in extremis, n: 3301 fin: et quod mel sit amoenum ejus, n: 5620. 6857. 8056; mel agreste dicitur, quia per agrum significatur Ecclesia, n: 2971. 3317. 3766. 7502. 7571. 9139. 9295. Qui non scit, quod talia significentur, nusquam scire potest, cur ita induti fuerunt Elias et Johannes; quod usque ea significaverint aliquid peculiare prophetis illis, quisque cogitare potest, qui bene de Verbo. Quia Johannes Baptista repraesentabat Dominum quoad Verbum, ideo quoque cum ille de Domino loquebatur, Qui erat Ipsum Verbum, dicebat de se quod non esset Elias, nec propheta, et quod non dignus esset solvere corrigiam calcei Domini, apud Johannem « *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: et Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipsius. Quaesiverunt Judaei ex Hierosolyma, Sacerdotes et Levitae Johannem, quis esset; confessus est et non negavit, non sum ego Christus; quaesiverunt ergo illum, quid ergo, an Elias tu, sed dixit, non sum; an propheta tu, respondit non: quare dixerunt illi, quis es, dixit, ego vox clamantis in deserto, rectam facite viam Domini, sicut dixit Esaias Propheta: dixerunt itaque, quare ergo baptizas, si non es Christus, neque Elias, neque propheta; respondit, ego baptizo aqua, medius inter vos stat, quem vos non nostis, ille est qui post me ven-*

turus est, qui ante me fuit, cujus ego non sum dignus ut solvam Ipsius corrigiam calcei. Cum vidit Jesum, dixit, ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi; hic est, de quo ego dixi, post me venit vir, qui ante me fuit, quia prior me fuit » I: 1. 14. 19 ad 30; ex his patet, quod Johannes, cum de Ipso Domino loquutus est, Qui fuit Ipsum Verum Divinum seu Verbum, dixerit se non esse aliquid, quoniam umbra disparatur cum ipsa lux apparet, seu repraesentativum cum ipsa effigies; quod repraesentativa spectaverint res sanctas ac Ipsum Dominum, et prorsus non personam quae repraesentabat, videantur n: 665. 1097 fin: 1361. 3147. 3881. 4208. 4281. 4288. 4292. 4307. 4444. 4500. 6304. 7048. 7439. 8588. 8788. 8806. Qui non scit, quod repraesentativa evanescant sicut umbrae praesente luce, non scire potest cur Johannes negaverit se esse Eliam et Prophetam. Ex his nunc constare potest, quid significatur *per « Moschen et Eliam, qui visi in gloria, et loquuti cum Domino, cum transformatus, de exitu quem impleturus esset in Hierosolyma* » Luc: IX: 29. 30. 31, quod nempe Verbum, per Moschen Verbum Historicum, et per Eliam Verbum Propheticum, quod in sensu interno ubivis agit de Domino, de Ipsius adventu in Mundum, et de Ipsius exitu e mundo; quapropter dicitur, quod Moscheh et Elias visi sint in gloria, gloria enim est sensus internus Verbi, et nubes sensus ejus externus, videatur Praefatio ad Cap: XVIII Gen: et n: 5922. 8427.

9373. Ascende ad Jehovam, quod significet conjunctionem cum Domino, constat ex significatione ascendere, quod sit elevari versus interiora, de qua n: 3084. 4539. 4969. 5406. 5817. 6007, et inde quoque conjungi, n: 8760, quod sit cum Domino, est quia per Jehovam in Verbo intelligitur Dominus, n: 1343. 1736. 1793. 2004. 2005. 2018. 2025. 2921. 3023. 3035. 5663. 6280. 6303. 6281. 6905. 8274. 8864. 9315. Arcanum quod in sensu interno horum verborum etiam latet, est quod filii Jacobi, quibus ut caput praeerat Moscheh, non vocati et electi sint, sed quod institerint ipsi ut cultus Divinus apud illos institueretur, secundum illa quae n: 4290. 4293, dicta sunt; quare dicitur, *et ad Moschen dixit, ascende ad Jehovam,* sicut non Jehovah sed alius dixerit quod ascenderet; ob eandem causam in sequentibus dicitur quod populus non ascen-

deret, Vers: 2, et quod Jehovah non ad sepositos filios Israëlis miserit manum suam, Vers: 11; tum quod aspectus gloriae Jehovae fuerit sicut ignis comedens in capite montis oculis filiorum Israëlis, Vers: 17, et tandem quod Moscheh die septimo vocatus intraverit in medium nubis; per nubem enim intelligitur Verbum in litera, n: 5922. 6343 fin: 6832. 6752. 8106. 8443. 8781, et apud filios Jacobi erat Verbum separatum a sensu suo interno, erant enim in cultu externo absque interno; quod manifeste constare potest ex eo quod nunc sicut prius dixerint, *omnia verba, quae loquutus Jehovah, faciemus,* Vers: 3; et tamen vix praeterlapsi sunt quadraginta dies post hoc tempus, cum Vitulum Aureum pro Jehovah coluerunt; unde patet, quod hoc in corde eorum latuerit, quum ore dicebant, quod Jehovae soli servirent: cum tamen, qui per vocatos et electos intelliguntur, sunt illi qui in interno cultu sunt, et ab interno in externo, hoc est, qui in amore et in fide in Dominum, et inde in amore erga proximum sunt.

9374. Tu et Aharon, quod significet Verbum in sensu interno et externo, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua supra n: 9373; at quando Aharon, qui ejus frater, ei adjungitur, tunc Moscheh repraesentat Verbum in sensu interno, et Aharon in externo, ut quoque prius n: 7089. 7382.

9375. Nadab et Abihu, quod significet doctrinam ex utroque, constat ex eo quod essent filii Aharonis; quapropter cum per Aharonem significatur Verbum, per filios ejus significatur doctrina, per majorem natu doctrina ex sensu interno Verbi, et per minorem natu doctrina ex sensu externo ejus; doctrina ex Verbi sensu interno, et doctrina ex Verbi sensu externo, est una doctrina, nam qui in interno sunt, etiam in externo sunt; Ecclesia enim Domini ubivis est interna et externa, interna est cordis, et externa est oris, seu interna est voluntatis et externa est actionis; quando internum facit unum cum externo apud hominem, tunc quod est cordis etiam est oris, seu quod est voluntatis etiam est actionis, seu quod idem, tunc in ore est cor loquens, et in actione est voluntas agens, absque omni dissidentia; sic etiam est fides loquens et amor seu charitas agens, hoc est, Dominus a Quo fides et charitas. Quia Nadab et Abihu,

filii Aharonis, repraesentabant doctrinam ex Verbo, ideo illi, cum ex alia doctrina quam quae ex Verbo cultum instituerent, occisi sunt; quod repraesentabatur per haec quae de illis apud Moschen « Sumserunt filii Aharonis, Nadab et Abihu, vir thuribulum suum, et dederunt in ea ignem, super quem posuerunt suffimentum, atque ita attulerunt ad Jehovam ignem alienum, de quo non praeceperat illis, ideo exivit ignis a coram Jehovah, et comedit illos, ut morerentur coram Jehovah: et dixit Moscheh ad Aharonem, hoc quod loquutus est Jehovah, dicendo, in propinquis meis sanctificabor » Levit: X: 1 ad 3; per ignem aliunde in thuribulo significatur doctrina aliunde quam ex Verbo; ignis enim est bonum amoris, et suffimentum est verum fidei inde; ac bonum amoris et verum fidei sunt quae intrant doctrinam quae ex Verbo, et faciunt illam; inde patet, cur igne a coram Jehovah consumti fuerint; in propinquis sanctificari, est apud illos qui Domino per bonum amoris et verum fidei ex Verbo conjuncti sunt: quod ignis sit bonum amoris coelestis, videatur n: 934. 4906. 5071 f. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324. 7852. 9055; et quod suffimentum sit fides ex bono amoris, alibi ostendetur.

9376. Et septuaginta de senioribus Israëlis, quod significet praecipua vera Ecclesiae seu doctrinae concordantia cum bono, constat ex significatione septuaginta, quod sint plenum, ita omnia, de qua n: 6508; et ex significatione seniorum Israëlis, quod sint praecipua vera Ecclesiae concordantia cum bono, ita quae Verbi seu doctrinae e Verbo, quia illa omnia concordant cum bono; quod seniores Israëlis illa vera sint, videatur n: 6524. [3] 8578. 8585. Quod illa, quae ex Verbo sunt, concordent cum bono, est quia illa a Domino sunt, et inde in se coelum habent; et si credere velitis, in singulis Verbi est coelum in quo Dominus.

9377. Et incurvetis vos e longinquo, quod significet humiliationem et adorationem ex corde, et tunc influxum Domini, constat ex significatione incurvare se, quod sit humiliatio, de qua n: 2153. 5682. 6266. 7068; quod etiam sit adoratio, est quia essentiale omnis adorationis et omnis cultus est humiliatio, nam absque humiliatione Dominus non coli et adorari potest, ex causa quia Divinum Domini non potest influere in cor super-

bum, hoc est, in cor plenum amore sui, hoc enim est durum, et vocatur in Verbo lapideum, at in cor humile, quia hoc est molle, et vocatur in Verbo carneum, ita receptibile influxus boni a Domino, hoc est, Domini; inde est quod per incurvare se e longinquo, non modo significetur [4] humiliatio et adoratio ex corde, sed etiam influxus Domini tunc; influxus Domini dicitur, quia bonum amoris et fidei, quod influit a Domino, est Dominus. Quod e longinquo sit ex corde, est quia qui in humiliatione sunt, se removent a Domino, ex causa, quia se spectant indignos appropinquare ad Sanctissimum Divinum, sunt enim, cum in humiliatione, in agnitione sui quod sint non nisi quam malum, imo prophanum, ex se; cum ex corde id agnoscunt, tunc in vera humiliatione sunt; inde patet, quod per incurvetis vos e longinquo, significetur humiliatio et adoratio ex corde, et tunc influxus Domini. Ast populus Israëliticus non in tali humiliatione et adoratione fuit, sed illam per externos gestus modo repraesentabat; erant enim in externis absque internis: at usque cum se humiliabant, se ad terram prosternebant, et quoque volutabant in pulvere, atque magna voce clamabant, et ita per integros dies; qui non scit quid vera humiliatio, potuisset credere, quod id fuisset humiliatio cordis; sed non fuit humiliatio cordis spectantis Deum a Deo, sed spectantis Deum a se; et cor spectans a se est a malo, nam quicquid ab homine procedit ut a se, id malum est; erant enim in amore sui et mundi prae omnibus populis in universo, et se credebant sanctos, modo obtulerint sacrificium, aut laverint se aquis; non agnoscentes quod talia repraesentarent sanctitatem internam, quae est charitatis et fidei a Domino; omne enim sanctum non est hominis, sed est Domini apud hominem, n: 9229; qui se humiliant ex fide sanctitatis a se, et adorant ex amore Dei a se, illi ex amore sui se humiliant et adorant, ita ex corde duro et lapideo et non ex corde molli et carneo, et sunt in externis et non simul in internis, nam amor sui in externo homine habitat, nec potest intrare in internum, quoniam internus homo modo aperitur per amorem et fidem in Dominum, ita a Domino, qui inibi format coelum hominis, in quo habitat.

9378. Et appropinquabit Moscheh solus ille ad Jehovam, quod significet conjunctionem et praesentiam Domini per Verbum in communi, constat ex significatione appropinquare, quod

sit conjunctio et praesentia Domini, de qua sequitur; et ex repraesentatione Moschis, quod sit Verbum in communi, de qua supra n: 9372. Quod per appropinquabit Moscheh significetur conjunctio et praesentia Domini per Verbum, est quia appropinquare in spirituali sensu significat conjungi per amorem, nam qui se mutuo amant, conjunguntur; amor enim est conjunctio spiritualis: universale est in altera vita, quod omnes conjunguntur secundum amorem boni et veri a Domino; inde totum coelum est talis conjunctio: similiter se habet cum appropinquatione seu conjunctione cum Domino; qui Ipsum amant, illi conjunguntur Ipsi, usque adeo ut dicantur esse in Ipso, quum in Coelo; et omnes illi amant Dominum, proinde per amorem Ipsi conjunguntur, qui in bono vitae ex veris fidei sunt, quoniam bonum ex illis veris est a Domino, imo est Dominus, Johan: XIV: 20. 21. Ast sciendum, quod homo ex se non possit appropinquare ad Dominum, et conjungi Ipsi, sed Dominus appropinquabit ad hominem et conjungetur illi; et quia Dominus trahit hominem ad se, Joh: VI: 44. Cap: XII: 32, apparet sicut homo ex se appropinquet et se conjunget; hoc fit, quando homo desistit a malis, nam desistere a malis hominis arbitrio seu libero relictum est; influit tunc bonum a Domino, quod nusquam deest, inest enim ipsi vitae quae homini a Domino; sed cum vita tantum boni recipitur, quantum remota sunt mala. Quod per Verbum sit conjunctio et praesentia Domini, est quia Verbum est unio hominis cum Coelo et per Coelum cum Domino; Verbum enim est Divinum Verum procedens a Domino, quare qui quoad doctrinam et vitam, seu quoad fidem et amorem, in illo vero sunt, in Divino procedente a Domino sunt, ita conjuncti Ipsi. Ex his patet, quod per appropinquabit Moscheh, solus ille ad Jehovam, significetur conjunctio et praesentia Domini per Verbum. Quod appropinquare sit conjunctio et praesentia, est quia in altera vita distantiae unius ab altero se habent prorsus secundum dissimilitudines et diversitates interiorum, quae sunt cogitationis et affectionis, videantur n: 1273 ad 1277. 1376 ad 1381. 9104; remotiones etiam a Domino, et appropinquationes ad Ipsum se habent prorsus secundum bonum amoris et inde fidei ab Ipso et in Ipsum; inde est, quod coeli Domino propinqui sint secundum bona, ac vicissim infer-

na a Domino remota secundum mala; inde patet, unde est, quod propinquus esse et appropinquare in spirituali sensu sit conjungi, ut quoque in sequentibus locis; apud Davidem „*Propinquus Jehovah omnibus invocantibus Ipsum*, qui invocant Ipsum in veritate" Psalm: CXLV: 18, propinquus pro praesens et conjunctus: Apud Eundem „Beatus quem eligis, *et appropinquare facis;* habitabit atria mea" Psalm: LXV: 5, appropinquare facere pro conjungi: apud Eundem „Jehovah *appropinqua ad animam meam*, libera me" Psalm: LXIX: 19: apud Eundem „*Propinquus Jehovah fractis corde*" Psalm: XXXIV: 19. Apud Jeremiam „Audire faciant verba mea populum meum, et reducant [5] eos a via illorum mala, a malitia operum illorum, num *Deus e propinquo Ego*, et *non Deus e longinquo*" XXIII: 22. 23, quod Deus e propinquo dicatur illis qui desistunt a malis, et quod Deus e longinquo illis qui in malis, patet. Apud Moschen „Dixit Moscheh ad Aharonem, hoc quod loquutus est Jehovah, *in propinquis meis sanctificabor*" Levit: X: 3; in propinquis sanctificari est apud illos qui Domino per bonum amoris et verum fidei ex Verbo conjuncti sunt. Apud Jeremiam „Tunc erit Magnificus ejus ex illo, et Dominator ejus e medio illius exibit; et *appropinquare faciam Illum*, et *appropinquabit ad Me:* quis namque est Ille, despondit cor suum *ad appropinquandum ad Me*" XXX: 21, ibi de Domino, qui Magnificus et Dominator; appropinquare ad Jehovam, est uniri, nam appropinquatio Divini ad Divinum non aliud est quam unio.

9379. Et illi non appropinquabunt, quod significet non conjunctionem et praesentiam separatam, constat ex repraesentatione Aharonis, filiorum ejus Nadab et Abihu, et septuaginta seniorum, qui hic sunt illi qui non appropinquabunt, quod sint Verbum in sensu externo, Doctrina, et praecipua vera Ecclesiae, de qua supra n: 9374. 9375. 9376; et ex significatione appropinquare, quod sit conjunctio et praesentia Domini, de qua mox supra n: 9378, hic non conjunctio et praesentia, quia dicitur quod solus Moscheh appropinquabit et non illi; quod sit non conjunctio et praesentia separata, est quia per Moschen hic repraesentatur Verbum in communi seu Verbum in omni complexu, n: 9372, et quoque Verbum in sensu interno, n: 9374;

per Aharonem autem et ejus filios perque septuaginta seniores, repraesentatur Verbum in sensu externo, et quae inde sunt; haec quia separatim non conjungi possunt Domino, quoniam Dominus est Verbum in omni complexu, ideo dicitur non conjunctio et praesentia separata.

9380. Et populus non ascendet cum illo, quod significet plane non conjunctionem cum externo absque interno, constat ex significatione ascendere, quod sit conjunctio, ut supra n: 9373, hic non conjunctio, quia dicitur non ascendet: quod sit cum Verbi sensu externo absque interno, est, quia filii Jacobi, qui hic sunt populus, in externo absque interno erant, videatur n: 3479. 4281. 4293. 4307. 4429. 4433. 4680. 4844. 4847. 4865. 4868. 4874. 4899. [6] 4903. 4911. 4913. 6304. 8588. 8788. 8806. 8871. Quod in externo absque interno essent, patet manifeste ex cultu vituli aurei post quadraginta abhinc dies; aliter fecissent si simul in interno fuissent, hoc est, in bono amoris et fidei in Jehovam, hoc enim est internum; qui per hoc conjuncti sunt, illi non discedere possunt ad cultum idoli, cor enim procul ab illo est: et quia populus ille non aliter conjunctus fuit Domino, quam per externa, per quae repraesentarent interna, ideo dicitur, quod populus non ascendet, per quae significatur plane non conjunctio cum externo absque interno; repraesentationes, quae absque cognitione, fide et affectione interiorum, quae repraesentantur, conjungunt rem, non autem personam. Similiter se habet cum illis, qui in solo sensu literali Verbi manent, et nihil doctrinale inde colligunt; sunt enim separati a sensu interno, nam sensus internus est ipsum doctrinale; conjunctio Domini cum externis Verbi est per interiora ejus; quare si interiora separata sunt, non alia cum externis conjunctio Domini datur quam sicut cum gestu corporis absque corde concordante. Similiter quoque se habet cum illis, qui doctrinam suae Ecclesiae quoad singula perfecte sciunt et usque illa non applicant ad vitam; illi etiam in externis sunt absque interno; nam vera doctrinae sunt extra apud illos, cum non inscripta sunt eorum vitae: quod cum horum veris non sit conjunctio Domini, est quia Dominus intrat per vitam hominis in ejus fidei vera, ita per animam quae inest veris.

9381. Vers: 3. 4. 5. *Et venit Moscheh, et renuntiavit*

populo omnia verba Jehovae et omnia judicia, et respondit populus voce una, et dixerunt, omnia verba, quae loquutus est Jehovah, faciemus. Et scripsit Moscheh omnia verba Jehovae, et surrexit mane in matutino, et aedificavit altare sub monte, et duodecim statuas pro duodecim tribubus Israëlis. Et misit pueros filiorum Israëlis, et obtulerunt holocausta, et sacrificaverunt sacrificia pacifica Jehovae juvencos. Et venit Moscheh, et renuntiavit populo, significat illustrationem et informationem Domini per Divinum Verum quod ab Ipso: omnia verba Jehovae et omnia judicia, significat quae in Verbo vitae sunt in statu spirituali et naturali: et respondit omnis populus voce una, significat receptionem intellectu ab illis qui vere ab Ecclesia: et dixerunt, omnia verba, quae loquutus est Jehovah, faciemus, significat tunc receptionem corde: et scripsit Moscheh omnia verba Jehovae, significat impressionem tunc vitae: et surrexit mane in matutino, significat gaudium ex Domino: et aedificavit altare sub monte, significat repraesentativum Divini Humani Domini quoad Divinum Bonum ab Ipso: et duodecim statuas pro duodecim tribubus Israëlis, significat [repraesentativum] Divini Humani Domini quoad Verum Divinum quod ab Ipso in omni complexu: et misit pueros filiorum Israëlis, significat illa quae sunt innocentiae et charitatis: et obtulerunt holocausta et sacrificaverunt sacrificia pacifica Jehovae, juvencos, significat repraesentativum cultus Domini ex bono, et ex vero quod ex bono.

9382. Et venit Moscheh et renuntiavit populo, quod significet illustrationem et informationem Domini per Divinum Verum, quod ab Ipso, constat ex repraesentatione Moschis, quod sit Dominus quoad Verbum, ita quoad Divinum Verum, nam hoc est Verbum, de qua supra n: 9372; ex significatione venire, cum de Domino quoad Verbum seu Divinum Verum, quod repraesentatur per Moschen, quod sit illustratio, nam cum Dominus venit, seu praesens est in Verbo, est illustratio; et ex significatione renuntiare, quod sit informatio; inde patet, quod per venit Moscheh et renuntiavit populo, significetur illustratio et informatio Domini per Divinum Verum. Quomodo se habet cum illustratione et informatione ex Verbo etiam hic paucis dicetur; quisque illustratur et informatur ex Verbo secundum af-

fectionem veri et desiderii ejus gradum, ac secundum facultatem recipiendi; qui in illustratione sunt, illi quoad internum suum hominem in luce coeli sunt; nam lux coeli est quae illustrat hominem in veris et bonis fidei, n: 8707. 8861; qui ita illuminantur, illi Verbum secundum interiora ejus capiunt; quapropter illi ex Verbo doctrinam sibi faciunt, ad quam applicant sensum literae: ast qui non in affectione veri ex bono sunt et inde in desiderio sapiendi, illi plus occaecantur quam illustrantur cum legunt Verbum, nam non in luce coeli sunt; et ex luce mundi, quae lumen naturae vocatur, non vident nisi talia quae concordant cum mundanis, et sic ex fallaciis, in quibus sunt sensus externi, falsa arripiunt, quae apparent illis sicut vera; plurimi inde sibi nullam doctrinam faciunt, sed in sensu literae manent, quem applicant ad favendum falsis, imprimis talibus quae cum amoribus sui et mundi concordant; at qui non tales sunt, illi modo confirmant doctrinalia suae Ecclesiae, et non curant nec sciunt num sint vera vel falsa, de quibus videatur n: 4741. 5033. 6865. 7012. 7680. 7950. 8521. 8780: inde patet, quinam sunt qui ex Verbo illustrantur et quinam qui occaecantur; quod nempe illi illustrentur qui in amoribus coelestibus sunt, nam amores coelestes recipiunt, et quasi spongiae imbibunt vera coeli, conjunguntur etiam ex se sicut anima et corpus; vicissim autem illi occaecantur qui in amoribus mundanis sunt, quoniam hi amores recipiunt et quasi spongiae imbibunt falsa, et conjunguntur etiam ex se: bonum enim et verum concordant, et vice versa malum et falsum; quapropter conjunctio mali et falsi vocatur conjugium infernale, quod est ipsum infernum; et conjunctio boni et veri vocatur conjugium coeleste, quod est ipsum coelum. Quod Verbum sit ex quo illustratio et informatio, est quia id in prima origine est ipsum Verum Divinum procedens a Domino, et in descensu in mundum accommodatum omnibus coelis, inde est, cum homo, cui amor coelestis, legit Verbum, quod per illud conjungatur coelo, et per coelum Domino, inde illustratio et informatio: aliter cum homo, cui amor mundanus, legit Verbum, apud illum non est conjunctio coeli, quapropter ei non illustratio et informatio: quod per Verbum sit unio coeli et mundi, ita Domini cum Genere humano, videatur n: 9212 fin: 9216 fin: 9357.

9383. Omnia verba Jehovae et omnia judicia, quod significet quae in Verbo vitae sunt in statu spirituali et naturali, constat ex significatione verborum Jehovae, quod sint quae in Verbo vitae sunt in statu spirituali, de qua sequitur; et ex significatione judiciorum, quod sint quae in Verbo vitae sunt in statu naturali. Dicitur in statu spirituali et in statu naturali, quia apud unumquemvis hominem in genere bini status sunt; unus qui peculiaris et proprius est Interno homini, qui status spiritualis vocatur; alter qui peculiaris et proprius est Externo homini, qui status naturalis vocatur: quod status Interni hominis dicatur spiritualis, est quia ille afficitur veris quae sunt lucis coeli, et afficitur bono, quod est caloris illius lucis, qui est amor; illa lux vocatur lux spiritualis, quia illuminat intellectuale, et ille calor vocatur calor spiritualis, qui est amor, et accendit voluntarium; inde est, quod status Interni hominis dicatur status spiritualis: quod autem status Externi hominis dicatur naturalis, est quia ille afficitur veris quae sunt lucis mundi, et bono quod est caloris illius lucis, qui etiam est amor, sed amor talium quae in mundo sunt; omnis enim calor vitae est amor; inde est quod status Externi hominis dicatur naturalis: illa quae sunt vitae in statu naturali, intelliguntur per judicia, quae autem sunt vitae in statu spirituali, intelliguntur per verba Jehovae. Quod sint quae ex Verbo, est quia ibi sunt omnia quae vitae sunt, in se enim ipsam vitam habent, quoniam ibi est Divinum Verum quod processit et quod procedit ex Domino, Qui est ipsa vita. Quod omnia quae in Verbo sint vitae, inde est, tum quod omnia ibi se referant ad vitam, ut constare potest ex binis praeceptis, super quibus omnia Verbi fundantur, de quibus apud Matthaeum « Jesus dixit, amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua; hoc est primarium et magnum praeceptum: Secundum simile est illi, amabis proximum tuum sicut teipsum: in his duobus praeceptis Lex et Prophetae pendent » XXII: 35. 36. 37. 38. Marc: XII: 29. 30. 31; amare Deum et proximum est vitae, quia omne vitae est amoris, usque adeo ut absque amore nulla sit vita, et qualis amor talis vita; Lex et Prophetae sunt totum Verbum.

9384. Et respondit omnis populus voce una, quod signi-

ficet receptionem intellectu ab illis qui vere ab Ecclesia, constat ex significatione respondere voce una, quod sit receptio intellectu, respondere enim est receptio, n: 2941. 2957; et vox est confessio quae prodit ex intellectu, nam quae oris sunt, et inde loquelae seu vocis correspondent parti intellectuali, ex ea parte etiam vox seu loquela procedit, ipsa vero affectio loquelae, quae [7] est ex fine qui intenditur, seu ex amore qui vivificat, procedit ex parte voluntaria; et ex significatione filiorum Israëlis, qui hic sunt populus, quod sint Ecclesia, de qua n: 9340, ita qui vere ab Ecclesia: inde patet, quod [per] respondit populus voce una, significetur receptio intellectu ab illis qui vere ab Ecclesia.

9385. Et dixerunt, omnia verba, quae loquutus est Jehovah, faciemus, [quod significet tunc receptionem corde,] constat ex significatione verborum quae loquutus Jehovah, quod sint vera ex Verbo quae vitae sunt, ut supra n: 9383; et ex significatione facere, quod sit receptio a parte voluntaria, de qua n: 9282, ita receptio corde, nam cor in Verbo est voluntas, n: 7542. 8910. 9050. 9113. 9300; quod per haec verba significetur receptio voluntate, et per mox praecedentia receptio intellectu, est quia in omnibus et singulis Verbi est conjugium veri et boni, n: 9263, ita conjugium coeleste, quod est coelum, et in supremo sensu Ipse Dominus; et verum se refert ad intellectum, ac bonum ad voluntatem.

9386. Et scripsit Moscheh omnia verba Jehovae, quod significet impressionem tunc vitae, constat ex significatione scribere, quod sit imprimere vitae, de qua sequitur; ex repraesentatione Moschis, quod sit Dominus quoad Verbum, ut supra n: 9372. 9382; et ex significatione omnium verborum Jehovae, quod sint vera ex Verbo, de qua etiam supra n: 9383; inde patet, quod per scripsit Moscheh omnia verba Jehovae significentur vera Divina impressa vitae a Domino. Vera dicuntur impressa vitae, quando fiunt voluntatis et inde actus; quamdiu solum in memoria haerent, et quamdiu solum spectantur intellectualiter, tamdiu non impressa vitae sunt, sed ut primum recipiuntur voluntate, tunc fiunt vitae, quoniam ipsum esse vitae hominis est velle et inde agere; prius nec appropriata sunt homini. Quod scribere sit imprimere vitae, est quia scripturae sunt ob reminiscentiam in omnem posteritatem; similiter quae

impressa sunt hominis vitae: sunt homini bini quasi libri, quibus inscripta sunt omnia ejus cogitata et acta; libri illi sunt binae ejus memoriae, exterior et interior; quae inscripta sunt ejus memoriae interiori, illa in omnem aeternitatem permanent, nec usquam delentur; sunt praecipue illa quae voluntatis facta sunt, hoc est, quae amoris, nam quae amoris sunt, voluntatis sunt: illa memoria est, quae intelligitur per Librum vitae cujusvis, videatur n: 2474.

9387. Surrexit mane in matutino, quod significet gaudium ex Domino, constat ex significatione surgere, quod involvat elevationem versus superiora, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171. 4103; et ex significatione mane et matutini, quod sit Dominus, et quae ab Ipso, ut Pax, Innocentia, Amor, Gaudium, de qua n: 2405. 2780. 7681. 8426. 8812: Quod mane et matutinum illa significent, est quia vices anni, quae sunt Ver, Aestas, Autumnus et Hyems; ut et vices diei, quae sunt mane, meridies, vespera et nox, correspondent totidem statibus in coelo; inde Mane correspondet Adventui et praesentiae Domini, quae est, quando Angelus in statu pacis, innocentiae et amoris coelestis est, et inde in gaudio: de his Correspondentiis videatur n: 5672. 5962. 6110. 8426. 9213.

9388. Et aedificavit altare sub monte, quod significet repraesentativum Divini Humani Domini quoad Divinum Bonum ab Ipso, constat ex significatione Altaris, quod sit repraesentativum Divini Humani Domini, de qua n: 921. 2777. 2811. 4489, et inde principale repraesentativum cultus Domini, n: 4541. 8935. 8940; et ex significatione Montis, quod sit bonum amoris, de qua n: 4210. 6435. 8327. 8658. 8758, hic Divinum Bonum amoris procedens a Domino, quia erat Mons Sinai, ubi tunc Dominus; quod Mons Sinai sit Divinum Bonum unitum Divino Vero a Domino, videatur n: 8805.

9389. Et duodecim statuas pro duodecim tribubus Israëlis, quod significet repraesentativum Divini Humani Domini quoad Verum Divinum quod ab Ipso in omni complexu, constat ex significatione statuae, quod sit repraesentativum Divini Humani Domini quoad Verum, quod id per statuam significetur, est quia per Altare significatur repraesentativum Divini Humani Domini quoad bonum, et statua in sensu repraesentativo est

sanctum Veri quod a Domino, n: 4580. 4582; et ex significatione duodecim ac duodecim tribuum, quod sint omnia vera et bona in complexu, de qua n: 577. 2089. 3858. 3913. 3926. 3939. 4060. 6335. 6337. 6397. 6640. 7973, ita quae a Domino. Quod Divinum Humanum Domini per Altare et per statuas significetur, est quia omnia repraesentativa Ecclesiae, de quibus in Verbo, in supremo sensu spectant Ipsum Dominum, quapropter etiam Verbum in suo intimo et supremo sensu agit de solo Domino, ac imprimis de glorificatione Humani Ipsius; inde omne sanctum Verbi; sed is sensus sistitur imprimis in intimo seu tertio Coelo, ubi sunt illi qui in amore in Dominum, ac inde in sapientia prae reliquis.

9390. Et misit pueros filiorum Israëlis, quod significet illa quae sunt innocentiae et charitatis, constat ex significatione puerorum filiorum Israëlis, quod sint quae innocentiae et charitatis apud illos qui ab Ecclesia; per lactentes enim, infantes et pueros significantur illi qui in innocentia et charitate, seu abstracte a personis illa quae sunt innocentiae et charitatis, n: 430. 5236, et per filios Israëlis significantur illi qui ab Ecclesia, seu abstracte a personis Ecclesiae, n: 9340.

9391. Et obtulerunt holocausta et sacrificaverunt sacrificia pacifica Jehovae juvencos, quod significet repraesentativum cultus Domini ex bono et ex vero quod ex bono, constat ex repraesentatione holocaustorum et sacrificiorum, quod sint cultus Domini in genere, de qua n: 922. 6905. 8936, et in specie quod holocausta sint cultus Domini ex bono amoris, et sacrificia ex vero fidei quod ex bono, n: 8680; [8] et ex significatione Juvencorum, quod sint bonum innocentiae et charitatis in externo seu naturali homine, de qua sequitur; bestiae, quae sacrificabantur, significabant quale boni et veri ex quibus cultus, n: 922. 1823. 2180. 3519; quod bestiae mites et utiles significent coelestia quae boni amoris, et spiritualia quae veri fidei, et quod ideo in sacrificiis adhibitae fuerint, videatur n: 9280. Quod juvencus significet bonum innocentiae et charitatis in externo seu naturali homine, est quia illa quae ex armento erant, significabant affectiones boni et veri in externo seu naturali homine, et illa quae ex grege affectiones boni et veri in interno seu spirituali homine, n: 2566. 5913. 6048. 8937. 9135; quae

ex grege, erant agni, caprae, oves, arietes, hirci, et quae ex armento, erant boves, juvenci, vituli; agni et oves significabant bonum innocentiae et charitatis in interno seu spirituali homine, inde vituli et juvenci, quia in teneriore aetate quam boves erant, significabant simile in externo seu naturali homine. Quod juvenci et vituli id bonum significent, constat a locis in Verbo ubi nominantur; ut apud Ezechielem „Pedes quatuor Animalium, pes rectus, et vola pedum eorum *quasi vola pedis vituli*, iique micantes sicut species aeris laevigati" I: 7; ibi de Cherubis, qui describuntur per quatuor Animalia; quod Cherubi sint custodia seu Providentia Domini ne ad Ipsum sit aditus quam per bonum, videatur n: 9277 fin: bonum externum seu naturale repraesentabatur per pedem dextrum, et per volam pedum quod esset quasi vola pedis vituli: pedes enim significant illa quae sunt naturalis hominis, pes rectus illa quae sunt boni, et vola pedum quae sunt ultima, in naturali homine; quod pedes illa significent, videatur n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952. 5327. 5328, et calcanei, plantae, volae et ungulae sint ultima in naturali homine, n: 4938. 7729; quod volae pedum micuerint sicut species aeris laevigati, erat quia aes significat bonum naturale, n: 425. 1551, et aes micans sicut laevigatum, bonum a luce coeli, quae est Verum Divinum procedens a Domino, splendens: ex his patet, quod per vitulum significetur bonum externi seu naturalis hominis. Similiter apud Johannem „Circa thronum erant quatuor Animalia plena oculis ante et retro; et Primum Animal simile leoni, *Alterum vero Animal simile vitulo;* Tertium autem Animal habens faciem sicut homo; Quartum denique animal simile Aquilae volanti" Apoc: IV: 6. 7; hic quoque per quatuor Animalia, quae sunt Cherubi, significatur Custodia et Providentia Domini, ne adeatur nisi per bonum amoris; ipsa custodia fit per verum et inde bonum, et per bonum et inde verum; verum et inde bonum in externa forma, significantur per leonem et vitulum, ac bonum et inde verum in interna forma per faciem hominis et aquilam volantem; quod leo sit verum ex bono in sua potentia, videatur n: 6367, inde vitulus ipsum bonum inde. Apud Hoscheam „Revertimini ad Jehovam, dicite ad Ipsum, omnem aufer iniquitatem, et *accipe bonum*, et *re-*

pendemus juvencos labiorum nostrorum » XIV: 3; quid sit retribuere juvencos labiorum, nemo scire potest nisi sciat quid significant juvenci et quid labia, quod sit confessio et gratiarum actio ex bono corde patet, nam dicitur revertimini ad Jehovam, et dicite ad Ipsum, accipe bonum, et tunc, retribuemus juvencos labiorum, pro ex bonis doctrinae Jehovam confiteri, et Ipsi gratias agere; labia enim sunt quae doctrinae, n: 1286. 1288. Apud Amos « Attrahitis habitationem violentiae, cubant super lectis eboris, et edunt agnos de grege, et *vitulos e medio saginarii* » VI: 3. 4; describuntur ibi illi, qui in abundantia cognitionum boni et veri sunt, et usque male vivunt; edere agnos de grege, est discere et appropriare sibi bona innocentiae quae interni seu spiritualis hominis; edere vitulos e medio saginarii, pro discere et appropriare sibi bona innocentiae quae externi seu naturalis hominis; quod edere sit appropriare, videatur n: 3168. 3513 fin: 3596. 3832. 4745; quod Agni sint bona innocentiae, n: 3994. 3519. 7840; quia agni sunt bona innocentiae interiora, sequitur, quod vituli e medio saginarii sint bona innocentiae exteriora; nam in Verbo imprimis prophetico familiare est agere de Vero ubi de bono, ob conjugium coeleste, n: 9263. 9314, et quoque dicere de externis ubi de internis; etiam saginarium et pingue significat bonum amoris interioris, n: 5943: pariter apud Malachiam « Exorietur vobis, timentes Nominis Mei, sol justitiae, et sanitas in alis; *ut exeatis et crescatis sicut vituli saginarii* » III: 20. Apud Lucam « Pater de filio prodigo, qui reversus poenitentiam cordis egit; efferte stolam primariam, et induite eum, et date annulum in manum ejus, et calceos in pedes; insuper *adducite vitulum saginatum*, et mactate, ut comedentes laetemur » XV: 22. 23; qui modo sensum literae capit, credet, quod non altiora hic lateant, cum tamen singula involvunt coelestia, sicut quod induerent illum stola primaria, quod darent annulum in manum ejus, et calceos in pedes, et adducerent vitulum saginatum, et mactarent, ut comedentes laetarentur; per filium prodigum intelliguntur qui divitias coelestes, quae sunt cognitiones boni et veri, prodegerunt; per reditum ejus ad patrem, et confessionem quod non dignus esset vocari filius ejus, significatur poenitentia cordis et humiliatio; per stolam primariam qua indueretur significantur

communia vera, n: 4545. 5248. 5319. 5954. 6914. 6917. 9093. 9212. 9216; et per vitulum saginatum communia bona veris illis correspondentia. Simile per vitulos et juvencos significatur alibi, ut Esai: XI: 6. Ezech: XXXIX: 18. Psalm: XXIX: 6. Psalm: LXIX: 32; tum in holocaustis et sacrificiis, Exod: XXIX: 11. 12 seq: Levit: IV: 3 seq: 13 seq: Cap: VIII: 15 seq: Cap: IX: 2. Cap: XVI: 3. Cap: XXIII: 18. Num: VIII: 8 seq: Cap: XV: 24 seq: Cap: XXVIII: 19. 20. Judic: VI: 25 ad 29. I Sam: I: 25. Cap: XVI: 2. I Reg: XVIII: 23 ad 26. 33. Quod filii Israëlis fecerint sibi vitulum aureum, et eum pro Jehovah coluerint, Exod: XXXII: 1 ad fin: causa fuit, quia in corde eorum permansit idololatria Aegyptiaca, tametsi ore confessi sunt Jehovam: in Aegypto inter idola fuerunt praecipua Vitulae ac Vituli ex auro, ob causam quia vitula significabat Verum scientificum, quod est Verum naturalis hominis, et Vitulus bonum ejus, quod est bonum naturalis hominis, tum quia aurum significabat bonum; hoc bonum et id verum in effigie sistebantur ibi per Vitulos et Vitulas ex auro; at cum repraesentativa coelestium ibi versa sunt in idololatrica et demum in magica, tunc ibi sicut alibi, ipsae effigies, quae repraesentabant, factae sunt idola, et coeperunt coli; inde idololatriae veterum, et magiae Aegyptiacae: Antiqua enim Ecclesia, quae successit Antiquissimae, fuit Ecclesia repraesentativa, cujus omnis cultus constabat in ritibus, statutis, judiciis, et praeceptis, quae repraesentabant Divina et coelestia, quae sunt interiora Ecclesiae: illa Ecclesia post diluvium per multum orbis Asiatici extensa fuit, et quoque in Aegypto fuit; sed in Aegypto excolebantur scientifica illius Ecclesiae, unde illis scientia correspondentiarum et repraesentationum prae reliquis, ut constare potest ex Hieroglyphicis, exque magiis, et idolis ibi, tum ex variis quae de Aegypto memorantur in Verbo; inde est, quod per Aegyptum in Verbo significetur Scientificum in genere tam quoad verum quam quoad bonum, tum Naturale, nam Scientificum est naturalis hominis; hoc etiam Vitula et Vitulus significabant. Quod Ecclesia Antiqua, quae fuit repraesentativa, per plura regna extensa fuerit, et quoque quod fuerit in Aegypto, videatur n: 1238. 2385. 7097: quod scientifica Ecclesiae imprimis in Aegypto exculta fuerint, et quod ideo per Aegy-

ptum in Verbo significetur Scientificum in utroque sensu, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. 5700. 5702. 6004. 6015. 6125. 6651. 6679. 6683. 6692. 6693. 6750. 7779. 7926: et quia Verum scientificum et ejus bonum est verum et bonum naturalis hominis, quod ideo etiam per Aegyptum in Verbo significetur Naturale, n: 4967. 5079. 5080. 5095. 5160. [9] 5276. 5278. 5280. 5288. 5301. 6004. 6015. 6147. 6252: ex his nunc patet, quod vitulae et vituli inter primaria idola Aegypti fuerint, ob causam, quia vitulae et vituli significabant Verum scientificum, et ejus bonum, quae sunt naturalis hominis, simile cum ipsa Aegypto, sic ut Aegyptus et Vitulus ejusdem significationis essent; quapropter de Aegypto ita dicitur apud Jeremiam « *Vitula pulcherrima Aegyptus*, excidium e septentrione venit; et mercenarii ejus in medio ejus sicut *Vituli saginarii* » XLVI: 20. 21, vitula est Verum scientificum quod Naturalis hominis, mercenarii, qui vituli, sunt qui bonum propter lucrum faciunt, n: 8002; ita vituli sunt bonum tale, quod non in se bonum est, sed jucundum naturalis hominis separati a spirituali; hoc jucundum est in quo fuerunt filii Jacobi, quod in se idololatricum est; quapropter illis permissum fuit id notum facere et testari per adorationem Vituli, Exod: XXXII: 1 ad fin: id quoque ita describitur apud Davidem « *Fecerunt Vitulum in Chorebo*, et incurvaverunt se fusili, et permutarunt gloriam in effigiem bovis comedentis herbam » Psalm: CVI: 19. 20; per facere vitulum in Chorebo et incurvare se fusili, significatur cultus idololatricus, qui est rituum, statutorum, judiciorum, et praeceptorum, solum in externa forma, et non simul in interna; quod Gens illa in externis absque interno fuerit, videatur n: 9320 f: 9373. 9377. 9380. 9381; et quod sic corde suo idololatrica, n: 3732 fin: 4208. 4281. 4825. 5998. 7401. 8301. 8871. 8882; quod permutaverint gloriam in effigiem bovis comedentis herbam, significat quod abalienaverint se ab internis Verbi et Ecclesiae, et coluerint externum, quod modo est scientificum absque vita; Gloria enim est internum Verbi et Ecclesiae, videatur Praefatio ad Cap: XVIII: Genes: n: 5922. 8267. 8427; effigies bovis est simulachrum boni, in forma externa, effigies enim est simulachrum, ita quod absque vita, et bos est bonum in natu-

rali, ita in externa forma, n: 2566. 2781. 9135; comedere herbam, est appropriare sibi illud modo scientifice, comedere enim est appropriare, n: 3168. 3513 f: 3596. 4745; et herba est scientificum, n: 7571. Quia talia per vitulum aureum, qui pro Jehovah colebatur a filiis Israëlis, significabantur, ideo Moscheh sequente modo cum illo procedebat „Peccatum vestrum, [vitulum,] quod fecistis, sumsi, et combussi eum igne, et contudi eum molendo probe, usque dum attenuatus est in pulverem, et pulverem ejus projeci in rivum descendentem e monte" Deut: IX: 21; cur ita, cum vitulo aureo factum sit, nemo scit, nisi sciat quid significat comburi igne, contudi, moli, et attenuari in pulverem, et quid rivus descendens e monte in quem pulvis projiciebatur; describitur status illorum qui colunt externa absque interno, quod nempe sint in malis amorum sui et mundi, ac in falsis inde quoad illa quae a Divino, ita quoad Verbum; ignis enim quo comburebatur est malum amoris sui et mundi, n: 1297. 1861. 2446. 5071. 5215. 6314. 6832. 7324. 7575; pulvis in quem contusus est falsum inde confirmatum ex sensu literae Verbi; et rivus ex monte Sinai est Verum Divinum, ita Verbum in litera, hoc enim descendit inde; qui enim in externis sunt absque interno, Verbum ad favorem suorum amorum explicant, et inibi terrestria et prorsus non coelestia vident, sicut Israëlitae et Judaei olim et quoque hodie. Similia etiam repraesentata sunt per vitulos Jerobeami in Bethele et in Dane, I Reg: XII: 26 ad fin: et II Reg: XVII: 16, de quibus ita apud Hoscheam „Regem fecerunt, et non a Me, principes fecerunt et non novi; Argentum suum et aurum suum fecerunt idola, ut excidatur: *deseruit vitulus tuus*, Samaria, nam ex Israël etiam ille, faber fecit eum, et non deus ille, *quia in frusta fiet vitulus Samariae*" VIII: 4. 5. 6; agitur ibi de perverso intellectu et prava explicatione Verbi ab illis qui in externis sunt absque interno, manent enim in Verbi sensu literae, quem trahunt ad favendum suis amoribus et principiis inde captis; regem facere et non a Me, et principes facere et non novi, est verum et primaria vera excludere ex proprio lumine et non a Divino, rex enim in sensu interno est verum, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148; et principes sunt primaria vera, n: 1482. 2089. 5044; Argentum et au-

rum suum facere idola, est scientifica veri et boni ex Verbi sensu literae pervertere ad favorem suarum cupiditatum, et usque illa ut sancta colere, tametsi, quia ex propria intelligentia, absque vita sunt; argentum enim est verum et aurum est bonum quae a Divino, ita quae sunt Verbi, n: 1551. 2954. 5658. 6914. 6917. 8932, et idola sunt doctrinalia ex propria intelligentia, quae ut sancta coluntur, et tamen nullam in se vitam habent, n: 8941; inde patet quod per regem et principes, tum per argentum et aurum significentur falsa ex malo, nam quae ex proprio sunt, ex malo sunt, et inde falsa sunt, tametsi extrinsecus apparent ut vera, quia ex Verbi sensu literae desumta; inde patet, quid Vitulus Samariae, quem faber fecit, significat, quod nempe bonum in naturali homine, et non simul in spirituali, ita non bonum, quia applicatum ad malum; faber fecit et non Deus, est quod ex proprio et non ex Divino; in frusta fieri est dissipari Similia intelliguntur per vitulos apud Hoscheam „Addunt peccare, et faciunt sibi fusile ex argento suo, in intelligentia sua idola, opus artificum totum, illis dicentes, sacrificantes hominem, *vitulos osculantes*" XIII: 2. Ex his nunc patet, quid Vitulus et Juvencus significant in sequentibus his locis; apud Esaiam „Descendent unicornes cum illis, et *Juvenci cum robustis*, et ebria fiet terra eorum a sanguine, et pulvis eorum [10] ab adipe pinguefiet" XXXIV: 7. Apud Eundem „Urbs munita solitaria, habitaculum dimissum et derelictum velut desertum, ibi *pascet vitulus*, et *ibi cubabit,* et consumet ramos ejus, exarescet messis ejus" XXVII: 10. Apud Jeremiam „A clamore Chesbonis usque ad Elealeh, usque ad Jahaz, ediderunt vocem suam, a Zoare usque ad Choronaim, *vitula triennis*, quia etiam aquae Nimrim in desolationes erunt" XLVIII: 34. Apud Esaiam „Cor meum super Moabo clamat, profugi ejus usque ad Zoar, *vitula triennis,* nam in ascensu Luchith ascendet cum fletu" XV: 5. Apud Hoscheam „Ephraim *vitula edocta* amans triturare" X: 11. Apud Davidem „Increpa feram arundinis, congregationem fortium, inter *vitulos populorum*, conculcans fragmenta argenti, dispersit populos, bella desiderant" Psalm: LXVIII: 31; agitur hic de arrogantia illorum, qui ex scientificis intrare volunt in mysteria fidei, et non quicquam agnoscere quam quod ipsi inde

excludunt; hi quia nihil ex luce coeli quae ex Domino, sed ex lumine naturae quod ex proprio vident, umbras arripiunt loco lucis, fallacias loco realium, in genere falsum loco veri; illi quia insane cogitant quoniam ex infimis, vocantur fera arundinis, et quia acriter ratiocinantur vocantur congregatio fortium, et quia dissipant vera adhuc residua et sparsa inter bona illorum qui in veris Ecclesiae, dicitur de illis quod conculcent fragmenta argenti inter vitulos populorum, et porro quod dispergant populos, hoc est, ipsam Ecclesiam cum suis veris, cupido oppugnandi et destruendi illa intelligitur per bella desiderare; ex his iterum patet, quod vituli sint bona. Apud Sachariam Cap: XII: 4, [11] dicitur, *omnem Equum populorum* percutiam caecitate, et per equum populorum significantur intellectualia veri apud illos qui ab Ecclesia, quia Equus est intellectuale veri, n: 2761; hic autem dicitur, conculcare fragmenta argenti et dispergere populos *inter vitulos populorum*, et per conculcare et dispergere significatur dejicere et dissipare, n: 258, per argentum, verum, n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 7999. 8932, et per populos illi qui ab Ecclesia in veris, n: 2928. 7207, ita quoque vera Ecclesiae, n: 1259. 1260. 3295. 3581, ita per Vitulos populorum significantur bona quae voluntarii apud illos qui ab Ecclesia. Porro quod Vituli significent bona, constat apud Jeremiam „Dabo viros transgressos *foedus* meum, qui non stabiliverunt verba *foederis*, quod fecierunt coram Me, *Vituli*, quem conciderunt in duas, ut transirent inter partes ejus, principes Jehudae, et principes Hierosolymae, ministros regios et sacerdotes, et omnem populum terrae, *transeuntes inter partes vituli*, et dabo illos in manum hostium eorum, ut sit cadaver eorum in cibum avi coelorum, et bestiae terrae" XXXIV: 18. 19. 20, quid sit foedus vituli, et quid transire inter partes ejus, nemo scire potest nisi sciat quid significat foedus, quid vitulus, quid sectio ejus in duas partes, tum quid principes Jehudae et Hierosolymae, ministri regii, sacerdotes, et populus terrae, patet quod arcanum coeleste sit; hoc usque prodire ad intellectum potest, cum scitur, quod foedus sit conjunctio, vitulus bonum, vitulus sectus in duas partes, bonum procedens a Domino ab una parte, et bonum receptum ab homine ab altera, et quod principes Jehudae et Hierosolymae, ac ministri

regii et sacerdotes, ac populus terrae, sint vera et bona quae Ecclesiae ex Verbo, et quod transire inter partes sit conjungere; ex his cognitis, patet, quod sensus internus horum verborum sit, quod nulla esset conjunctio boni procedentis a Domino cum bono recepto ab homine per Verbum, et inde per vera et bona Ecclesiae, apud illam gentem, sed quod disjunctio, ex causa quia in externis erant absque interno; simile involvit *foedus vituli* cum Abramo, de quo ita in Libro Geneseos „Jehovah dixit ad Abramum, *accipe tibi vitulam triennem*, et capram triennem, et arietem triennem, et turturem et pullum, et accepit sibi omnia illa, et partitus est illa in medium, et dedit quamvis partem suam obviam alteri; et volucrem non partitus: et descendit volatile super corpora, et abegit illa Abram: et fuit sol ad occidendum, et sopor cecidit super Abram, et ecce terror tenebrarum magnarum cadens super illum, et in die illo pepigit Jehovah cum Abramo foedus" XV: 9. 10. 11. 12. 18; terror tenebrarum magnarum cadens super Abramum significabat statum gentis Judaicae, quod in maximis tenebris essent quoad vera et bona Ecclesiae ex Verbo, quia in externis absque interno, et inde in cultu idololatrico; nam qui in externis absque interno est, in cultu idololatrico est, quoniam cor ejus et anima ejus, cum in cultu, non est in coelo, sed in mundo, et non colit sancta Verbi ex amore coelesti, sed ex amore terrestri: hic status gentis illius est, qui per foedus vituli, quem conciderunt in duas partes, inter quas transiverunt, apud Prophetam descriptus est.

9392. Vers. 6. 7. 8. *Et accepit Moscheh dimidium sanguinis, et posuit in crateribus, et dimidium sanguinis sparsit super altare. Et accepit Librum foederis, et legit in auribus populi, et dixerunt, omnia quae loquutus Jehovah, faciemus et audiemus. Et accepit Moscheh sanguinem, et sparsit super populum, et dixit, ecce sanguis foederis, quod pepigit Jehovah cum vobis super omnia verba haec.* Et accepit Moscheh dimidium sanguinis, significat Divinum Verum quod factum vitae et cultus: et posuit in crateribus, significat apud hominem in ejus memoriae rebus: et dimidium sanguinis sparsit super altare, significat Divinum Verum a Domini Divino Humano: et accepit librum foederis, significat Verbum in litera cum quo

conjunctum est Verbum in Coelo: et legit in auribus populi, significat ad auscultationem et obedientiam: et dixerunt, omnia quae loquutus Jehovah faciemus et audiemus, significat receptionem Veri procedentis a Divino Humano Domini et obedientiam ex corde et anima: et accepit Moscheh sanguinem, et sparsit super populum, significat adaptationem ad recipiendum ab homine: et dixit, ecce sanguis foederis, significat per id conjunctionem Domini quoad Divinum Humanum cum coelo et cum terra: quod pepigit Jehovah cum vobis super omnia verba haec, significat quod conjunctio cum Domino per omnia et singula Verbi.

9393. Et accepit Moscheh dimidium sanguinis, quod significet Divinum Verum quod factum vitae et cultus, constat ex significatione sanguinis, quod sit Divinum Verum procedens a Domino, de qua n: 4735. 6978. [12] 7317. 7326. 7850 9127; quod sit Divinum Verum quod factum vitae et cultus, est quia erat ille sanguis quem Moscheh sparsit super populum, Vers: 8, per quem sanguinem significatur Divinum Verum receptum ab homine, ita quod factum vitae et cultus; nam id Verum dicitur receptum ab homine, quod fit vitae et sic cultus; et tunc fit vitae et cultus, quando homo afficitur illo, seu amat illud, seu, quod idem est, vult illud, et ex velle, ita ex amore et affectione facit illud, prius quidem est apud hominem in ejus memoria, et inde evocatur quandoque ad visum internum seu intellectum, a quo iterum relabitur in memoriam; sed quamdiu Verum Divinum non interius intraverat, est quidem apud hominem at usque non implantatum vitae et voluntati, nam vita hominis est ejus voluntas; quapropter cum verum evocatur e memoria in intellectum, et ab intellectu intrat voluntatem, et a voluntate exit in actum, tunc verum fit vitae hominis, et vocatur bonum: ex his patet, quid intelligitur per Divinum Verum factum vitae: similiter se habet cum vero quod fit cultus; cultus ex vero quod solum haeret in memoria, et inde apparet in intellectu, non est cultus; sed cultus ex vero quod exit ex voluntate, ita ex affectione et amore, est cultus; hic cultus in Verbo vocatur cultus ex corde, ille autem cultus solius oris. Ostensum quidem est prius in locis citatis, quod Sanguis sit Divinum Verum procedens a Domino; sed quia plerique ab Ecclesia hodie non aliud per Sanguinem in Sancta coena capiunt, quam sanguinem Do-

mini effusum super cruce, et in generaliori sensu ipsam passionem crucis, ideo licet adhuc paucis ostendere, quod non sit sanguis qui ibi intelligitur, sed Divinum Verum procedens a Domino: causa, quod hoc intra Ecclesiam ignoretur, est quia prorsus nihil scitur hodie de Correspondentiis, consequenter nec de sensu interno Verbi, qui est sensus in quo sunt Angeli cum ab homine legitur Verbum: quod Sanguis non sit sanguis sed Verum Divinum, constare potest ex pluribus locis in Verbo, et manifeste ab hoc apud Ezechielem « Dic avi omnis alae, et omni ferae agri, congregamini et venite, congregate vos a circuitu super sacrificium meum, quod Ego sacrifico vobis, ut *comedatis carnem*, et *bibatis sanguinem*, *carnem fortium comedetis*, et *sanguinem principum terrae bibetis;* comedetis adipem ad satietatem, et *bibetis sanguinem usque ad ebrietatem de sacrificio meo,* quod sacrificabo [13] vobis: satiabimini super mensa mea, equo et curru, et omni viro belli; sic dabo gloriam meam inter gentes » XXXIX: 17. 18. 19. 20; quod non sanguis hic per sanguinem intelligatur, manifeste patet, nam dicitur quod biberent sanguinem principum terrae, et sanguinem de sacrificio, usque ad ebrietatem, cum tamen bibere sanguinem, et imprimis sanguinem principum, sit res abominabilis, et filiis Israëlis sub poena mortis prohibitus, Levit: III: 17. Cap: VII: 26. Cap: XVII: 1 ad fin: Deut: XII: 17 ad 25. Cap: XV: 23; dicitur etiam quod satiarentur equo, curru, et omni viro belli; qui itaque non scit, quod sanguis significet Divinum Verum, principes primaria Vera, sacrificium illa quae cultus sunt, equus intellectuale veri, currus doctrinam, et vir belli verum pugnans contra falsum, obstupesceret ad singula verba ibi; similiter ad Domini verba apud Johannem « Jesus dixit, amen, amen, dico vobis, *nisi comederitis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem*, non habebitis vitam in vobis: *qui manducat meam carnem*, et *bibit meum sanguinem*, habet vitam aeternam, et Ego resuscitabo illum extremo die: *Caro mea est vere cibus*, et *sanguis meus est vere potus*, qui *manducat meam carnem*, et *bibit meum sanguinem*, in Me manet, et Ego in illo » VI: 53. 54. 55. 56, sed videantur quae de his prius n: 4735. 6978. [12] 7317. 7326. 7850. 9127, ostensa sunt: quod Caro *correspondeat* Bono, similiter Panis, et quod Sanguis *correspondeat* Ve-

ro, similiter Vinum, perpluries e coelo mihi dictum est; pariter, quod Angeli non aliter percipiant Verbum quam secundum *Correspondentias*, et quod sic per Verbum sit conjunctio homini cum Coelo, et per Coelum cum Domino; similiter dictum est, quod sancta coena a Domino instituta sit, ut per illam esset conjunctio omnium coeli, hoc est, omnium Domini cum homine Ecclesiae, quoniam in illa Caro et Panis est Divinum Bonum Divini Amoris Domini erga universum Genus humanum, et reciprocum hominis in Dominum; et Sanguis ac Vinum est Divinum Verum procedens ex Divino Bono Divini Amoris Domini, et vicissim id receptum ab homine; tum edere et bibere illa, in coelo est appropriare et conjungere, sed videantur quae de his prius n: 2165. 2177. 3464. 4211. 4217. 4581. 4735. 5915. 6789. 7850. 9323, ostensa sunt.

9394. Et posuit in crateribus, quod significet apud hominem in ejus memoriae rebus, constat ex significatione craterum, quod sint res memoriae; quod crateres sint res memoriae, est quia vasa in genere significant scientifica, n: 1469. 1496. 3068. 3079, et scientifica non aliud sunt quam res memoriae; inde crateres hic sunt tales res memoriae, in quibus sunt vera Divina, quae in genere per sanguinem significantur. Quid scientifica respective ad vera et bona vitae apud hominem, paucis dicetur; omnia quae addiscuntur et in memoria reponuntur, et inde ad visum intellectualem evocari possunt, vocantur scientifica, et in se sunt res quae constituunt intellectuale naturalis seu externi hominis: scientifica quia sunt cognitiones inserviunt visui Interni seu rationalis hominis pro quodam quasi speculo videndi talia quae sibi inserviunt; cadunt enim sub aspectum Interni hominis, sicut solent campi herbis, floribus, varii generis segetibus et arboribus referti; aut sicut horti variis ad usus et ad jucunditates ornati, ad aspectum externi hominis in materiali mundo; sed visus internus, qui est intellectus, non aliud in campis seu hortis rerum memoriae suae videt, quam quae conveniunt amoribus, in quibus homo est, et quoque quae favent principiis quae amat: quapropter qui in amoribus sui et mundi sunt, illi non vident nisi talia quae illis favent, et illa vocant vera, et quoque per fallacia et apparentia faciunt similia veris; et dein vident talia quae concordant cum principiis captis,

quae amat quia a se: inde patet, quod scientifica et cognitiones, quae sunt res memoriae, inserviant illis qui in amoribus istis sunt, pro mediis confirmandi falsa contra vera, et mala contra bona, et sic destruendi vera et bona Ecclesiae, inde est, quod eruditi, qui tales sunt, plus insaniant quam simplices, et apud se negent Divinum, Providentiam, Coelum, Infernum, vitam post mortem, et vera fidei; quod luculenter patet ab Eruditis Orbis Europaei hodie in altera vita, ubi ingens numerus eorum ipso corde Athei sunt, nam in altera vita corda loquuntur et non ora: ex his nunc constat, cui usui sunt cognitiones et scientifica illis, qui ex jucundis amorum sui et mundi cogitant. Sed prorsus aliter apud illos, qui ex jucundis amorum coelestium, qui sunt amores in Dominum et erga proximum; hi, quia cogitatio eorum ducitur per coelum a Domino, non aliud in campis et hortis rerum suae memoriae vident et eligunt, quam quae conveniunt jucundis illorum amorum, et concordant cum doctrinalibus suae Ecclesiae, quae amant; his sunt res memoriae sicut paradisi coelestes, et quoque repraesentantur et in Verbo significantur per paradisos, videatur n: 3220. Ulterius sciendum, quod scientifica seu res memoriae, cum fiunt vitae hominis, ex memoria exteriore evanescant, quemadmodum solent gestus, actiones, loquelae, reflexiones, intentiones, in genere cogitationes et affectiones hominis, quando per continuum usum seu habitum fiunt sicut spontanea et naturalia, sed non alia fiunt vitae hominis, quam quae intrant in jucunda amorum ejus, et formant illa, ita quae intrant in voluntatem ejus; de his videantur quae n: 8853 ad 8858, dicta et ostensa sunt; et de memoria exteriore quae est corporis, et de memoria interiore quae est ejus spiritus, n: 2469 ad 2494. Quod scientifica sint vasa, et in Verbo significentur per omnis generis vasa, ut per crateres, scyphos, hydrias, et similia, est quia unumquodvis scientificum est quoddam commune, quod in se continet particularia et singularia concordantia cum communi, et talia communia in series et quasi in manipulos disposita sunt, ac manipuli et series illae ita invicem ordinatae, ut referant formam coelestem, et sic ordine in singularissimis ad communissima: idea talium serierum formari potest a seriebus et manipulis muscularibus in corpore humano; quilibet manipulus ibi consistit ex pluribus

fibris motricibus, et quaelibet fibra motrix a vasis sanguineis et fibris nerveis; quilibet etiam manipulus muscularis, qui communi voce musculus vocatur, sua tunica circumtectus est, per quam distinguitur ab aliis, similiter fasciculi interiores, qui fibrae motrices vocantur; sed usque omnes musculi et in illis fibrae motrices, quae in universo corpore sunt, ita ordinatae sunt, ut ad unamquamvis actionem secundum voluntatis lubitum concurrant, et hoc modo incomprehensibili: similiter se habet cum scientificis memoriae, quae etiam similiter excitantur a jucundo amoris hominis, quod est ejus voluntatis, sed mediâ parte intellectuali; id quod factum vita hominis, quod est id quod factum est voluntatis seu amoris ejus, excitat illa; interior enim homo visum in illis continue habet, et delectatur illis, quantum conveniunt amoribus; et quae intrant plane in amores, et fiunt spontanea et quasi naturalia, illa e memoria externa evanescunt, sed manent inscripta memoriae internae, unde nusquam delentur; ita scientifica fiunt vitae. Ex his etiam patet, quod scientifica sint tanquam vasa vitae interioris hominis; et quod inde sit quod scientifica per vasa varii generis, et hic per crateres, significentur: similia per vasa et crateres significantur apud Esaiam « Figam Eum clavum in loco fideli, ut sit in thronum gloriae domui patris ipsius, super quo suspendant omnem gloriam domus patris ipsius, filiorum et nepotum, *omnia vasa parvuli, ex vasis craterum usque ad omnia vasa nabliorum* » XXII: 23, agitur ibi in sensu interno et repraesentativo de Divino Humano Domini, et quod per Ipsum et ex Ipso omnia vera et bona a primis ad ultima; vera scientifica ex prosapia coelesti sunt vasa craterum, et vera scientifica ex prosapia spirituali sunt vasa nabliorum: et apud Sachariam « In die illo erit super tintinnabulis equorum sanctitas Jehovae; et erunt *ollae in domo Jehovae*, sicut *crateres coram altari* » XIV: 20, tintinnabula equorum pro veris scientificis quae ex intellectuali illustrato, n: 2761. 2762. 5321; et crateres coram altari pro bonis scientificis: similia per crateres altaris significantur, Exod: XXVII: 3. Cap: XXXVIII: 3.

9395. Et dimidium sanguinis sparsit super altare, quod significet Divinum Verum a Domini Divino Humano, constat ex significatione sanguinis, quod sit Divinum Verum, de qua mox supra n: 9393; et ex significatione Altaris, quod sit repraesen-

tativum Divini Humani Domini, de qua n: 921. 2777. 2811. 4489; inde principale repraesentativum cultus Domini, n: 4541. 8935. 8940; quod per hoc dimidium sanguinis, quod super altare sparsum est, significetur Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini, et per alterum dimidium sanguinis quod super populum est sparsum, Vers: seq: 8, significetur Divinum illud Verum receptum ab homine Ecclesiae, causa est quia foedus iniebatur, et per foedus significatur conjunctio, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778; et conjunctio Domini cum homine Ecclesiae fit, cum Divinum Verum, quod a Domino procedit, ab homine recipitur: inde patet, cur sanguis adhibitus sit, et cum sparsus super altare et super populum, dictus sit *sanguis foederis*, Vers: 8.

9396. Et accepit librum foederis, quod significet Verbum in litera, cum quo conjunctum est Verbum in coelo, constat ex significatione Libri, quod sit Verbum in omni complexu, de qua sequitur; et ex significatione foederis, quod sit conjunctio, de qua n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778; per Librum foederis intelligitur hic omne quod loquutus est Dominus e monte Sinai, nam dicitur mox supra Vers: 4, et *scripsit Moscheh omnia verba Jehovae;* proinde per librum foederis in stricto sensu intelligitur Verbum revelatum Moschi super monte Sinai, et in lato sensu Verbum in omni complexu, quoniam id est Divinum Verum revelatum a Domino; et quoniam per id conjungit se Dominus cum homine Ecclesiae, ideo quoque id est Liber foederis, quia foedus est conjunctio. Sed qualis est conjunctio Domini cum homine Ecclesiae per Verbum, hodie nescitur, ex causa, quia hodie coelum est clausum; vix enim hodie aliquis loquitur cum Angelis et spiritibus, et inde scit quomodo illi percipiunt Verbum, cum tamen antiquis, imprimis antiquissimis id fuit notum, nam loqui cum spiritibus et Angelis illis commune fuit; causa erat, quia homines antiquis temporibus, imprimis in antiquissimis, interiores homines fuerunt, in spiritu enim paene abstracte a corpore cogitabant, at hodierni homines sunt exteriores, et in corpore paene abstracte a spiritu cogitant; inde est quod recesserit quasi coelum ab homine, nam communicatio coeli est cum in-

terno homine cum is abstrahi potest a corpore, non autem cum externo immediate; inde ignoratur hodie, qualis est conjunctio Domini cum homine per Verbum. Qui ex sensuali corporis, et non ex sensuali spiritus cogitant, illi nequaquam aliter possunt capere, quam quod sensus Verbi talis sit in coelo, qualis est in mundo, hoc est, qualis est in litera: si diceretur, quod sensus Verbi in coelo sit qualis est cogitatio interni hominis, qui est absque ideis materialibus, hoc est, absque ideis mundanis, corporeis et terrenis, foret hoc hodie paradoxon; et magis si diceretur, quod sensus Verbi in coelo tantum differat a sensu ejus in mundo seu in litera, quantum paradisus coelestis a paradiso terrestri, et quantum cibus et potus coelestis a cibo et potu terrestri; quanta sit differentia, apparet ex eo, quod paradisus coelestis sit intelligentia et sapientia, cibus coelestis sit omne bonum amoris et charitatis, et potus coelestis omne verum fidei ex illo bono: quis non hodie miraretur, si audiret, quod cum paradisus, hortus, vinea, in Verbo memorantur, in coelo non percipiantur paradisus, hortus, vinea, sed loco illorum talia quae sunt intelligentiae et sapientiae ex Domino; et cum cibus et potus, sicut panis, caro, vinum, aqua, quod loco illorum in coelo percipiantur talia quae sunt boni amoris et veri fidei a Domino; et hoc non per explicationes, nec comparative, sed ex correspondentiis actualiter; quoniam coelestia quae sapientiae, intelligentiae, boni amoris et veri fidei illis actualiter correspondent; et in hanc correspondentiam creatus est homo internus respective ad externum, ita coelum quod in interno homine, respective ad mundum qui est in externo, similiter in communi: quod Verbum secundum correspondentias intelligatur et percipiatur in coelo, et quod ille sensus sit sensus internus, in praecedentibus ubivis ostensum est. Qui illa, quae nunc dicta sunt, capit, scire potest, et aliquo modo percipere, quod per Verbum sit conjunctio hominis cum coelo, et per coelum cum Domino, et quod absque Verbo nulla conjunctio foret, videantur quae de his n: 2143. 7153. 7381. 8920. 9094 fin: 9212 fin: 9216 fin: 9357, et alibi pluries ostensa sunt. Inde nunc constat, cur Moscheh accepit Librum foederis, et legit coram populo, et dein sparsit sanguinem super populum, et dixit, ecce sanguis foederis; [14] hoc ideo factum est, quia sanguis sacrificii

in Coelo est Divinum Verum procedens a Domino, ita in nostra Tellure Verbum, videatur n: 9393. Quia per foedus significatur conjunctio, et quia per Divinum Verum procedens a Domino, hoc est, Verbum, fit conjunctio, ideo omnia quae Divini Veri a Domino seu quae Verbi sunt, vocantur foedus, prout Tabulae quibus inscripta sunt decem praecepta, tum judicia, statuta, et reliqua quae in Libris Moschis, et in genere quae in Verbo tam Veteris quam Novi Testamenti sunt. *Quod Tabulae, quibus inscripta erant decem praecepta,* apud Moschen „Jehovah *scripsit super tabulas verba foederis, decem verba*" Exod: XXXIV: 28. Apud Eundem „Ascendi in montem ad accipiendum *tabulas lapidum, tabulas foederis*, quod excidit Jehovah vobiscum: dedit Jehovah mihi duas *tabulas lapidum, tabulas foederis:* descendi de monte, cum mons ardens igne, *duae autem tabulae foederis* super duabus manibus meis" Deut: IX: 9. 11. 15: et apud Eundem „*Jehovah indicavit vobis foedus suum,* quod praecepit vobis ad faciendum, *decem verba,* quae scripsit super tabulas lapidum; cavebitis vobis *ne obliviscamini foederis Jehovae Dei vestri*, quod excidit vobiscum" Deut: IV: 13. 23. Quia binae Tabulae in Arca, quae in medio seu intimo Tabernaculi, repositae erant, ideo arca dicta est arca foederis, Num: X: 33. Cap: XIV: 44. Deut: X: 8. Cap: XXXI: 9. 25. 26. Jos: III: 3. 6. 8. 11. 14. 17. Cap: IV: 7. 9. 18. Cap: VI: 6. 8. Cap: VIII: 33. Judic: XX: 27. I Sam: IV: 3. 4. 5. II Sam: XV: 24. I Reg: III: 15. [15] Cap: VI: 19. Cap: VIII: 1. 6. Jerem: III: 16. *Quod Libri Moschis dicti sint Liber foederis,* constat ex illis inventis a Chilkia Sacerdote in Templo, de quibus ita in Libro II Regum „Chilkia Sacerdos magnus invenit *Librum Legis* in domo Jehovae: et legerunt in auribus eorum omnia verba *Libri foederis* inventi in domo Jehovae" XXII: 8. Cap: XXIII: 2. *Quod Verbum Veteris Testamenti dictum sit foedus,* apud Esaiam „*Tenentibus foedus meum* dabo in domo mea et intra muros meos locum et nomen, bonum prae filiis et filiabus" LVI: 4. [5.] Apud Jeremiam „*Audite verba foederis hujus*, quod praecepi patribus vestris, *obedite voci meae*, et *facite ea, juxta omne quod praecipio vobis*" XI: 2. 3. 5. 6. 7. Apud Davidem „Omnes viae Jehovae Misericordia et Veritas, *custodientibus foedus Ipsius*, et *Testimonia Ipsius*"

Psalm: XXV: 10. Apud Eundem „Misericordia Jehovae ab aeterno ad aeternum usque super timentes Ipsum, et justitia Ipsius in filios filiorum, *custodientibus foedus Ipsius*, *et recordantibus praeceptorum Ipsius*" Psalm: CIII: 17. 18. Et apud Eundem „*Non servarunt foedus Dei, et in Lege Ipsius renuerunt ambulare*" Psalm: LXXVIII: 10, hic foedus Dei dicitur Lex Dei; quod per Legem intelligatur in lato sensu totum Verbum, in minus lato Verbum Historicum, in stricto Verbum per Moschen scriptum, et in strictissimo decem praecepta decalogi, videatur n: 6752. *Quod etiam Verbum Novi Testamenti sit foedus*, apud Jeremiam „Ecce dies venientes, quibus pangam cum domo Israëlis et cum domo Jehudae, *foedus novum; hoc foedus* quod pangam cum domo Israëlis post dies hos, dabo legem meam in medio eorum, et super cor eorum scribam illam" XXXI: 31. 32 [.33.], domus Israëlis pro Ecclesia spirituali, et domus Jehudae pro Ecclesia coelesti: et apud Davidem „Etiam Ego primogenitum dabo Ipsum, altum regibus terrae, et *foedus meum stabile Ipsi*, *non vile faciam foedus meum*, et pronuntiatum labiorum meorum non mutabo" Psalm: LXXXIX: 29. 35; hic de Domino; foedus meum stabile Ipsi, pro unione Ipsius Divini ac Divini Humani; ita quoque pro Verbo, nam Dominus quoad Divinum Humanum fuit Verbum quod Caro, hoc est, Homo, factum, Joh: I: 1. 2. 3. 14. Quod Divinum Verum seu Verbum sit foedus seu conjunctio, est quia illud est Divinum a Domino, ita Ipse Dominus; quapropter cum Verbum recipitur ab homine, Ipse Dominus recipitur; inde patet, quod per Verbum sit conjunctio Domini cum homine; et quia est conjunctio Domini cum homine, etiam est conjunctio coeli cum homine, nam coelum dicitur coelum ex Divino Vero procedente a Domino, proinde ex Divino; unde illi qui in coelo dicuntur esse in Domino: quod Divinum conjungat se cum illis qui amant Dominum, et Verbum Ipsius servant, videatur Johan: XIV: 23. Ex his omnibus constare potest, quod per sanguinem foederis intelligatur conjunctio Domini per coelum cum homine per Verbum; ut quoque apud Sachariam „Exscindam currum ex Ephraimo, et equum ex Hierosolyma, et exscindetur arcus belli; contra loquetur pacem gentibus; dominari Ipsius a mari ad mare, et a flumine usque ad fines terrae: etiam

quod ad Te, *per sanguinem foederis tui* emittam vinctos tuos e fovea in qua non aqua » IX: 10. 11; qui nihil de sensu interno novit, hic non aliud quam talia, quae sensus literae involvit, capere potest, quod nempe exscinderetur currus ex Ephraimo, equus ex Hierosolyma, et arcus belli, et denique quod sanguis foederis sit sanguis Domini, per quem liberarentur illi qui in peccatis, explicando varie, quinam intelliguntur per vinctos in fovea in qua non aqua; sed qui sensum internum Verbi novit, capit quod hic de Divino Vero agatur, et quod id postquam vastatum, hoc est, non amplius receptum fide et corde ab homine, per Verum Divinum a Divino Humano Domini procedens restituetur, et sic illi qui id credunt et faciunt, Ipsi Domino conjungentur; quod ex sensu interno singulorum ibi plenius constare potest; sicut ex significatione currus, quod sit doctrina Ecclesiae, n: 2760. [16] 5321. 5945. 8215; Ephraimi quod sit intellectuale illustratum Ecclesiae, n: 5354. 6222. 6238; ex significatione equi, quod sit intellectus Verbi, n: 2760. 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. 6534. [17] 8029. 8146. 8148; Hierosolymae, quod sit Ecclesia spiritualis, n: 2117. 3654. 9166; [18] ex significatione arcus, quod sit doctrina veri, n: 2686. 2709; et belli, quod sit pugna de veris, n: 1664. 2686. 8295; inde patet, quod per exscindere currum ex Ephraimo, et equum ex Hierosolyma, et arcum belli, significetur Vastatio Veri Divini in Ecclesia, quoad omnem intellectum ejus: et quod per sanguinem foederis emitterentur vincti in fovea in qua non aqua, significetur restitutio per Divinum Verum a Divino Humano Domini procedens, quod sanguis sit Divinum Verum, et quod foedus sit conjunctio, supra ostensum est, et quod vincti in fovea sint qui ab Ecclesia spirituali et salvati per adventum Domini in mundum, videatur n: 6854; fovea ubi non aqua dicitur, quia per aquam significatur verum, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 7307. 8137. 8138. 8568. 9323.

9397. Et legit in auribus populi, quod significet ad auscultationem, et obedientiam, constat ex significatione legere, quod sit ad auscultationem, nam cum legitur est ut audiatur, et percipiatur, et obediatur, hoc est, ut auscultetur; et ex significatione in auribus, quod sit ad obedientiam, aures enim et audire significant obedire, n: 2542. 3869. 4551. 4652 ad 4660.

5471. 5475. 7216. 8361. 8990. 9311. [19] Quoniam aures significant non modo auditionem et apperceptionem, sed etiam obedientiam, ideo in Verbo persaepe dicitur loqui in auribus et legere in auribus illorum, et non loqui ac legere coram illis; ut apud Jeremiam „Audi verba haec, quae ego *loquor in auribus tuis*, et *in auribus totius populi*" XXVIII: 7. [20] In Libro I Samuelis „*Loquuti sunt verba illa in auribus populi*" XI: 4: et alibi „*Loquatur ancilla tua in auribus tuis*" XXV: 24. In Libro Judicum „*Proclama in auribus populi*, dicendo" VII: 3. Apud Moschen „*Dic in auribus populi*" Exod: XI: 2: [21] apud Eundem „Audi Israël statuta et judicia, *quae ego loquor in auribus vestris* hodie" [Deut:] V: 1. Apud Eundem „*Loquor in auribus eorum* verba haec" Deut: XXXI: 28. Apud Eundem „Moscheh *loquutus omnia verba cantici in auribus populi*" Deut: XXXII: 44. In Libro II Regum „*Legit in auribus eorum* omnia verba Libri foederis" XXIII: 2. Apud Jeremiam „Dixerunt ad eum, sede et *lege illud in auribus nostris*, et *legit* Baruchus *in auribus eorum*" XXXVI: 15. Apud Lucam „Cum Jesus *absolvit omnia verba in auribus populi*" VII: 1. Quia auris et audire significant veri receptionem, apperceptionem, et obedientiam, ita fidei primum et ultimum, ideo a Domino toties dictum est, „*Qui habet aurem ad audiendum, audiat*" ut Matth: XI: 15. Cap: XIII: 9. 43. Marc: IV: 9. 23. [22] Cap: VII: 16. Luc: XIV: 35. Et quia per surdos, seu non audientes, in spirituali sensu significantur qui non in fide veri sunt, quia non in cognitione et inde apperceptione ejus, n: 6989. [23] 9209, ideo Dominus, cum sanaret surdum, „*immisit digitum in aures ejus*, et dixit, ephathah, [24] hoc est, *aperitor*, et statim *aperti sunt auditus ejus*" Marc: VII: 32. 33. 34. 35: quod omnia Miracula Domini involverint et significaverint status Ecclesiae, videatur n: 8364. 9086.

9398. Et dixerunt, omnia quae loquutus Jehovah faciemus et audiemus, quod significet receptionem Veri procedentis a Divino Humano Domini et obedientiam ex corde et anima, constat ex significatione omnium quae loquutus Jehovah, quod sint Verum procedens a Divino Humano Domini, de qua sequitur; ex significatione facere, quod sit obedientia voluntate, ita corde, de qua n: 9385. [25] 9311; et ex significatione audire,

quod sit obedientia intellectu, ita anima, de qua n: 7216. 8361. 9311; obedientia ex corde est obedientia ex voluntate, ita ex affectione amoris; et obedientia ex anima est obedientia ex intellectu, ita ex fide; cor enim significat voluntatem et amorem, n: 3883 ad 3896. 7542. 8910. 9050. 9300, et Anima intellectum et fidem, n: 2930. 9050. 9281; inde est quod dicatur faciemus et audiemus. Quod omnia quae loquutus Jehovah, sint Verum procedens a Divino Humano Domini, est quia omne verum inde procedit, quod Divinum Verum non procedat ab Ipso Divino, sed a Divino Humano, constat manifeste apud Johannem „Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, Qui in sinu Patris, Ille exposuit" I: 18: quapropter Dominus vocatur Verbum, ibid: Vers: 1. 2. 3, quod est Divinum Verum, et dicitur quod Verbum Caro factum sit, hoc est, Homo, ibid: Vers: 14, ob causam, ut Ipsum Divinum sub Humana forma actualiter Verum Divinum doceret: quod Dominus sit Ipsum Divinum sub humana forma, videatur n: 9315: inde patet, quod per omnia quae loquutus est Jehovah, significetur Verum procedens a Divino Humano Domini.

9399. Et accepit Moscheh sanguinem, et sparsit super populum, quod significet adaptationem ad recipiendum ab homine, constat ex significatione sanguinis sacrificii, quod sit Divinum Verum procedens a Domino, de qua supra n: 9393; et ex significatione spargere super populum, quod sit adaptatio ad recipiendum ab homine, per spargere enim significatur influere, ita adaptare; Divinum enim Verum, quod a Domino, continue influit apud hominem, et facit intellectuale ejus; et si credere velis, homo absque continuo influxu Veri Divini procedentis a Domino, prorsus nihil potest percipere et intelligere: Divinum namque Verum procedens a Domino est lux quae illuminat mentem hominis, et facit visum internum, qui est intellectus; et quia illa Lux continue influit, ideo unumquemvis adaptat ad recipiendum; qui autem recipiunt, sunt qui in bono vitae sunt; qui autem non recipiunt, sunt qui in malo vitae sunt; sed usque hi sicut illi in facultate percipiendi et intelligendi sunt, et quoque in facultate recipiendi quantum desistunt a malis: haec significata sunt per dimidium sanguinis quod Moscheh sparsit super populum. Quod Divinum Verum procedens a Domino sit

Lux quae illuminat mentem hominis, et facit visum ejus internum, qui est intellectus, videatur n: 2776. 3167. 3195. 3636. 3643. 3993. 4405. [26] 5400. 8644. 8707; hoc quoque intelligitur apud Johannem „Erat Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum: in mundo erat, et mundus per Ipsum factus est; sed mundus Ipsum non cognovit" I: [9.] 10. 11; agitur ibi de Verbo, quod est Divinum Verum procedens a Domino. Quod unusquisque homo, qui in mundo, qui sanae rationis est, in facultate intelligendi Verum Divinum sit, et inde in facultate recipiendi, quantum desistit a malis, per plurem experientiam mihi datum est scire; omnes enim, quotcunque in altera vita sunt, tam mali quam boni, possunt intelligere quid verum et quid falsum, tum quid bonum et quid malum, sed mali, tametsi verum et bonum intelligunt, non usque volunt intelligere; repugnat enim voluntas, et ibi malum; quapropter cum sibi relicti sunt, usque in falsa sui mali relabuntur, et aversantur verum et bonum, quae intellexerunt; similiter se habuit cum talibus in mundo, ubi vera, quae tamen intelligere potuerunt, a se repulerunt: inde patuit, quod Divinum Verum procedens a Domino continue in mentes humanas influat, et adaptet illas ad recipiendum, et quod tantum recipiatur, quantum desistitur a malis, quae sunt amorum sui et mundi.

9400. Et dixit ecce sanguis foederis, quod significet per id conjunctionem Domini quoad Divinum Humanum cum coelo et cum terra, constat ex significatione sanguinis, quod sit Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini, de qua supra n: 9393. 9399; et ex significatione foederis, quod sit conjunctio, de qua etiam supra n: 9396: quod sit conjunctio cum coelo et cum terra, est quia Divinum Verum quod procedit a Divino Humano Domini transit per coelos usque ad hominem, et in via accommodatur unicuivis coelo, et ultimo ipsi homini; Divinum Verum in nostra Tellure est Verbum, n: 9350 ad 9362, quod tale est, ut quoad omnia et singula sensum internum habeat, qui pro coelis est, et denique sensum externum, qui est sensus literae, qui pro homine; inde patet, quod per Verbum sit conjunctio Domini cum coelis et cum mundo, n: 2143. 7153. 7381. 8920. 9094 fin: [27] 9212 fin: 9216 fin: 9357. 9396. Inde concludi pro certo potest, quod absque Verbo in

hac Tellure, nulla conjunctio coeli, ita nulla conjunctio Domini, cum homine foret; et si nulla conjunctio, genus humanum in hac tellure prorsus interiret; nam quod interiorem vitam hominis facit, est influxus Veri Divini a Domino, est enim illud ipsa lux quae illuminat visum interni hominis, hoc est, intellectum ejus, et est calor coelestis, qui inest luci illi, qui est amor, qui accendit et vivificat voluntarium interni hominis; quapropter absque luce illa et calore illo occaecaretur et frigesceret internum hominis, et moreretur, non secus ac externum hominis si foret absque calore et absque luce solis mundi: sed hoc ut paradoxon appariturum est illis, qui non credunt Verbum tale esse, etiam illis qui credunt vitam inesse homini ut ejus propriam, et non jugiter influere per coelum a Domino: quod vita hominis non sit in ipso, sed quod a Domino influat, videatur n: 4249. 4882. [28] 5147. 5150. 5986. 6053 ad 6058. 6189 ad 6215. 6307 ad 6327. 6466 ad 6495. 6598 ad 6626. [29] 6982. 6985. 6996. 7055. 7056. 7058. 7147. 7270. 7343. 8685. 8701. 8717. 8728. 9110. 9111. 9223. 9276; et quod Ecclesia Domini per universum orbem sparsa sit coram Domino sicut unus homo, n: 9276, similiter ac coelum, quod inde Maximus Homo vocatur; et quod Ecclesia ubi est Verbum, sit sicut cor et pulmo in illo homine, et quod omnes extra Ecclesiam inde vivant, sicut membra, viscera, et organa reliqua corporis ex corde et pulmone, n: 2054. 2853. 7396. [30]

9401. Quod pepigit Jehovah super omnia verba haec, quod significet quod conjunctio a Domino per omnia et singula Verbi, constat ex significatione foederis quod pepigit Jehovah, quod sit conjunctio a Domino, nam pangere foedus est sibi conjungere, n: 9396, et Jehovah in Verbo est Dominus, n: 9373; et ex significatione omnium verborum horum, quod sint omnia et singula Verbi, nam per Leges promulgatas e monte Sinai in sensu universali significatur omne Divinum Verum, ita Verbum quoad omnia et singula, n: 6752; quod Verbum sit inspiratum quoad omnem jotam, videatur n: 7933. 9094 fin: [31] 9198 fin: 9349, consequenter quod per Verbum sit conjunctio cum coelo, et per coelum Domino, per omnia et singula ejus. Dicitur Conjunctio a Domino, quoniam Dominus sibi conjungit hominem, non autem vicissim, nam omne bonum amoris et verum fidei

influit a Domino, et recipitur ab homine quantum is desistit a malis, n: 9399; influxus enim reciprocus, nempe ab homine ad Dominum, qui ab Eruditis vocatur influxus physicus, non datur, n: 6322. 9110. 9111. 9216; et praeterea quicquid ab homine exit ut ab ipso, non est nisi quam malum et inde falsum, n: 210. 215. 987. 5660. 5786: inde constat, quod conjunctio hominis cum Domino sit a Domino, et non ab homine; quod secus appareat, est fallacia.

9402. Vers: 9. 10. 11. *Et ascendit Moscheh et Aharon, Nadab et Abihu, et septuaginta ex senioribus Israëlis. Et viderunt Deum Israëlis, et sub pedibus Ipsius sicut opus lapidis sapphiri, et sicut substantia coeli quoad munditiem. Et ad sepositos filios Israëlis non misit manum suam: et viderunt Deum, et comederunt et biberunt.* Et ascendit Moscheh et Aharon, Nadab et Abihu, significat Verbum in sensu interno et externo, ac doctrinam ex utroque: et septuaginta ex senioribus Israëlis [32] significat omnes qui in bono ex veris: et viderunt Deum Israëlis, significat adventum et praesentiam Domini in Verbo: et sub pedibus Ipsius, significat ultimum sensum, qui est sensus ipsius literae: sicut opus lapidis sapphiri, significat ibi translucidum a veris internis, et omnia a Domino: et sicut substantia coeli quoad munditiem, significat translucentiam coeli angelici: et ad sepositos filios Israëlis, significat illos qui in solo sensu externo separato ab interno: non misit manum suam, significat quod ibi non verum in sua potentia: et viderunt Deum, significat fidem: et comederunt et biberunt, significat informationem de bono et vero cultus.

9403. Et ascendit Moscheh et Aharon, Nadab et Abihu, quod significet Verbum in sensu interno et externo, ac doctrinam ex utroque, constat ex repraesentatione Moschis et Aharonis, quod sint Verbum in sensu interno et externo; et ex repraesentatione Nadab et Abihu, filiorum Aharonis, quod sint doctrina ex utroque, de quibus supra n: 9374. 9375.

9404. Et septuaginta ex senioribus Israëlis, quod significet omnes qui in bono ex veris, constat ex significatione septuaginta, quod sint plenum, ita omnia et omnes, de qua n: 6508; et ex significatione seniorum Israëlis, quod sint qui in bono ex veris, et in veris ex bono; nam per senes in Verbo significan-

tur qui in sapientia, n: 6524, [33] ita qui in vita boni ex doctrina veri, et per Israëlem illi qui ab Ecclesia spirituali, n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223. 8805. 9340, ita qui in veris per quae bonum, et in bono ex quo vera, n: 7956. 8234; inde patet, quod per septuaginta seniores Israëlis, significentur illi qui in bono ex veris, ac abstracte bonum ex veris. Similia in sensu interno significantur per septuaginta discipulos Domini, Luc: X: 1. 17. Filii Israëlis divisi sunt in duodecim Tribus, et illis praefecti duodecim principes, et quoque septuaginta seniores; per duodecim Tribus significata sunt omnia vera et bona Ecclesiae in complexu, n: 3858. 3926. 3939. [34] 4060. 6335. 6337. 6397. 6640. 7836. 7891. 7996. 7997; per duodecim autem principes omnia primaria vera, n: 5044; et per septuaginta seniores omnia bona quae ex veris. Cum dicitur bonum quod ex veris, intelligitur Ecclesia spiritualis, nam illa Ecclesia est in bono ex veris. Qui arcana Ecclesiae et Coeli non novit, credere potest, quod omne bonum Ecclesiae sit ex veris, quoniam bonum implantari nequit nisi per vera; imo quod homo nec scire possit quid bonum nisi per vera; sed usque bonum quod per vera, est bonum Ecclesiae spiritualis, et in se spectatum est verum, quod vocatur bonum quando fit voluntatis et actus, et inde vitae; sed bonum quod non existit per vera sed per bona amoris mutui, est bonum Ecclesiae coelestis, et in se spectatum non est verum sed bonum; quoniam est bonum amoris in Dominum: hoc bonum repraesentavit Ecclesia Judaica, illud vero bonum Ecclesia Israëlitica, quapropter in bina regna divisi sunt: quae et qualis differentia est inter utramque Ecclesiam, proinde inter utrumque bonum, videantur quae prius n: 2046. 2227. 2669. 2708 fin: 2715. 2718. 2935. 2937. 2954. 3166. 3235. 3236. 3240. 3246. 3374. 3833. 3887. 3969. 4138. 4286. 4493. 4585. 4938. 5113. 5150. 5922. 6296. 6289. 6366. 6427. 6435. 6500. 6647. 6648. 7091. 7233. 7877. [35] 7977. 7992. 8042. 8152. 8234. 8521, ostensa sunt: ex illis quae in his locis allata sunt, constare potest, quod coelum Domini sit divisum in coelum spirituale et in coelum coeleste, et quod coelum coeleste sit intimum seu tertium coelum, et coelum spirituale medium seu secundum.

9405. Et viderunt Deum Israëlis, quod significet adventum et praesentiam Domini in Verbo, constat ex significatione videre, cum de Domino, quod sit Ipsius adventus et praesentia, de qua n: 4198. 6893; quod Deus Israëlis sit Dominus, constat ex omnibus illis locis in Verbo ubi dicitur Sanctus Israëlis et Deus Israëlis, videatur n: 7091: Deus Israëlis est Deus Ecclesiae spiritualis, quia per Israëlem significatur illa Ecclesia, de qua mox supra n: 9404. Quod sit adventus et praesentia Domini *in Verbo*, quae significatur per viderunt Deum Israëlis, est quia per Leges, quae e monte Sinai promulgatae sunt, in lato sensu significatur omne Divinum Verum, ita Verbum quoad omnia et singula ejus, n: 6752. 9401: quod adventus et praesentia Domini in Verbo significetur, est quia Verbum est Divinum Verum procedens a Domino, et quod procedit a Domino est Ipse Dominus; quapropter qui Verbum legunt, et tunc spectant ad Dominum, agnoscendo quod omne verum et omne bonum [36] sit ab Ipso, et nihil a semet, illi illustrantur, et vident verum ac percipiunt bonum e Verbo; illustratio illa est a luce coeli, quae lux est ipsum Divinum Verum procedens a Domino, hoc enim coram angelis in coelo apparet ut lux, videatur n: 2776. 3195. 3339. 3636. 3643. 3862. 3993. 4302. 4413. 4415. 5400. 6032. 6313. 6608. Domini adventus et praesentia in Verbo etiam per videre Filium Hominis intelligitur apud Matthaeum « Tunc apparebit signum Filii Hominis, et *videbunt Filium hominis*, venientem in nubibus coeli cum virtute et gloria » XXIV: 30, videatur n: 4060; nubes enim est sensus literalis Verbi, ac virtus et gloria sensus ejus internus; sensus literalis Verbi dicitur nubes, quia est in luce mundi, et sensus internus dicitur gloria, quia est in luce coeli, videatur Praefatio ad Cap: XVIII: Genes: et n: 5922. 6313 fin: 6752. 8106. 8267. 8427. 8443. 8781; et praeterea in sensu interno Verbi agitur de solo Domino, ac de Ipsius Regno et Ecclesia, inde sanctum Verbi, et inde adventus et praesentia Domini illis qui, cum legunt Verbum, Ipsum et proximum, qui est bonum concivis, patriae, Ecclesiae, coeli, n: 6818 ad 6824. 8123, intuentur, et non seipsos, ut supra dictum est; causa est, quia illi patiuntur se elevari a Domino in lucem coeli, hi autem non patiuntur se elevari, tenent enim intuitionem suam affixam sibi

et mundo. Ex his constare potest, quid sit videre Dominum in Verbo.

9406. Et sub pedibus Ipsius, quod significet ultimum sensum, qui est sensus ipsius literae, constat ex significatione pedum, quod sint naturalia, de quá n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952, ita plantae, quae sub pedibus, sunt ultima naturae: quod sub pedibus hic sit sensus ultimus Verbi, qui est sensus literae, est quia dicitur de Divino Vero seu Verbo, quod a Domino, et quod est Dominus, ut ex illis quae praecedunt constare potest; ac ultimum Veri Divini seu Verbi, est qualis est sensus literae, qui est naturalis quia pro homine naturali: quod sensus literae in se contineat sensum internum, qui est respective spiritualis et coelestis, constat ex omnibus illis quae de Verbo hactenus ostensa sunt: sed homo quo plus mundanus et corporeus est, eo minus hoc capit, quoniam is in lucem spiritualem non elevari se patitur, et inde videre quale est Verbum, quod nempe in litera sit naturale, et in sensu interno spirituale; nam e mundo spirituali seu e luce coeli videri possunt inferiora usque ad ultima qualia sunt, non autem vicissim, n: 9401 fin: ita quod Verbum in litera tale sit. Quia Verbum in litera est naturale, et per pedes significantur naturalia; ideo ultimum Verbi, sicut ultimum Ecclesiae, vocatur locus pedum Jehovae, ut et scabellum pedum Ipsius, et quoque nubes et tenebrae respective; ut apud Esaiam « Aperient portas tuas jugiter, ad adducendum ad Te exercitum gentium, et reges eorum deducentur: gloria Libani ad Te veniet; abies, taeda, buxus simul, ad decorandum locum Sanctuarii mei, et *locum pedum meorum honorabilem reddam* » LX: 11. 13; agitur hic de Domino ac Ipsius Regno et Ecclesia; per exercitum gentium intelliguntur qui in bonis fidei, et per reges qui in veris fidei; quod gentes sint qui in bonis fidei, videatur n: 1259. 1328. 1416. 1849. 4574. 6005; et quod reges qui in veris, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148; gloria Libani seu cedrus est bonum et verum spirituale; abies, taeda et buxus, sunt bona et vera naturalia correspondentia; locus sanctuarii est coelum et Ecclesia, et quoque Verbum; locus pedum est Coelum, Ecclesia, ut et Verbum in ultimis; quod etiam sit Verbum, est quia Coelum est Coelum ex Divino Vero

procedente a Domino, similiter Ecclesia; et Divinum Verum quod facit Ecclesiam et Coelum est Verbum; inde quoque intimum Tentorii, ubi arca in qua Lex, vocatur sanctuarium, Lex enim est Verbum, n: 6752. Apud Eundem „Coeli thronus meus, et terra *scabellum pedum meorum*" LXVI: 1. Apud Davidem „Exaltate Jehovam Deum nostrum, et *adorate versus scabellum pedum Ipsius;* Sanctus Ille: Moscheh et Aharon inter sacerdotes Ipsius; in *columna nubis* loquutus est ad illos" Psalm: XCIX: 5. 6. 7; scabellum pedum Jehovae, versus quod adorarent, est Divinum Verum in ultimis, ita Verbum; quod Moscheh et Aharon in sensu repraesentativo sint Verbum, videatur n: 7089. 7382. 9373. 9374; et quod nubes sit Verbum in litera, seu Divinum Verum in ultimis, Praefat: ad Cap: XVIII: Genes: n: 4060. 4391. 5922. 6343 fin: 6752. 8106. 8781, inde patet, quid sit loqui in columna nubis. Apud Eundem „Audivimus de Ipso in Ephrata, invenimus Ipsum in agris sylvae; intrabimus in habitacula Ipsius, et *incurvabimus nos scabello pedum Ipsius*" Psalm: CXXXII: 6. 7; agitur ibi de Domino, ac de revelatione Ipsius in Verbo, invenire Ipsum in Ephrata est in sensu Verbi spirituali coelesti, n: 4585. 4594; in agris sylvae est in Verbi sensu naturali seu literali, n: 3220. 9011 fin: scabellum pedum pro Divino Vero procedente a Domino, in ultimis. Apud Eundem „Jehovah inclinavit coelum, et *densae tenebrae sub pedibus Ipsius;* posuit *tenebras* latibulum suum, *tenebrae aquarum, nubes coelorum; a splendore ante Ipsum nubes Ipsius transiverunt*" Psalm: XVIII: 10. 12. 13; agitur hic de adventu et praesentia Domini in Verbo, densae tenebrae sub pedibus Ipsius, pro Verbi sensu literae, similiter tenebrae aquarum et nubes coelorum; quod usque isti sensui insit Divinum Verum quale est in coelis, significatur per quod posuerit tenebras latibulum suum; et quod ad praesentiam Domini appareat sensus internus qualis est in coelo, in sua gloria, significatur per quod a splendore ante Ipsum nubes Ipsius transeant. Apud Nahum „Jehovae in procella et tempestate via, *et nubes pulvis pedum* Ipsius" I: 3, etiam ibi nubes pro Verbo in sensu literae, qui etiam est procella et tempestas, in qua Jehovae via. Quando apud hominem translucet Verum Divinum, quale est in coelo, ex ipso sensu literae, tunc hic sensus descri-

bitur per pedes et per splendorem eorum sicut aeris laevigati, ut quoque apud Danielem „Sustuli oculos meos et vidi, ecce vir unus indutus linteis, cujus lumbi cincti auro Uphasi, et corpus ejus sicut tharschisch, et facies Ipsius sicut facies fulguris, et oculi Ipsius sicut faces ignis, brachia Ipsius et *pedes Ipsius sicut splendor aeris laevigati*, et vox verborum Ipsius sicut vox turbae" X: 5. 6, hic per virum indutum linteis in sensu supremo intelligitur Dominus, et quia Dominus, etiam intelligitur Divinum Verum quod ab Ipso, nam Divinum Verum quod a Domino, est Ipse Dominus in coelo et in Ecclesia; Verum Divinum seu Dominus in ultimis intelligitur per brachia et pedes sicut splendor aeris laevigati, tum per vocem verborum Ipsius sicut vox turbae: similiter apud Ezechielem Cap: I: Vers; 7. Status Ecclesiae successivus in hac Tellure quoad [37] receptionem Veri Divini procedentis a Domino etiam intelligitur per statuam visam Nebuchadnezari, apud Danielem „Caput statuae aurum, pectus ejus et brachia ejus Argentum, Venter ejus et femora aes, crura ejus ferrum, *pedes ejus ex parte ferrum et ex parte argilla*, quae non cohaerebant; et lapis ex petra contrivit ferrum, argillam, aes, argentum et aurum" II: 32. 33. 43; primus status Ecclesiae quoad receptionem Veri procedentis a Domino est aurum, quoniam per aurum significatur bonum coeleste, quod est bonum amoris in Dominum, n: 113. 1551. 1552. 5658. 8932; secundus per argentum, quod est bonum spirituale, quod est bonum fidei in Dominum et charitatis erga proximum, n: 1551. 2954. 5658. 7999. Tertius per aes quod est bonum naturale, n: 425. 1551; et quartus per ferrum quod est Verum naturale, n: 425. 426; argilla est falsum, quod non cohaeret cum Vero et bono; quod lapis ex petra contriverit ferrum, aes, argentum et aurum, significat quod Ecclesia quoad receptionem Veri ex Verbo pereat, cum falsum et malum confirmantur per sensum literae Verbi, quod fit cum Ecclesia in ultimo suo statu est, quando non amplius in aliquo coelesti amore, sed solum in mundano et corporeo; tale fuit Verbum quoad receptionem ejus apud Gentem Judaicam cum Dominus in mundum venit, et tale est apud plerosque Verbum hodie, usque adeo ut ne quidem sciatur quod aliquid internum sit in Verbo; et si diceretur quod sit et quale sit, non recipiatur; cum

tamen in antiquissimis temporibus, quae significata sunt per aurum, in Verbi sensu literae nihil aliud visum sit quam coeleste paene abstracte a litera. Ex his nunc constare potest, quod per Deum Israëlis visum sub pedibus, significetur Verbum in sensu ultimo, qui est sensus literae.

9407. Sicut opus sapphiri, quod significet ibi translucidum, a veris internis, et omnia a Domino, constat ex significatione operis sapphiri, quod sit quale sensus literalis Verbi, quum in eo appercipitur sensus internus, ita cum Divinum Verum procedens a Domino, quale est in coelo, translucet; Verbum enim est Divinum Verum procedens a Domino, quod in sua origine est Divinum, et in progressu per coelos in intimo Coelo est coeleste, in secundo seu medio est spirituale, in primo seu ultimo est spirituale naturale, et in mundo est naturale et mundanum, tale est in sensu literae qui pro homine; inde patet, quod hic sensus, qui est ultimus in ordine, contineat in se sensum spiritualem et coelestem, ac intime ipsum Divinum; et quatenus hi sensus in ultimo seu literali continentur, et apparent illis qui spiritualiter capiunt Verbum, ideo repraesentatur ille per opus sapphiri, quod transmittit radios lucis coelestis seu translucet. Ut aliqua idea de translucentia illa sistatur, sit loquela humana pro exemplo; illa in prima sua origine est finis quem homo manifestare per loquelam vult, hic finis est amor ejus, nam quod homo amat hoc pro fine habet; ex illo fluit cogitatio hominis, et tandem loquela; quod ita sit, quisque qui bene reflectit, scire et appercipere potest; quod finis sit primum loquelae, constat ex communi regula, quod omni intelligentiae insit finis, et quod absque fine non sit intelligentia; et quod cogitatio sit alterum loquelae ex primo illo fluens, nam loqui absque cogitatione, et cogitare absque fine, nemo potest; quod inde sequatur loquela vocum, et quod haec sit ultimum, quod proprie loquela vocatur, notum est: quia ita est, homo qui attendit ad loquelam alterius, non attendit ad voces seu verba loquelae, sed ad sensum ex illis qui est cogitationis ejus qui loquitur; et qui sapiens est, attendit ad finem propter quem ita ex cogitatione loquutus est, hoc est, quid intendit et quid amat: haec tria sistuntur in loquela hominis, quibus loquela vocum inservit pro ultimo plano. Ex hac comparatione idea potest haberi

de Verbo in litera, hoc enim non aliter attenditur et appercipitur in coelo, quam solet cogitatio hominis quae sistitur per loquelam vocum, et in intimo coelo, quam solet intentio seu finis; ast differentia est, quod sensus literae Verbi, cum legitur ab homine, non audiatur nec appercipiatur in coelo, sed modo sensus internus, quoniam in coelo percipitur modo spirituale et coeleste Verbi, non autem naturale ejus, transit sic unus sensus in alterum, quia correspondent, et Verbum per mera correspondentia scriptum est: inde patet, quid intelligitur, cum de Verbo, per translucidum, quod significatur per opus sapphiri. Sed qui non intellectualiter potest cogitare, hoc est, abstracte a materialibus, haec non capere potest, ne quidem quod dari possit alius sensus in Verbo, quam qui exstat in litera, si ei dicitur, quod insit sensus spiritualis, qui est veri, et in hoc sensus coelestis qui est boni, et quod hi sensus transluceant e sensu literali, stupescet primum, ac postea rejiciet sicut nullum, et tandem subsannabit: quod tales sint hodie in orbe Christiano, imprimis eruditi mundi, per vivam experientiam ostensum est; tum quod sapientiores aliis se venditent, qui contra illud verum ratiocinantur, quam qui affirmant illud: cum tamen eruditio in primaevis temporibus quae aurea et argentea vocata sunt, fuerat, ita loqui et ita scribere, ut non attenderetur ad sensum literae aliter quam ut ex illo transluceret sapientia recondita, ut constare potest manifeste ex Libris vetustissimis, etiam apud gentiles, et quoque a reliquiis in eorum Linguis; scientia enim eorum praecipua fuit scientia correspondentiarum, et scientia repraesentationum, quae scientiae hodie inter res deperditas sunt. Quod sub pedibus Domini apparuerit sicut opus sapphiri, et hoc significet translucentiam Verbi in sensu literae, est quia Lapis in genere significat Verum, et lapis pretiosus Verum translucens a Divino Domini; quod Lapis in genere significet Verum, videatur n: 643. 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798. 6426. 8609. 8940. 8941. 8942, et quod Lapis pretiosus Verum translucens a Divino Domini; hoc significatum est per duodecim lapides pretiosos in pectorali Aharonis, quod urim et thumim vocatum est, n: 3862. 6335. 6640; similiter apud Ezechielem „Plenus sapientia et perfectus pulchritudine, in Eden horto Dei fuisti; *omnis lapis pretiosus* operimentum tuum,

Rubinus, Topazius, Adamas, Tharschisch, Schoham, et Jaspis, *Sapphirus*, Chrysoprasus, Smaragdus, et Aurum; opus tympanorum tuorum et fistularum tuarum in te, in die quo creatus es, praeparata sunt; perfectus tu in viis tuis, in die quo creatus es » XXVIII: 12. 13. 15, ibi de Tyro, per quam significatur Ecclesia quoad cognitiones veri et boni interiores, n: 1201; intelligentia et sapientia ejus qualis fuerat in ejus infantia seu primo aevo, describitur per lapides illos pretiosos; dies quo creatus, significat statum primum cum regenerati, creatio enim in Verbo est regeneratio, seu nova hominis creatio, n: 16. 88. Similia per lapides pretiosos significantur apud Johannem « Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso exornata, *fundamentum* primum Jaspis, *secundum Sapphirus*, tertium Chalcedonius, quartum Smaragdus, quintum Sardonyx, sextum Sardius, septimum Chrysolithus, octavum Beryllus, nonum Topazius, decimum Chrysoprasus, undecimum Hyacinthus, duodecimum Amethystus » [Apoc:] XXI: 19. 20, agitur ibi de sancta Hierosolyma descendente e coelo, per quam intelligitur nova Ecclesia apud Gentes, postquam hodierna quae in orbe nostro Europaeo, vastata est; lapides pretiosi qui fundamenta, sunt vera Divina in ultimo ordinis translucentia. Verum Divinum in ultimo ordinis translucens, quod est Verbum in litera, imprimis significatur per Sapphirum, ut apud Esaiam « Afflicta et procellis jactata, nec consolationem nacta; ecce dispono cum stibio *lapides tuos*, et *fundamenta tua ponam in Sapphiris* » LIV: 11, ibi quoque agitur de Ecclesia quae successura priori, quae intelligitur per desolatam cui multi filii prae-maritatae, Vers: 1; disponere lapides pro vera Ecclesiae, fundamenta in sapphiris pro vera in ultimis translucentia. Simile per Sapphirum significatur apud Jeremiam « Albi Naziraei ejus prae nive, candidi erant prae lacte, rubuerunt ossa prae margaritis, *Sapphirus polities eorum* » Thren: IV: 7, Naziraei in sensu repraesentativo significabant Dominum quoad Divinum Naturale, n: 3301. 6437, inde quoque Divinum Verum procedens ab Ipso in ultimis, quod est Verbum in sensu literae; crines enim, qui hic intelliguntur per Naziraeos, et dicuntur albi prae nive et candidi prae lacte, significant Verum in ultimis, n: 3301. 5247. 5570, albedo et candor praedicatur de vero, n: 3301. 5319; ossa quae rubue-

runt sunt vera scientifica, quae ultima, ac reliquis inserviunt pro servis, n: 6592. 8005; rubor praedicatur de bono amoris quod in veris, n: 3300, inde patet quod sapphirus sit verum in ultimis a veris internis translucens. Apud Ezechielem „Super expansum quod super capite Cheruborum, quasi *aspectus lapidis sapphiri*, similitudo throni, et super similitudine throni quasi aspectus hominis super illo sedentis" I: 26. Cap: X: 1, Cherubi sunt custodia et Providentia Domini, ne ad Ipsum sit aditus nisi per bonum, n: 9277 fin: Thronus super quo aspectus Hominis, est Divinum Verum a Divino Bono Domini, n: 5313. 6397. 9039: inde patet, quod lapis sapphirus sit Verum translucens a veris internis, nempe lapis verum, et sapphirus translucentia. Quod omnia Verbi transluceant a Domino, est quia Divinum Verum quod a Domino, est unicum, ex quo omnia; quod enim est primum, hoc in sequentibus et derivatis est unicum, quoniam ex illo sunt et existunt; et Divinum Verum est Dominus; quapropter etiam in Verbi sensu supremo agitur de solo Domino, de Ipsius amore, Providentia, Regno in coelis et in terris, imprimis de Ipsius Humani glorificatione. Quod Divinum Verum sit Ipse Dominus, patet ex eo, quod quicquid procedit ab aliquo est ipse, sicut quod procedit ab homine dum loquitur aut agit, est ex ejus voluntario et intellectuali; ac voluntarium et intellectuale facit vitam hominis, ita ipsum hominem; homo enim non est homo ex forma faciei et corporis, sed ex intellectu veri et voluntate boni; inde constare potest, quod id quod procedit a Domino, sit Dominus, quod id sit Divinum Verum, in praecedentibus saepius ostensum est. Sed qui non scit arcana coeli, credere potest, quod cum Divino Vero quod procedit a Domino, non [38] aliter se habeat, quam sicut cum loquela quae procedit ab homine; ast non est loquela, sed Divinum implens coelos, sicut est lux et calor e sole implens mundum; hoc illustrari potest per sphaeras quae procedunt ab Angelis in coelo, de quibus n: 1048. 1053. 1316. 1504 ad 1520. 1695. 2401. 4464. 5179. 6206 fin: 7454. 6598 ad 6613. 8063. 8630. 8794. 8797, quae quod sint sphaerae veri fidei et boni amoris a Domino, in locis illis ostensum videatur: sphaera autem Divina, quae procedit a Domino, quae vocatur Divinum Verum, est Universalis, ac, ut dictum, implet universum

coelum, ac facit omne vitae ibi; apparet ibi coram oculis sicut Lux, quae non modo illuminat visum, sed etiam mentes; eadem etiam est, quae apud hominem facit intellectum: hoc intelligitur apud Johannem „ In Ipso vita erat, et vita erat lux hominum; erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum, et mundus per Ipsum factus est" I: 4. 9. 10, agitur ibi de Divino Vero, quod vocatur Verbum, et quod Divinum Verum seu Verbum sit Ipse Dominus. Illa Lux, quae est Divinum Verum procedens a Domino, ab antiquis descripta est per circulos radiosos coloris aurei circum caput et corpus Dei repraesentati ut homo, nam Antiqui non aliter perceperant Deum quam sub humana forma. Quum homo in bono est, et ex bono in veris, tunc elevatur ille in Divinam illam lucem, et secundum quantum et quale boni in interiorem; inde illi [39] illustratio communis, in qua a Domino videt innumerabilia vera, quae percipit ex bono; et tunc a Domino ducitur ad appercipienda et imbuenda illa quae ei conveniunt, et hoc quoad singularissima ordine, sicut ejus vitae aeternae conducit: quoad singularissima dicitur, quoniam universalis Providentia Domini est universalis quia in singularissimis, nam singularia simul vocantur Universale, n: 1919 fin: 6159. 6338. 6482. 6483. 8864. 8865.

9408. Et sicut substantia coeli quoad munditiem, quod significet translucentiam coeli angelici, constat ex significatione coeli, quod sit coelum angelicum, de qua sequitur; et ex significatione munditiei seu puritatis substantiae, cum dicitur de coelo, quod sit translucentia. Quid translucentia coeli angelici sit, cum de Verbo, paucis dicetur; Coelum angelicum dicitur translucere, cum Verum Divinum translucet; nam universum Coelum non est nisi quam receptaculum Veri Divini; quilibet enim Angelus est receptio ejus in particulari, ita omnes seu totum coelum in communi, inde coelum vocatur habitaculum Dei, et quoque thronus Dei, quia per habitaculum significatur Verum Divinum procedens a Domino receptum in intimo coelo, quod respective est bonum, n: 8269. [40] 8309; et per thronum significatur Verum Divinum a Domino receptum in medio coelo, n: 5313. 6397. 8625. 9039: quoniam est Verum Divinum, quale est in coelis, quod

e Verbi sensu literae translucet, ideo est coelum angelicum quod translucet; nam Verbum est Divinum Verum accommodatum omnibus coelis, ac inde conjungit coelos cum mundo, hoc est, Angelos cum hominibus, n: 2143. 7153. 7381. 8520. 9094 fin: [41] 9212 fin: 9216 fin: 9357. 9396; ex his patet, quid intelligitur per translucentiam coeli Angelici. Quod Coelum in sensu interno sit coelum angelicum, est ex correspondentia, et quoque ex apparentia; inde est, [quod] ubi in Verbo dicuntur coeli, tum coeli coelorum, in sensu interno intelligantur coeli angelici: Antiqui enim non aliam ideam de Coelo aspectabili habuerunt, quam quod ibi habitarent coelicolae, et quod sidera essent eorum habitacula; similis idea quoque hodie est simplicium, et imprimis infantum; inde quoque sursum ad coelum aspicitur, cum adoratur Deus: est quoque correspondentia, nam in altera vita apparet Coelum cum sideribus, sed non coelum quod apparet hominibus in mundo; verum est Coelum apparens secundum statum intelligentiae et sapientiae spirituum et Angelorum; sidera ibi sunt cognitiones boni et veri, et nubes quae sub coelo quandoque conspiciuntur, sunt variae significationis secundum colores, translucentiam et progressiones; caeruleum coeli est Verum transparens ex bono: ex his constare potest, quod per coelos significentur coeli angelici; per coelos autem angelicos significantur Vera Divina, quoniam Angeli sunt receptiones Veri Divini procedentis a Domino: similia per Coelos significantur apud Davidem „*Laudate Jehovam coeli coelorum*, et aquae quae supra coelos" Psalm: CXLVIII: 4. Apud Eundem „Psallite Domino *equitanti super coelo coeli* antiquitatis" Psalm: LXVIII: 34. Apud Eundem „*Per Verbum Jehovae coeli facti sunt*, et omnis exercitus eorum" Psalm: XXXIII: 6. Apud Eundem „*Coeli enumerant gloriam Ipsius*, et opera manuum Ipsius annuntiat *firmamentum*" Psalm: XIX: 2. In Libro Judicum „Jehovah quando exivisti e Seir, terra contremuit, *etiam coeli stillarunt*, etiam nubes stillarunt aquas" V: 4. Apud Danielem „Cornu hirci *crevit usque ad exercitum coelorum*, et dejecit in terram de exercitu et de stellis, et conculcavit illa" VIII: 10. Apud Amos „Dominus Jehovih, *aedificat in coelis gradus suos*" IX: 6. Apud Malachiam „Si sit cibus in domo mea, *aperturus sum fenestras coeli*, et effusurus vobis benedi-

ctionem» III: 10. Apud Esaiam „*Prospice e coelis*, et vide ex habitaculo sanctitatis tuae et decoris tui» LXIII: 14. Apud Moschen „Benedicta a Jehovah terra Josephi, de *pretiosis coeli, de rore*» Deut: XXXIII: 13. Apud Matthaeum „Jesus dixit, *non jurabis per coelum*, quia thronus Dei est: qui *juraverit per coelum*, jurat per thronum Dei, et per Ipsum qui sedet super illo» V: 34. Cap: XXIII: 22; in his locis et in pluribus aliis per Coelos significantur coeli angelici: et quia Coelum Domini in terris est Ecclesia, etiam per coelum significatur Ecclesia, ut in sequentibus locis; apud Johannem „*Vidi coelum novum* et *terram novam, prius enim coelum et prior terra transierat*» Apoc: XXI: 1. Apud Esaiam „Ecce *Ego creans Coelos novos* et *terram novam*, ideo nec commemorabuntur priora; neque ascendent super cor» LXV: 17. [42] Apud Eundem „*Coeli sicut fumus evanescent*, et *terra* sicut vestis veterascet» LI: 6. Apud Eundem „*Vestio coelum atrore*, et saccum facio velamen» L: 3. Apud Ezechielem „*Obtegam coelos*, et *atrabo stellas eorum*, solem nube obtegam, et luna non lucere faciet lumen suum, et *omnia luminaria lucis in coelo* atrabo, et dabo tenebras *super terra*» XXXII: 7. 8. Apud Matthaeum „Post afflictionem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et *stellae cadent de coelo*, et *virtutes coelorum* commovebuntur» XXIV: 29: quid per solem, lunam, stellas, et in coelis, significetur, videatur n: 4056 ad 4060. Apud Esaiam „Jehovah Deus Israëlis, Tu es solus Deus, *super omnia regna terrae, tu fecisti coelum et terram*» XXXVII: 16. Apud Eundem „Jehovah faciens omnia, *expandens coelos solus*, extendens *terram* a Me Ipso» XLIV: 24. Apud Eundem „*Jehovah creans coelos, formans terram*, et faciens eam, et praeparans eam, non inanitatem creavit eam» XLV: 18; quod per coelum et terram in his locis et in aliis in sensu interno intelligatur Ecclesia, per Coelum Ecclesia interna, et per terram Ecclesia externa, videatur n: 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 3355 fin: 4535; ex quibus patet, quod per Creationem in Primis Capitibus Geneseos, ubi dicitur „*In principio creavit Deus coelum et terram*» Genes: I: 1. „*Et absoluti sunt coeli et terra, et omnis exercitus eorum*» Cap: II: 1, intelligatur nova Ecclesia, creatio enim ibi est nova regeneratio, quae etiam nova

creatio vocatur, ut in explicationibus ad illa Capita ostensum videri potest.

9409. Et ad sepositos filios Israëlis, quod significet illos qui in solo sensu externo separato ab interno, constat ex repraesentatione filiorum Israëlis qui sepositi seu separati a Moscheh, Aharone, Nadab et Abihu, et a septuaginta senioribus, de quibus supra Vers: 2. dicitur, quod non ascendent, quod sint qui in Verbi sensu externo separato ab interno, de qua supra n: 9380. Paucis hic dicetur, quinam et quales illi sunt qui in sensu Verbi externo separato ab interno, sunt qui ex Verbo nullam Doctrinam charitatis et fidei extrahunt, sed manent solum in Verbi sensu literae; doctrina charitatis et fidei est internum Verbi, et sensus literae est externum ejus: qui in sensu externo Verbi absque interno sunt, illi quoque in cultu externo absque interno sunt, colunt externa sicut sancta et Divina, et quoque credunt quod in se sancta et Divina sint, cum tamen sancta et Divina ex internis sunt: quod tales fuerint filii Jacobi, videatur n: 3479. 4281. 4293. 4307. 4429. 4433. 4680. 4844. 4847. 4865. 4868. 4874. 4899. 4903. 4911. 4913. 6304. 8588. 8788. 8806. 8871. Sed hanc rem exempla illustrent; crediderunt quod ab omni peccato et ab omni reatu puri essent, cum sacrificia obtulerint, et ex sacrificiis comederint; autumantes quod sacrificia in externa forma absque interna essent sanctissima cultus, et tunc boves, juvenci, agni, caprae, oves, arietes, hirci, sancti, et quod altare esset omnium sanctissimum; similiter quod panis mincharum, et vinum libaminum: crediderunt etiam, quod cum laverint vestes suas, et corpora sua, prorsus mundi essent; pariter quod ignis altaris perpetuus, ac ignes lucernae, sancti essent ex se, tum panes propositionis, ut et oleum unctionis; praeter reliqua: quod ita crediderint, erat causa, quia omne internum rejecerunt, usque adeo ut ne quidem audire voluerint de internis, sicut quod amarent Jehovam propter Ipsum, et non propter se ut eveherentur ad dignitates et ad opulentiam supra omnes gentes et populos in universo; ideo nec audire voluerunt de Messia quod venturus propter salutem et felicitatem eorum aeternam, sed propter se ut eminerent super omnes in mundo; nec audire voluerunt de amore mutuo et charitate erga proximum propter proximum et

ejus bonum, sed propter se, quantum sibi faveret; inimicum animum gerere, odio habere, vindicare, saevire, nihili faciebant, modo aliquid causae nacti sint. Aliter prorsus credidissent et fecissent, si Doctrinam amoris et fidei in Dominum, et charitatis erga proximum, recipere voluerint; tunc scivissent et credidissent, quod holocausta, sacrificia, minchae, libamina et comessationes ex sacrificiis non purificaverint illos ab aliquo reatu et peccato, sed quod cultus Dei et poenitentia ex corde, Deut: XXIII: 19, Jerem: VII: 21. 22. 23. [43] Mich: VI: 6. 7. 8. Hosch: VI: 6. Psalm: XL: 7. 9. Psalm: LI: 18. 19. I Sam: XV: 22: similiter quod Lavationes vestium et corporis non aliquem mundarent, sed purificationes cordis: pariter quod ignis altaris, et ignes lucernae, tum panes propositionis, ut et oleum unctionis, non sancta essent ex se, sed ex internis quae significabant; et quod cum in sanctis internis essent, tunc sancti essent, non a se, sed a Domino, a Quo omne sanctum: filii Israëlis, haec interna scivissent, si recepissent Doctrinam amoris et charitatis, quoniam haec docet, quid involvunt externa; ex illa Doctrina etiam Verbi sensus internus scitur, quoniam sensus internus Verbi est ipsa Doctrina amoris in Dominum et charitatis erga proximum, quod etiam docet Dominus, dicendo, quod ex binis illis mandatis omnis Lex et omnes prophetae pendeant, Matth: XXII: 37. 38. [44] Similiter paene se habet hodie in Christiano Orbe, in quo quia nulla Doctrina amoris in Dominum et Charitatis erga proximum est, usque adeo ut vix sciatur quid amor coelestis et amor spiritualis, qui est charitas, ideo in externis sunt absque interno; bonum enim amoris coelestis et spiritualis, et inde verum fidei, facit internum hominis; inde est, quod etiam hodie sensus externus Verbi, absque Doctrina regulatrice et ductrice, flectatur quousque libet; doctrina enim fidei absque Doctrina amoris et charitatis, est sicut umbra noctis, at Doctrina fidei ex Doctrina amoris et charitatis est sicut lux diei; nam bonum quod est amoris et charitatis, est sicut flamma, et Verum fidei est sicut lux inde. Quoniam in Orbe Christiano tales hodie sunt, nempe in externis absque interno, ideo vix aliqui afficiuntur vero propter verum; inde quoque est, quod ne quidem sciant quid bonum, quid charitas, et quid proximus, tum quid internum hominis, nec quid coelum et quid infernum,

nec quod vita sit unicuique statim post mortem: qui illorum in doctrina suae Ecclesiae manent, non curant num falsa sint aut vera; discunt illa et confirmant illa, non propter finem exercendi bonum charitatis ex corde, nec propter salutem suae animae et felicitatem aeternam, sed propter prosperitatem in mundo, hoc est, ut lucrentur famam, honores, et opes; inde est, quod nulla illuminatio illis sit cum legunt Verbum; et quod prorsus negaturi sint, quod aliquod internum in Verbo sit, praeter quod exstat in litera: sed de hac re ab experientia, ex Divina Domini Misericordia, alibi plura dicentur.

9410. Non misit manum suam, quod significet quod ibi non verum in sua potentia, constat ex significatione manus, quod sit potentia quae per Verum; quod manus sit potentia, videatur n: 878. 3091. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544. 6947. 7011. 7188. 7189. 7518. 7673. 8050. 8153. 8281. 9025. 9133; quod sit per Verum, n: 3091. 3503. 6344. 6423. [45] 8304; et quod omnis potentia veri sit ex bono, ita per bonum a Domino, n: 6948. 8200. 9327; inde patet, quod per non misit manum suam ad sepositos filios Israëlis, significetur quod illis qui in sensu Verbi externo separato ab interno sunt non sit Verum in sua potentia: causa quod apud illos non verum sit in sua potentia, est quia separati sunt a Coelo, et sic a Domino, Verbum enim conjungit hominem Coelo, et per Coelum Domino, quoniam omnia quae sunt sensus literae Verbi correspondent rebus spiritualibus et coelestibus, in quibus sunt Angeli; cum quibus nulla communicatio est, si Verbum modo secundum literam capitur, et non simul secundum aliquod doctrinale Ecclesiae, quod est internum Verbi. Pro exemplo sint Domini verba ad Petrum „*Tu es Petrus, et super hac petra aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferni non praevalebunt illi: et dabo tibi claves Regni coelorum, et quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in coelis; et quicquid solveris in terra, erit solutum in coelis*" Matth: XVI: [18.] 19: pariter ad discipulos „*Amen dico vobis, quaecunque ligaveritis super terra, erunt ligata in coelo, et quaecunque solveritis super terra, erunt soluta in coelo*" Matth: XVIII: 18: qui in sensu externo Verbi separato ab interno sunt, ita qui separati a vera doctrina Ecclesiae, sibi persuadent quod talis potestas a Domino data sit

Petro, et quoque reliquis Discipulis Domini; inde infernalis illa haeresis, quod in humana potestate sit intromittere in coelum et excludere e coelo quemcunque libet; cum tamen secundum veram Ecclesiae Doctrinam, quae etiam est internum Verbi, illa potestas est soli Domino: quapropter qui in sensu Verbi externo et simul in interno sunt, capiunt quod haec dicta sint de fide et ejus Veris quae a Domino, et quod fidei a Domino, ita Ipsi Domino illa potestas sit, et sic nullatenus alicui homini: quod ita sit, constare potest a repraesentatione Petri et duodecim Discipulorum, tum a significatione petrae, et quoque a significatione clavium; quod Petrus repraesentaverit fidem, videatur Praefat: ad Cap: XVIII et XXII Genes: tum n: 3750. 4738. 6000. 6073 fin: et quod duodecim Discipuli Domini, sicut duodecim Tribus Israëlis, repraesentaverint omnia fidei et amoris, n: 3488. 3858. 6397; quod petra significet Dominum quoad fidem, et sic fidem quae a Domino, n: 8581; et quod claves significent potentiam, constat ex locis in Verbo, ubi Claves nominantur, ut apud Johannem „Ego sum Primus et Novissimus, Qui vivit, et fui mortuus; sed ecce vivo Ego in saecula saeculorum, et *habeo claves inferni et mortis*" Apoc: I: 18: apud Eundem „Haec dicit Sanctus, Verus, *Qui habet clavem Davidis*, qui *aperit ut nemo claudat, et claudit ut nemo aperiat*" Apoc: III: 8: et apud Esaiam „*Dabo clavem domus Davidis super humerum Ipsius, ut aperiat et non claudens, et claudat nec aperiens*" XXII: 22; quod in his locis clavis sit potentia, patet; et quod ea sit Soli Domino. Ex his constare potest, quales illi sunt, qui in sensu Verbi externo separato ab interno sunt, quod nempe illis nulla conjunctio cum coelo sit, ita nulla cum Domino; sicut illi qui explicant illa verba Domini ad Petrum et ad discipulos secundum literam, quod sibi arrogent potentiam salvandi genus humanum, ac se deos coeli et terrae faciant, et hoc ex vesano amore sui et mundi: quisque, qui ex sana ratione cogitat, videre et capere potest, quod homo non possit solvere unum peccatum, quoniam peccatum non solvitur nisi per formationem novae vitae, hoc est, per regenerationem a Domino; quod regeneratio perstet usque ad finem vitae hominis in mundo, et postea in aeternum, videatur n: 8548 ad 8553. 8635 ad 8640. 8742 ad 8747. 8853 ad 8858. 8958 ad 8968.

Quid sit Verum in sua potentia, etiam paucis dicetur; quod Angeli in Verbo dicantur Potentiae, et quoque quod sint Potentiae, in Ecclesia notum est; ast non sunt Potentiae ex se, sed ex Domino, quoniam sunt recipientes Veri Divini quod a Domino: potentia illis a Domino talis est, ut unus illorum possit mille ex turba diabolica abigere, includere infernis, et compescere: Verum enim Divinum quod a Domino, implet coelos, et facit coelos; et si credere vultis, per id omnia facta et creata sunt; Verbum, quod erat in principio apud Deum, et quod erat Deus, per quod omnia creata sunt, et per quod mundus factus, de quo apud Johannem Cap: I: Vers: 1 ad 14, est Divinum Verum; quod hoc sit unicum substantiale, ex quo omnia, pauci possunt capere, quoniam idea de Divino Vero non alia hodie habetur, quam qualis de loquela oris ex imperante, secundum quam mandata efficiuntur; sed qualis idea de illo habenda sit, videatur n: 9407 ad fin: Omnipotentia Divini Veri quod a Domino, describitur multis in locis in Verbo, et quoque apud Johannem in Apocalypsi „Factum est bellum in coelo, Michaël et Angeli ejus pugnarunt contra draconem; draco autem pugnavit, et angeli ejus, sed non praevaluerunt; neque locus inventus est eorum amplius in coelo: *vicerunt illum per sanguinem Agni, et per Verbum testimonii sui*" XII: 7. 8. 11; quod Sanguis Agni sit Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini, videatur n: 4735. 6978. [46] 7317. 7326. 7850. 9127. 9393. 9395; et quod Verbum testimonii sui sit Verum Divinum receptum, patet. Qui in Verbi sensu externo separato ab interno sunt, ita qui separati a vera doctrina Ecclesiae, illi propheticum illud non aliter capiunt quam secundum literam, quod nempe per sanguinem intelligatur sanguis, ita passio Domini, cum tamen est Divinum Verum procedens a Domino, quod per sanguinem ibi significatur: qui in vera Ecclesiae doctrina sunt, illi scire possunt, quod non per sanguinem salventur, sed per audire Verum Divinum, et facere illud, ita qui per Divinum Verum patiuntur se regenerari a Domino: hoc scire, capere, videre et percipere possunt omnes qui in illustratione sunt a Domino, ita omnes qui in bono charitatis et fidei, nam hi sunt qui illustrantur: hoc confiteri possum, quod cum lego *sanguinem Agni*, et cogito de *sanguine Domini*, Angeli apud me non aliter sciant quam

quod legam *Divinum Verum procedens a Domino*, et quod *cogitem de illo.* At simplices maneant in sua doctrina, quod per sanguinem Domini salventur, modo vivant secundum Divinum Ipsius Verum; nam qui secundum id vivunt, illustrantur in altera vita.

9411. Et viderunt Deum, quod significet fidem, constat ex significatione videre Deum, quod sit donari intelligentia et fide; videre enim in sensu interno est spiritualiter videre, et spiritualiter videre est ex fide videre; inde est quod videre in Verbo significet fidem habere, n: 2325. 3863. 3869. 4403 ad 4421. 5400. 6805. 9128. Quod viderint Deum Israëlis, hoc est, Dominum, est quia Leges promulgatae e monte Sinai in lato sensu significant Verbum in toto complexu, et Verbum est Divinum Verum a Domino, quod in supremo sensu agit de solo Domino; quapropter illi qui in illustratione sunt, cum legunt Verbum, vident Dominum, quod fit ex fide et ex amore; hoc fit in solo Verbo, et non in alio quocunque scripto: inde patet cur Moscheh, Aharon, Nadab et Abihu, et septuaginta seniores viderint Ipsum; quod hi viderint Ipsum, et non sepositi filii Israëlis, patet a Vers: 9 et 10 praeced: nam ibi dicitur, quod „ascenderit Moscheh, et Aharon, Nadab et Abihu, et septuaginta ex senioribus Israëlis, et viderunt Deum Israëlis" et in hoc Versu „Et ad sepositos filios Israëlis non misit manum:" quod illi viderint Deum, et non hi, erat causa, quia Moscheh et Aharon repraesentabant Verbum quoad sensum internum et externum, n: 9374; et Nadab et Abihu doctrinam ex utroque, n: 9375; et septuaginta seniores omnes qui in bono ex veris inde, n: 9376. 9404; sepositi autem filii Israëlis illos qui in sensu Verbi externo separato ab interno.

9412. Et comederunt et biberunt, quod significet informationem de bono et vero cultus, constat ex significatione comedere, quod sit conjunctio et appropriatio boni, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 fin: 3596. 3832. [47] 4745. 5643; et ex significatione bibere, quod sit conjunctio et appropriatio veri, de qua n: 3089. 3168. 4017. 4018. 5709. 8562; quod etiam sit informatio, nempe comedere informatio de bono, et bibere informatio de vero; est quia cibus spiritualis est omne bonum fidei ex quo sapientia, et potus spiritualis est omne verum fidei ex quo

intelligentia, n: 56 ad 58. 681. 1480. 3069. 3114. 3168. 3772. 4792. 5147. 5293. 5340. 5342. 5576. 5579. 5410. 5426. 5487. 5582. 5588. 5655. 5915. 8562. 9003; inde apud Antiquos comessationes, convivia, prandia et coenae instituebantur, ut consociarentur per talia quae sapientiae et intelligentiae, n: 3596. 3832. 5161. 7836. 7996. 7997: inde etiam convivia, prandia et coenae in Verbo significant consociationes quoad fidem et amorem; ut apud Matthaeum „Multi ab oriente usque ad occidentem venient, *et accumbent cum Abrahamo, Isaco et Jacobo in Regno coelorum*" VIII: 11. Apud Lucam „Jesus dixit ad discipulos; *comedetis et bibetis super mensa mea in Regno meo*" XXII: 30. Apud Eundem „Beati servi, quos veniens Dominus invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod cincturus sit se, *et accumbere facturus eos,* et Ipse accedens ministraturus illis" XII: 37. Apud Johannem „Rogarunt Jesum discipuli, *dicentes Magister, ede;* Ipse vero dixit illis, *Ego cibum habeo quem edam, quem vos nescitis*" IV: 31. 32. Apud Eundem „Jesus dixit, Ego sum panis vivus, qui e coelo descendit, si quis *comederit ex hoc pane,* vivet in aeternum" VI: 51; quod panis coelestis hic intelligatur, patet; panis coelestis est omne bonum amoris et fidei a Domino, n: 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915. 6118. 9323. Quod edere et bibere significet informari de bono et vero fidei, constat ex sequentibus his locis; apud Lucam „Tunc incipietis dicere, *edimus coram Te*, et *bibimus,* et in plateis nostris docuisti: sed dicet, dico vobis, non novi vos unde sitis; discedite a Me omnes operarii iniquitatis" XIII: 26. 27; edere et bibere coram Domino pro instruere ex Verbo de bonis et veris fidei; in plateis docere pro ex Verbo Domini praedicare vera; praedicabatur enim olim in plateis, quoniam plateae significant vera doctrinae Ecclesiae, n: 2336. [48] Apud Esaiam „*Omnis sitiens ite ad aquas*, et cui non est argentum, ite, emite et *comedite*, ite emite sine argento, et sine pretio *vinum* et *lac:* quare appenditis argentum *pro eo quod non est panis*, et laborem vestrum pro eo *quod non ad satietatem:* attendite attendendo ad Me, et *comedite bonum*, ut delicietur *in pinguedine* anima vestra: inclinate aurem vestram, et ite ad Me, audite, ut vivat anima vestra: en testem populis dedi Ip-

sum, Principem et Legislatorem gentibus» LV: 1. 2. 3. 4. 5; ibi quod bibere et edere sit informari a Domino, et quod aquae, vinum, lac, panis et pinguedo, sint quae sunt veri et boni fidei ab Ipso, patet, nam dicitur, «Inclinate aurem vestram, ite ad Me, audite, ut vivat anima vestra; en testem populis dedi Ipsum, Principem et Legislatorem gentibus». Apud Ezechielem «Ecce Ego frangens baculum panis in Hierosolyma, ut *comedant panem* in pondere et sollicitudine; et *aquas* in mensura et stupore *bibant:* et careant *pane et aqua*, et contabescant propter iniquitatem eorum» IV: 16. 17, comedere panem et bibere aquas pro instrui in bonis et veris fidei, n: 9323; similiter apud Amos «Ecce dies venturi, quibus immittam *famem* in terram, *non famem ad panem, neque sitim ad aquas, sed ad audiendum verba Jehovae*» VIII: 11, quod fames ad panem et sitis ad aquas, sint penuria et defectus cognitionum boni et veri, videatur n: 3364. 4958. 5277. 5279. 5281. 5300. 5360. 5376. 5415. 5568. 8576. [49] 5579. 5893. 6110. Ex his constare potest, quid significat quod «aperti sint oculi discipulorum, et agnoverint Dominum, *cum Dominus fregit panem*, et *dedit illis*» Luc: XXIV: 29. 30. 31, quoniam frangere panem et dare illis in spirituali mundo significat instruere in bono et vero fidei, per quae apparet Dominus: tum quid significat panis et vinum, et quid comedere et bibere in sancta coena; et quid significat quod Dominus post illam institutam dixit ad discipulos «*Quod non bibiturus esset ex illo genimine vitis, usque ad diem illum, quando id bibiturus esset cum illis novum in Regno Patris*» Matth: XXVI. 26. 27. 28. 29. Quod comedere et bibere sit informatio de bono et vero *cultus*, erat quia post sacrificia et quoque ex sacrificiis id fiebat, et sacrificia repraesentabant in genere omnem cultum, n: 9391.

9413. Vers. 12. 13. 14. 15. *Et dixit Jehovah ad Moschen, ascende ad Me in montem, et esto ibi; et dabo tibi tabulas lapidis, et legem, et praeceptum, quae scribam ad docendum illos. Et surrexit Moscheh et Joschua minister ejus, et ascendit Moscheh ad montem Dei. Et ad seniores dixit, sedete nobis in hoc, donec revertamur ad vos; et ecce Aharon et Chur vobiscum; quisquis habens verba, accedat ad illos. Et ascendit Moscheh ad montem, et obtexit nubes montem.* Et di-

xit Jehovah ad Moschen, significat instructionem a Domino pro illis qui in sensu externo: ascende ad Me in montem, et esto ibi, significat praesentiam Domini apud illos per intermedium: et dabo tibi tabulas lapidis, significat librum legis, seu Verbum in omni complexu: et legem et praeceptum, significat verum in communi, et in particulari: quae scribam ad docendum illos, significat ad reminiscentiam et ad informationem: et surrexit Moscheh et Jehoschua minister ejus, significat Verbum, et repraesentativum: et ascendit Moscheh ad Montem Dei, significat versus coelum: et ad seniores dixit, significat illos qui in solo sensu externo: sedete nobis in hoc, [significat ut in illo maneant: donec revertamur ad vos,] significat usque ad responsum: et ecce Aharon et Chur vobiscum, significat doctrinam veri ex Verbo tali: qui habens verba accedat ad illos, significat quod inde removenda falsa: et ascendit Moscheh ad montem, significat ad coelum: et obtexit nubes montem, significat externa Verbi.

9414. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet instructionem a Domino pro illis qui in sensu externo, constat ex significatione dicere, quod sit instructio, cum involvit sequentia quae instructionis sunt, ut quoque n: 7186. 7241. 7267. 7304. 7380. 7517. [50] 7769. 7793. 7825. 8041; quod sit a Domino, est quia per Jehovam in Verbo intelligitur Dominus, n: 1343. 1736. 1793. 2004. 2005. 2018. 2025. 2921. 3023. 3035. 5663. 6280. 6281. 6303. 6905. 8274. 8864. 9315; et ex repraesentatione Moschis, quod sit medians inter Dominum et populum, ita Verbum quoad sanctum ejus externum, hoc enim est medians: quod Moscheh id nunc repraesentare incipiat, constat ex serie sequentium; populus enim ille in externo Verbi, et inde in externo cultus separato ab interno erat, videatur n: 9380: qui tales sunt, nequaquam communicationem sanctam habere possunt cum Domino, minus conjunctionem, nisi per intermedium: quomodo cum hac re se habet, plenius infra n: 9419 explicabitur. Quod ille populus in sensu Verbi externo separato ab interno esset, consequenter in simili cultu, patet manifeste a sequentibus; post quadraginta enim dies recesserunt prorsus, et vitulum aureum pro Jehovah coluerunt: quapropter etiam Moscheh tunc e manu projecit tabulas, et fregit

eas; et postea jussus dolare alias tabulas, super quibus scriberentur eadem verba; per quod significabatur, quod populus ille nullatenus agnoscere vellet aliquod doctrinale ex sensu interno Verbi, quale est in coelo, sed modo ex sensu ejus externo separato ab interno, quale etiam hodie apud illos est: quapropter etiam populus ille non amplius dicebatur populus Jehovae, sed populus Moschis, ut in sequente Capite XXXII « Loquutus est Jehovah ad Moschen, ito, descende, *quia corrupit se populus tuus, quem ascendere fecisti* e terra Aegypti » Vers: 7; tum Cap: XXXIII « Loquutus est Jehovah ad Moschen, ito, descende hinc [51] *tu* et *populus quem ascendere fecisti* e terra Aegypti » Vers: 1: eapropter etiam dein removebantur e monte, Cap: XXXIV « *Vir non ascendet tecum, etiamque vir non videbitur in toto monte; etiam pecus et armentum non pascent e regione montis hujus* » Vers: 3; per montem Sinai enim significatur Lex seu Divinum Verum ac Verbum quale est in Coelo, ita quoque coelum, n: 8399. 8753. 8793. 8805. Quod Moscheh prius repraesentaverit Verbum in communi, hoc est, tam quoad sensum ejus internum quam quoad externum, causa erat, quia ibi actum est de promulgatione Legis, quae significabat revelationem Divini Veri in communi: fuit enim id principium revelationis, nam reliqua, quae in Verbo, postea conscripta sunt.

9415. Ascende ad Me in montem, et esto ibi, quod significet praesentiam Domini apud illos per intermedium, constat ex significatione ascendere, quod sit elevatio versus superiora, hoc est, interiora, de qua n: 3084. 4539. 4969. 5406. 5817. 6007, ac inde conjunctio cum illis, n: 8760. 9373; quod sit praesentia Domini, est quia dicitur, ascende ad Me in montem et esto ibi, per Jehovam enim, ad quem ascenderet, intelligitur Dominus, videatur supra n: 9414, et per montem Sinai significatur Verbum quod a Domino, ita in quo Dominus, n: 8399. 8753. 8793. 8805, proinde etiam coelum, nam Verbum est Divinum Verum procedens a Domino, et Coelum est receptaculum Veri Divini, ita Ipsius Domini, ut prius saepe ostensum est; inde patet, quod per ascendere ad Jehovam in montem, significetur praesentia Domini: quod sit apud populum per intermedium, est quia Moscheh nunc repraesentat po-

pulum ut caput, et sic ut medians, ut mox supra n: 9414, dictum est. Praesentia Domini apud illos per intermedium dicitur, quia Dominus se sistit praesentem apud hominem, non autem homo apud Dominum; omne enim bonum quod amoris et verum quod fidei venit a Domino, et prorsus nihil boni et veri ab homine; quapropter est praesentia Domini apud illos qui admittunt Ipsum, hoc est, apud illos qui fide et amore recipiunt Verum Divinum quod ab Ipso. Quod Dominus veniat ad illos, et non vicissim, docet Ipse Dominus apud Johannem „*Qui diligit Me, Verbum meum servat, et ad illum veniemus, et mansionem apud illum faciemus*" XIV: 23: apud Eundem „Qui manet in Me et Ego in illo, hic fert fructum multum, *quia sine Me non potestis facere quicquam*" XV: 5: et apud Eundem „*Non potest homo facere quicquam, nisi sit datum illi e coelo*" III: 27.

9416. Et dabo tibi tabulas lapidis, quod significet librum legis seu Verbum in omni complexu, constat ex significatione tabularum, quod sint quibus inscripta sunt illa quae sunt doctrinae et vitae, hic quae sunt doctrinae coelestis et vitae secundum illam. Quod illae tabulae significent librum legis seu Verbum in omni complexu, est quoniam ea quae illis inscripta erant, in genere continebant omnia quae vitae et doctrinae coelestis sunt; quapropter etiam dicuntur illa quae eis inscripta sunt, *decem verba*, Exod: XXXIV: 28. Deut: X: 4: per decem enim in sensu interno significantur omnia, et per verba significantur vera quae doctrinae et bona quae vitae; quod decem sint omnia, videatur n: 3107. 4638. 8468. 8540, et quod verba sint vera et bona quae sunt vitae et doctrinae, n: 1288. 4692. 5272; inde est, quod illae tabulae significent Verbum in omni complexu; similiter ac Lex, quae in stricto sensu significat illa quae illis tabulis inscripta erant, in sensu minus stricto Verbum per Moschen scriptum, in lato sensu Verbum historicum, et in latissimo Verbum in toto complexu, ut ostensum videatur n: 6752: praeterea quae tabulis illis inscripta erant, fuerunt primum revelationis Divini Veri, et coram omni populo Israëlitico viva voce a Domino enuntiata; quae primum sunt, significant reliqua in ordine, et quod illa viva voce a Domino enuntiata fuerint, significat inspirationem immediatam Divinam etiam in re-

liquis. Quod tabulae illae ex lapide fuerint, causa erat, quia lapis significat verum, n: 643. 1298. 3720. 6426, proprie verum in ultimis, n: 8609; Verum Divinum in ultimis est Verbum in litera, quale in hac Tellure, n: 9360. Quod non una Tabula, sed binae fuerint, erat ut repraesentaretur conjunctio Domini per Verbum cum Ecclesia, et per Ecclesiam cum Humano Genere; ideo quoque vocantur *Tabulae foederis*, Deut: IX: 9. 11. 15; ac Verba inscripta *verba foederis*, Exod: XXXIV: 27. 28; et quoque *foedus*, Deut: IV: 13. 23; ac ipsa arca, in qua Tabulae repositae erant, *Arca foederis*, Num: X: 33. Cap: XIV: 44. Deut: X: 8. Cap: XXXI: 9. 25. 26; Josuae III: 3. 6. 8. 11. 14. 17. Cap: IV: 7. 9. 18. Cap: VI: 6. 8. Cap: VIII: 33. Judic: XX: 27. I Sam: IV: 3. 4. 5. II Sam: XV: 24. I Reg: III: 15. [52] Cap: VI: 19. Cap: VIII: 1. 6. Jerem: III: 16: *foedus enim est conjunctio*, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778. 9396: quapropter Tabulae illae inter se divisae erant, sed per applicationem conjunctae, et scriptura ab una Tabula in alteram, sicut super una, continuata; non autem secundum opinionem vulgarem, quaedam praecepta super Tabula una et quaedam super altera; per unum enim divisum in duo, et per haec duo ita conjuncta, aut data uni et alteri, significatur conjunctio Domini cum homine, foedera ideo simili modo inibantur, ut cum Abrahamo per vitulam, capram, et arietem, partitos in medium, et per unam partem positam obviam alteri, Genes: XV: 9. 10. 11. 12: etiam in hoc Capite per sanguinem positum in crateribus, et dimidium ejus sparsum super altare, et dimidium super populum, Vers: 6 et 8; et in genere per omnia sacrificia, quorum pars adolebatur super altari, pars dabatur populo ad comedendum: simile etiam repraesentabatur per fractionem panis a Domino, Matth: XIV: 19. Cap: XV: 36. Cap: XXVI: 26. Marc: VI: 41. Cap: VIII: 6. Cap: XIV: 22. Luc: IX: 16. Cap: XXII: 19. Cap: XXIV: 30. 31. 35: inde quoque est quod duo in Verbo significent conjunctionem, n: 5194. 8423, hic quae est Domini et Coeli, seu Domini et Ecclesiae, ita quoque boni et veri, quae conjunctio vocatur conjugium coeleste. Ex his constare potest, unde est, quod Tabulae binae fuerint, et a duobus lateribus hinc illinc scriptae, Exod: XXXII:

15. 16. Praeterea scriptura et sculptura super tabulis in Verbo significat illa quae memoriae et vitae impressa erunt, et sic permansura; ut apud Esaiam « *Scribe id super tabula* apud illos, et *super libro* exprime illud, ut sit in diem posterum in perpetuum, usque in aeternum » XXX: 8: apud Jeremiam « Peccatum Jehudae scriptum est stylo ferri, scalpro adamantis, *sculptum est super tabula cordis eorum*, et ad cornua altarium vestrorum » XVII: 1. Apud Habakuk « Jehovah dixit, scribe visionem, et *explica super tabulis*, ut percurrat legens illam; quia adhuc visio in tempus constitutum: si moratur, exspecta illum, quia veniendo veniet » II: 2. 3.

9417. Et legem et praeceptum, quod significet verum in communi et in particulari, constat ex significatione Legis, quod sit verum in communi; et ex significatione praecepti, quod sit verum in particulari: in Verbo distinguitur inter praecepta, judicia et statuta, et per praecepta intelliguntur illa quae sunt vitae, per judicia quae sunt status civilis, et per statuta quae sunt cultus, n: 8972; sed omnia illa communi voce vocantur Lex, et singula quae Legis sunt vocantur praecepta, prout ex pluribus locis in Verbo constat; inde est, cum dicitur lex et praeceptum, quod intelligatur verum in communi et in particulari.

9418. Quae scribam ad docendum illos, quod significet ad reminiscentiam et ad informationem, constat ex significatione scribere, quod sit ad reminiscentiam, de qua n: 8620; et quod scribere ad docendum, sit ad informationem, patet.

9419. Et surrexit Moscheh et Jehoschua minister ejus, quod significet Verbum et Repraesentativum, constat ex Repraesentatione Moschis, quod sit medians inter Dominum et populum qui in sensu Verbi externo separato ab interno, ita quoque Verbum, secundum illa quae mox prius n: 9414 ostensa sunt; et ex repraesentatione Jehoschuae ministri ejus, quod sit repraesentativum: quod Jehoschua hic sit repraesentativum, est quia repraesentativum inservit et ministrat, ut externa Verbi et cultus sistantur Domino per intermedium, qui erat Moscheh: sed haec talia sunt, quae aegre possunt cadere in ideas, nisi apud illos qui sciunt quomodo Verbi sensus externus seu literalis sistitur repraesentative in coelo, quod nempe aliter apud illos qui in sensu externo et simul interno sunt, qui sunt qui in sensu

Verbi externo et simul in vera doctrina Ecclesiae sunt, et aliter apud illos qui in sensu externo separato ab interno, ut apud hunc populum; quomodo apud hunc populum factum sit, videatur n: 4311; inde aliqua idea formari potest de Intermedio quod Moscheh repraesentat, et de Repraesentativo ministrante quod Jehoschua; quod nempe *sanctum internum*, quod est Divini Veri procedentis a Domino, ita Verbi et inde cultus, influat in coelum, et ibi ab Angelis recipiatur; tum quod mediate per illud sanctum, ut et immediate influat a Domino sanctum ad bonos spiritus qui apud hominem, qui in lectione Verbi aut in cultu inde est, hoc sanctum vocatur *sanctum externum*, et cum influit apud hominem sistit repraesentativa secundum correspondentias apud hominem illum: ex his videri potest, quomodo se habet cum *Intermediatione* quam Moscheh nunc repraesentat, et *cum Ministerio* quod Jehoschua, quod nempe sanctum externum sit intermedium, et repraesentativum, quod est ultimum ordinis, sit ministerium. At sciendum, quod talis sit influxus Divini veri, [ut] non cadat in ideam humanam, nisi illustratam a Domino; homo enim non aliter appercipit, quam quod sanctum Verbi et sanctum cultus, influat ab homine ad Dominum, sed is ordo est ordo inversus, et vocatur influxus physicus, qui quod sit apparens, et nullatenus realis, videantur quae in locis citatis, n: 9223. 9227 fin: ostensa sunt.

9420. Et ascendit Moscheh ad montem Dei, quod significet versus coelum, constat ex significatione montis Sinai, qui hic est mons Dei, quod sit Lex seu Divinum Verum quod a Domino, ita Verbum quale est in coelo, proinde etiam Coelum, de qua n: 8399. 8753. 8793. 8805. Quod revelatio facta sit super monte, et quod mons ille dicatur mons Dei, est quia Mons significat coeleste amoris, quod est bonum, et inde coelum, et in supremo sensu Dominum, n: 795. 796. 2722. 4210. 6435. 8327, ac Mons Dei Divinum Verum a Divino Bono Divini amoris Domini, n: 8758; Dominus enim in Verbo Deus dicitur a Divino Vero, et Jehovah a Divino Bono, n: 2769. 2807. 2822. 3921 fin: 4295. 4402. 7010. 7268. 8192. 8301. 8988. 9167, inde est quod dicatur *mons Dei*. Quod Mons Sinai sit Lex seu Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, ita Verbum, et in supremo sensu Dominus, constat apud

Davidem « Terra contremuit, etiam coeli stillarunt coram Deo, *hic Sinai coram Deo, Deo Israëlis*. Currus Dei sunt binae myriades, milleni pacificorum, Dominus in illis, *Sinai in Sanctuario* » Psalm: LXVIII: 9. 18, quod terra et coeli sint externum et internum Ecclesiae, videatur n: 1733. 2117. 2118 fin: 3355. 4535; et quod currus sit doctrina, n: 2760. 5321. 8146. 8148. 8215, inde currus Dei sunt doctrinalia seu vera Divina qualia in coelis; inde patet, quod per hic Sinai coram Deo, Deo Israëlis, et per Sinai in sanctuario, significetur Lex seu Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, ac in supremo Dominus in coelo. In Libro Judicum «Jehovah quando exivisti e Seir, quando egressus es ex agro Edomi, terra contremuit, etiam coeli stillarunt, etiam nubes stillarunt aquas, montes defluxerunt coram Jehovah, *hic Sinai coram Jehovah* » V: 4. 5; [53] etiam hic Sinai pro Divino Vero procedente a Divino Bono Domini. Pariter apud Moschen « *Jehovah de Sinai venit*, et exortus est de Seir illis; exsplenduit de monte Paran; et venit ex myriadibus sanctitatis, a dextra Ipsius *ignis Legis illis* » Deut: XXXIII: 2.

9421. Et ad seniores dixit, quod significet illos qui in solo sensu externo, constat ex significatione seniorum, quod sint qui in solo sensu externo: quod seniores populi Israëlitici illos hic repraesentent, est quia capita populi erant, et sic repraesentabant omnem populum, qui quod in sensu Verbi externo absque interno esset, saepius prius ostensum est: Moscheh enim cum ascendebat ad montem, repraesentabat Sanctum Verbi externum, quod est intermedium seu medium inter sanctum ejus internum et inter repraesentativum quod est sensus externi, n: 9414. 9419; inde sequitur, quod seniores, qui sederent infra montem, ita separati a Moscheh, repraesentarent solum sensum externum, dixit enim illis Moscheh, sedete nobis in hoc, donec revertamur ad vos.

9422. Sedete nobis in hoc, quod significet ut in illo maneant, constat ex significatione sedere in hoc, nempe loco, seu sub monte, quod sit manere in sensu externo; sedere in loco, est manere in statu suo, et sub monte est in sensu externo Verbi; per sedere enim significatur manere, ut constabit a sequentibus; per locum significatur status; et per montem Sinai signi-

ficatur Lex seu Divinum Verum procedens a Domino, ita Verbum, n: 9420; per cacumen ejus, ubi Jehovah seu Dominus, Exod: XIX: 20, significatur supremum seu intimum Legis seu Verbi, n: 8827; per reliqua montis [54] quae infra cacumen, significatur internum Legis seu Verbi, quale est in Coelo; et per illa quae infra montem, ubi seniores et populus, significatur externum Legis seu Verbi, quod est sensus ejus externus: ita in Verbo repraesentantur intima, interiora, et exteriora rerum, quae per montem significantur, hic intima, interiora ac exteriora Legis seu Verbi, quoniam mons Sinai significat Legem seu Verbum, n: 9420: inde patet, quod per sedete nobis in hoc, significetur ut maneant in sensu externo. Quod dicatur sedere, est quia sedere significat permanere in statu; progressiones enim a loco in locum significant mutationes status interiorum, ut constare potest ex illis quae n: 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5605. [55] 7381, ostensa sunt; inde sessiones significant permansiones in statu interiorum: quia sessiones talia significant, ideo apud filios Israëlis inter ritualia receptum fuit sedere, cum repraesentarent statum interiorum permanentem; ut in Libro Judicum „Venerunt filii Israëlis Bethelem, ac fleverunt, et *sederunt ibi coram Jehovah*, et jejunarunt in die isto usque ad vesperam" XX: 26: et alibi „Venit populus Bethelem, et *sederunt ibi usque ad vesperam coram Deo*, et sustulerunt vocem suam, et fleverunt fletu magno" XXI: 2; per sedere ibi significatur permanentia in statu doloris. Inde constare potest, cur dicitur sedere, et quid involvit in sequentibus locis, ut apud Davidem „*Jehovah Tu cognovisti sedere meum*, et surgere meum; intellexisti cogitationem meam e longinquo" Psalm: CXXXIX: 2: apud Jeremiam „Domum convivii non intrabis, *ad sedendum cum illis*" XVI: 8: apud Micham „Tunc stabit et pascet in robore Jehovae Dei sui; et *sedebunt*" V: 3: apud Esaiam „Descende et *sede super pulvere*, virgo filia Babelis, *sede super terra*, *sede in silentio*, et intra in tenebras, filia Chaldaeorum: dicit in corde suo, *non sedebo vidua*" XLVII: 1. 5. 8: similiter alibi, ut *sedere in tenebris*, Esai: XLII: 7. „*sedere in consilio*; et *sedere solitarius*" Jer: XV: 17: „*sedere ad dextram* et *ad sinistram*" Matth: XX: 21, [56] pro manere in statu potentiae super alios: „*Sedere a dextris potentiae Dei*" Matth: XXVI:

63. 64. Marc: XVI: 19, ubi de Domino; pro Divina omnipotentia permansura in aeternum.

9423. Donec revertamur, quod significet usque ad responsum, constat ex significatione reverti, quod sit responsum, nam cum per sedere in hoc, significatur manere in illo statu, n: 9422, per reverti significatur quod instruendi quid tunc faciendum, ita responsum.

9424. Et ecce Aharon et Chur vobiscum, quod significet doctrinam veri ex Verbo tali, constat a repraesentatione Aharonis, quod sit Verbum in sensu externo, et quoque doctrina boni et veri, de qua n: 6998. 7009. 7089, hic doctrina veri ex solo illo sensu, quia per seniores, quibus Aharon infra montem praeerat ut caput, significantur qui in sensu Verbi externo, n: 9421; et ex repraesentatione Churis, cum adjungitur Aharoni, quod sit verum illius doctrinae, ut quoque Chur, quando una cum Aharone sustentavit manus Moschis, Exod: XVII: 10. 12, [57] n: 8603. 8611; Vera enim ex Verbo, ex quibus doctrina, sustentant Verbum, quod per Moscheh tunc repraesentabatur. Hic quia iterum datur locus, paucis dicetur, quomodo se habet cum sustentatione Verbi ex Doctrina quae ex Verbo; qui non scit arcana coeli, non aliter credere potest, quam quod Verbum absque Doctrina inde sustentetur; putat enim quod Verbum in litera seu Verbi sensus literalis sit ipsa doctrina, sed sciendum est, quod omnis doctrina Ecclesiae erit ex Verbo, et quod doctrina aliunde quam ex Verbo, non sit doctrina in qua aliquid Ecclesiae, minus aliquid coeli inest; sed Doctrina colligenda est ex Verbo, et cum colligitur homo in illustratione erit a Domino, et in illustratione est cum in amore veri propter verum, et non propter se et mundum: illi sunt qui illustrantur in Verbo cum legunt illud, et verum vident, et doctrinam inde sibi faciunt: causa quod ita sit, est, quia tales communicant cum coelo, ita cum Domino, et sic a Domino illustrati ducuntur ad videndum vera Verbi qualia sunt in coelo, influit enim Dominus per coelum in intellectum eorum, intellectus enim interior hominis est qui illustratur; et Dominus simul tunc influit cum fide, media cooperatione novae voluntatis, cujus est affici vero propter verum: ex his nunc constare potest, quomodo Doctrina veri et boni datur homini a Domino. Quod haec Doctrina sustentet

Verbum quoad sensum ejus literalem seu externum, patet unicuivis qui expendit, quisque enim in Ecclesia, qui ex Doctrina cogitat, videt vera in Verbo ex sua doctrina et secundum eam, et quae cum ea non coincidunt, explicat, et quae apparent ei opposita, transit quasi non videns aut non intelligens; quod similiter omnes faciant, etiam haeretici, notum est: at qui in genuina Doctrina veri ex Verbo sunt, et in illustratione cum legunt Verbum, illi vident vera concordantia ubivis, et prorsus nihil repugnans; non enim haerent in talibus ibi quae secundum apparentias, et secundum captum vulgarem hominis, dicta sunt, quia sciunt quod si apparentiae evolvantur et quasi exfascientur, pateat ibi verum in nudo; falsa ex fallaciis sensuum externorum nec illos seducunt, sicut haereticos et fanaticos, imprimis Judaeos et Socinianos, nec falsa ex amoribus sui et mundi, sicut illos qui per Babelem intelliguntur; hi et illi quia non illustrari [58] possunt, doctrinam ex solo sensu externo ad favorem suorum amorum concludunt, et plura ex proprio superaddunt, inde Verbum nullatenus sustentatur, sed corruit. Sciendum est, quod sensus internus Verbi contineat doctrinam Ecclesiae genuinam. Ex his nunc patet, qualis doctrina repraesentatur hic per Aharonem et Churem; quae quia ex solo sensu externo Verbi absque interno, mere idololatrica fuit; quapropter de Aharone, per quem repraesentabatur doctrina talis, dicitur, quod ille idolum, seu vitulum aureum fecerit, Exod: XXXII: 2. 3. 4. 5. 21. 35. Deut: IX: 20: [59] in Verbo etiam per idola describuntur tales doctrinae; ut passim apud Prophetas; apud Ezechielem „Intravi et *vidi omnia Idola domus Israëlis;* depictum super pariete circumcirca; et *septuaginta viri de senioribus domus Israëlis* stantes coram illis, ac cuique thuribulum in manu sua, et abundantia nubis suffimenti ascendens" VIII: [10.] 11, hic idola domus Israëlis sunt doctrinae ex solo sensu externo Verbi, non per illustrationem a Domino, sed per propriam intelligentiam, ita falsa; cultus secundum illa significatur per thuribulum in manu cujusvis et per abundantiam nubis suffimenti. Apud Hoscheam „Addunt peccare, *faciunt sibi fusile ex argento suo, in intelligentia sua opus artificum totum;* ipsis illis dicentes; sacrificantes hominem, vitulos osculantur" XIII: 2, sculptile ex argento, et opus artificum pro doctrina ex pro-

pria intelligentia, et non ex Domino, ita ex sensu Verbi externo separato ab interno; quod fit apud illos qui solum in externis sunt et non simul in internis, hoc est, apud illos qui in amoribus sui et mundi, et non in amore in Dominum et in amore erga proximum. Apud Esaiam „In die illo projiciet homo *idola argenti sui et idola auri sui,* quae fecerunt sibi ad incurvandum se talpis et vespis, ad intrandum in fissuras petrarum, et in fissuras rupium" II: 20. 21. Cap: XXXI: 7, idola argenti pro falsis doctrinae, et idola auri pro malis doctrinae; incurvare se talpis et vespis, ac intrare in fissuras petrarum et rupium pro cultu ex falsis et malis fidei. Apud Eundem „*Immundum judicabitis tegumentum sculptilium Argenti tui*, et *amictum fusilis auri tui;* disperges ea sicut menstruatum, stercus vocabis id" XXX: 22, tegumentum sculptilium argenti et amictus fusilis auri, pro scientificis falsi et mali, quae pro veris et bonis agnoscuntur et coluntur. Apud Eundem „Indicavi tibi ex tunc, ne diceres, *idolum meum fecit haec*, et *sculptile meum*, et *fusile meum praecepit ea*" XLVIII: 5, hic quoque idolum, sculptile, et fusile, pro doctrinalibus ex propria intelligentia. Apud Jeremiam „Stultus factus est omnis homo a scientia, *pudore affectus est omnis conflator a sculptili, quia mendacium fusile ejus;* neque spiritus in eis, vanitas illa, opus errorum" X: 14. 15, etiam hic sculptile et fusile pro doctrinalibus ex propria intelligentia, quae in externa forma, quia ex sensu externo Verbi, apparent sicut vera, sed in interna forma sunt falsa; inde dicitur is homo stultus a scientia, et fusile mendacium, et non spiritus in eis, tum vanitas et opus errorum: similiter apud Habakuk „*Quid prodest sculptile,* quia *sculpsit illud fabricator ejus, fusile* et *doctor mendacii*, quia confidit *fabricator figmenti sui* super hoc" II: 18. Apud Esaiam „*Sculptile fundit artifex,* et *conflator* auro obducit illud, et catenas argenti conflat; *artificem sapientem* quaerit sibi ad *praeparandum sculptile*" XL: 19. 20, hic similiter sculptile pro doctrinali ex propria intelligentia; verosimilitas, quae ei inducitur per Verbum ex solo ejus sensu externo, et simul ex fallaciis et apparentiis externis, significatur per quod conflator auro obducat illud, et catenas argenti conflet, et quod artificem sapientem quaerat ad praeparandum illud. Apud Eundem „*Formatores sculptilis omnes va-*

nitas, et desideratissima eorum non prosunt; fabricat ferrum forcipe, et operatur carbone, et malleis acutis, format illud; sic *operatur illud per brachium roboris sui;* fabricat ligna, extendit filum, et describit illud amussi, facit illud in angulos, et circulo definit illud, ut faciat illud in forma viri juxta pulchritudinem hominis ad habitandum in domo» XLIV: 9 ad 18; describitur hic quomodo doctrina ex propria intelligentia, et non ex aliqua illustratione a Domino, formatur, et quomodo falsis inducitur similitudo veri per applicationes Verbi ex solo sensu ejus externo, et per ratiocinationes ex fallaciis sensuum: quare dicitur, ut faciat illud in forma viri juxta pulchritudinem hominis ad habitandum in domo, inde est similitudo veri in externa forma, sed falsitas in interna: falsitas in interna forma est, cum non recte cogitatur de veris; nam de una eademque veritate aliter cogitatur ab uno [60] et aliter ab altero, at false ab omnibus illis qui in malo; una enim veritas ex infinitis aliis veritatibus consistit; at apud illos qui in malo ex infinitis falsitatibus; inde apud hos veritati isti nulla vita inest, quod intelligitur per quod non spiritus eis, et quod non audiant, nec videant, nec intelligant, Jerem: LI: 17. Psalm: CXV: 4. 5. 6: se habet hoc sicut cum pictura ad similitudinem hominis, in qua intus nihil nisi lutum, respective ad formam ipsius hominis, in qua intus vita, et pulchritudo coelestis, si inibi vera ex bono.

9425. Qui habens Verba, accedat ad illos, quod significet quod inde removenda falsa, constat ex significatione habere verba, quod sit litigare de veris, verba enim sunt vera, n: 1288. 4692. 5272; et ex significatione accedere ad illos, quod sit ut judicentur ex doctrina illa, nam per Aharonem et Churem, ad quos accederent, significatur doctrina ex sensu externo Verbi; ita quoque ut removeantur falsa, nam qui judicat ex doctrina in lite de veris, is removet falsa; ast quod non removerit falsa, sed quod removerit vera, constat ex cultu vituli pro Jehovah, de quo in sequentibus; nam ut mox supra dictum est, qui absque interno docent externa Verbi, ita absque genuina doctrina boni et veri, illi non discernunt inter verum et falsum, nec inter bonum et malum, sed verum dicunt quod favet fallaciis sensuum, et bonum quod favet concupiscentiis, ita falsum dicunt verum, et malum dicunt bonum.

9426. Et ascendit Moscheh ad montem, quod significet ad coelum, constat ex illis quae supra n: 9420, explicata sunt, ubi eadem verba.

9427. Et obtexit nubes montem, quod significet externa Verbi, constat ex significatione nubis, quod sit externum Verbi, seu sensus ejus literalis, de qua Praefat: ad Cap: XVIII Genes: et n: 4060. 4391. 5922. 6343 fin: 6752. 8106. 8443. 8781. 8814. 8819; et ex significatione hujus montis, quem nubes obtexit, quod sit Divinum Verum procedens a Domino, ita Verbum; et quia Divinum Verum procedens a Domino facit coelum, etiam per montem illum significatur coelum, n: 9420; inde est, quod per obtexit nubes montem, significetur sensus externus Verbi tegens internum, et quoque coelum.

9428. Vers. 16. 17. 18. *Et commorabatur gloria Jehovae super monte Sinai, et obtexit eum nubes sex dies; et vocavit ad Moschen in die septimo e medio nubis. Et aspectus gloriae Jehovae sicut ignis comedens in capite montis oculis filiorum Israëlis. Et intravit Moscheh in medium nubis, et ascendit ad montem; et fuit Moscheh in monte quadraginta dies et quadraginta noctes.* Et commorabatur Gloria Jehovae super monte Sinai, significat interiora Verbi Domini in coelo: et obtexit eum nubes, significat ultimum Verbi, quod obscurum ita respective: sex dies, significat quando in statu veri: et vocavit ad Moschen in die septimo, significat adventum Domini cum Verum conjunctum bono: e medio nubis, significat ex obscuro quod prius: et aspectus gloriae Jehovae sicut ignis comedens in capite montis oculis filiorum Israëlis, significat Divinum Verum in ipso coelo splendens ex bono amoris, sed apud illos qui in externo ejus separato ab interno quod laedens et vastans: et intravit Moscheh in medium nubis, significat Verbum in sensu externo: et ascendit ad montem, significat elevationem ad coelum: et fuit Moscheh in monte quadraginta dies et quadraginta noctes, significat plenarium quod ad informationem et influxum.

9429. Et commorabatur gloria Jehovae super monte Sinai, quod significet interiora Verbi Domini in coelo, constat ex significatione gloriae Jehovae, cum de Verbo, quod sit sensus

ejus internus, ita interiora Verbi, de qua Praefat: ad Cap: XVIII: Genes: et n: 5922; et ex significatione montis Sinai, quod sit Divinum Verum procedens a Domino, et inde Coelum, de qua supra n: 9420. 9427. Quod interiora Verbi dicantur Gloria, est quia Divinum Verum procedens a Domino ut Sole est Lux in Coelo, quae dat visum Angelis ibi, et simul intelligentiam et sapientiam, n: 1531. 1619 ad 1632. 2776. 3138. 3167. 3190. 3195. 3339. 3341. 3636. 3643. 3862. 3993. 4302. 4415. 4527. 5400. 6313. 6608. 6907. 8644. 8707. 8861; ex Divina illa Luce est omnis Gloria in Coelo, quae talis est, ut excedat omnem captum humanum; inde patet, unde est, quod Verbi sensus internus sit gloria; est enim sensus Verbi internus Divinum Verum procedens a Domino in coelo, ita Lux e qua omnis gloria ibi. Hoc intelligitur per Gloriam in pluribus locis in Verbo; ut quod „visuri Filium hominis *in nube cum gloria*" Matth: XXIV: 30. Luc: XXI: 27: quod Dominus, cum passus fuerit, „*intraturus esset in gloriam suam*" Luc: XXIV: 26: quod „cum *venturus in Gloria sua*, sessurus sit *super throno gloriae suae*" Matth: XXV: 31, sedere super throno gloriae, est judicare ex Divino Vero quod ab Ipso: tum quod „Moscheh et Elias *visi sint in gloria*" Luc: IX: 30 [. 31]; quod Moscheh et Elias ibi sint Verbum, videatur Praefatio ad Cap: XVIII: Genes: et n: 2762. 5247. 9372; id quoque intelligitur per Glorificationem Domini apud Johannem „*Nunc glorificatus est Filius hominis*, et Deus *glorificatus est* in Ipso; etiam Deus *glorificabit Ipsum* in Se Ipso; et statim *glorificabit Ipsum*" XIII: 31. 32; glorificari in Deo, est fieri Divinum bonum ex Quo Divinum Verum: similiter apud Eundem Cap: XII: Vers: 28. Per Gloriam significatur Divinum Verum procedens a Domino quale est in coelo, etiam in sequentibus his locis; apud Esaiam „Vox clamantis in deserto, parate viam Jehovae; et *revelabitur gloria Jehovae*, et videbunt omnis caro simul" XL: 3. 5, ibi de adventu Domini, ubi gloria Jehovae quae revelabitur est Divinum Verum: quod Dominus id sit, quia ab Ipso, patet apud Johannem „In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; in Ipso vita erat, et vita erat *Lux hominum:* erat *Lux vera:* et Verbum Caro factum est, et *vidimus gloriam Ipsius, gloriam ut unigeniti a Patre*" I: 1.

4. 9. 14; Verbum ibi est Divinum Verum, similiter Lux, inde patet quid sit videre gloriam Ipsius; quod Dominus non in alia gloria in mundo apparuerit, praeter cum transformatus, notum est. Pariter alibi apud Johannem „ Haec dicit Esaias, *quando vidit gloriam Ipsius*, et loquutus est de Ipso. Sed diligebant *gloriam hominum* magis quam *gloriam Dei;* Ego *Lux in mundum veni*, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat" XII: 41. 43. 46; etiam hic gloria Domini et gloria Dei pro Divino Vero, et gloria hominum pro falso. Apud Esaiam „ Illuminare, quia *venit Lux tua*, et *gloria Jehovae* super Te exorta est; super Te exorietur Jehovah, et *Gloria Ipsius super Te videbitur: Gloria Libani* ad Te veniet, ad decorandum locum Sanctuarii mei: non occidet amplius sol tuus, et luna tua non colligetur, quia Jehovah erit Tibi *in lucem aeternitatis*" LX: 1 ad fin: ibi manifeste agitur de adventu Domini, de Regno Ipsius, de Coelo et de Ecclesia; Divinum Verum procedens a Divino Humano Ipsius in toto illo Capite describitur, et vocatur Lux, Honor, et Gloria. Apud Eundem „ Timebunt ab occasu solis Nomen Jehovae, et ab ortu solis *Gloriam Ipsius;* veniet Zioni Redemptor" LIX: 19. 20; ibi etiam de Domino; Nomen Jehovae pro omni vero fidei et bono amoris, ex quo cultus, n: 2724. 3006. 6674. 9310. Apud Eundem „ Vocavi Te in justitia, et dabo Te in foedus populo, *in Lucem gentium:* Ego Jehovah, hoc Nomen meum, et *gloriam meam alteri non dabo*" XLII: 6. 8; hic quoque de Domino, ubi Lux gentium est Divinum Verum quod ab Ipso; gloriam non alteri dare, est quod non ab alio quam a Domino, Qui unum cum Jehovah, procedet Divinum illud Verum: ut quoque apud Eundem „ Propter Me, propter Me faciam, et *gloriam meam alii non dabo*" XLVIII: 11. [61] Pariter alibi apud Esaiam „ Erumpet sicut aurora *Lux tua;* ambulabit ante Te justitia tua, [62] *Gloria Jehovae colliget* Te" LVIII: 8: apud Eundem „ Veniet ad congregandum omnes gentes et linguas, ut veniant et *videant gloriam meam*" LXVI: 18. Apud Eundem „ Regnabit Jehovah Zebaoth in monte Zionis, et in Hierosolyma, et *coram senioribus Ipsius Gloria*" XXIV: 23. Apud Moschen „ Dixit Jehovah, vivus Ego, et *implebitur gloria Jehovae universa terra*" Num: XIV: 20. 21; [63] in illis locis de Domino agitur, et Gloria

ibi est Divinum Verum quod ab Ipso. Apud Esaiam „Vidi Dominum sedentem super throno alto et elato, et Seraphim stantes desuper Ipso; et clamavit hic ad illum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehovah Zebaoth, *plenitudo omnis terrae Gloria Ipsius*" VI: 1. 2. 3. Apud Davidem „*Coeli enumerant gloriam Dei*" Psalm: XIX: 2: et apud Eundem „Ut timeant gentes Nomen Jehovae, et *reges terrae Gloriam tuam*, quod aedificaverit Jehovah Zionem, et *apparuerit in Gloria sua*" Psalm: CII: 16. 17. In Apocalypsi „*Gloria Dei illustrabit* Sanctam Hierosolymam, et Lucerna ejus Agnus; et gentes quae salvantur *in Luce Ipsius* ambulabunt; et *reges terrae adferent gloriam* et honorem suum in eam" XXI: 23. 24. 25; Sancta Hierosolyma pro Nova Ecclesia, Gloria Dei pro Divino Vero a Domino ibi, similiter Lux Ipsius in qua ambulabunt; reges terrae qui adferent gloriam pro illis qui in veris ex bono sunt, n: 2015. 2069. 4581. 4966. 5044. 6148. Ex his nunc constare potest, quid significatur per gloriam Jehovae quae commorabatur super monte Sinai; videatur etiam n: 8427.

9430. Et obtexit eum nubes, quod significet ultimum Verbi quod obscurum ita respective, constat ex significatione nubis, quod sit ultimum Verbi, seu ejus sensus literae, de qua Praefat: ad Cap: XVIII: Genes: et n: 4060. 4391. 5922. 6343 fin: 6752. 8106. 8443. 8781: quod is sensus vocetur nubes, est quia ille est in obscuro respective ad sensum internum, hic enim est in luce coeli; quod in obscuro sit et instar nubis, est quia est pro homine cum est in mundo, at sensus internus pro homine cum venit in coelum: sed sciendum, quod homo cum in mundo est simul in sensu interno Verbi sit, cum in genuina doctrina Ecclesiae quoad fidem et quoad vitam, nam per eam doctrinam tunc inscribitur sensus internus Verbi tam ejus intellectui quam voluntati, ejus intellectui per fidem, et ejus voluntati per vitam: talis homo cum venit in coelum, prorsus non aliter capit Verbum, quam secundum sensum ejus internum, et nihil scit de sensu ejus externo, apparet hic ei tunc sicut nubes quae absorbet radios lucis suae. Dicitur, quod homo tunc capiat Verbum secundum sensum ejus internum, et non secundum sensum ejus externum; quod ita sit, est quia omnes, qui in coelo sunt, instruuntur a Domino ex Vero Divino quod apud

hominem, ita ex Verbo; causa est, quia homo est in ultimo ordinis, et in ultimum desinunt omnia interiora, ultimum est quasi suffulcimentum interioribus, in quo haec subsistunt et quiescunt: Verbum in litera est Divinum Verum in ultimo ordinis, similiter homo Ecclesiae, apud quem est Divinum Verum, quoad suum naturale et sensuale; in hoc sicut in illo interiora terminantur et quiescunt: se habent illa sicut domus et ejus fundamentum; ipsa Domus est coelum, et ibi Divinum Verum quale est Verbum in sensu interno, et fundamentum est mundus et ibi Divinum Verum quale est Verbum in sensu externo; sicut domus super fundamento suo quiescit, ita quoque coelum super Ecclesia, proinde Divinum Verum in Coelo super Divino Vero in terra; nexus enim continuus est a Domino per coelum usque ad hominem per Verbum: ea causa est, quod semper provideatur a Domino, ut in terra sit Ecclesia, ubi Divinum Verum sit in suo ultimo. Hoc arcanum est, quod nemo adhuc scit, et quod intelligitur per illa quae n: 9357 et 9360, allata sunt. Caveant itaque sibi omnes, ne Verbum ullo modo laedant, nam qui id laedunt, ipsum Divinum laedunt.

9431. Sex dies, quod significet quando in statu veri, constat ex significatione sex dierum, quod sit status laboris et pugnae, de qua n: 737. 8510. 8888. 8975; quod sit status veri, est quia bini status sunt homini qui regeneratur a Domino; primus status dicitur status veri, et alter status dicitur status boni; quod primus status dicatur status veri, est quia tunc homo introducitur per Verum ad bonum; et quod alter status dicatur status boni, est quia homo cum in bono est, introductus est; et quoque cum homo in statu veri est, extra coelum est, at cum in bono est, in coelo est, ita introductus ad Dominum: praeterea cum homo in statu primo seu statu veri est, tunc in labore et pugna est, subit enim tunc tentationes; at cum in altero statu seu statu boni est, tunc in quiete et in tranquillo pacis est: ille status est, qui repraesentatus est in Verbo per sex dies qui praecedunt septimum; hic autem status est qui repraesentatus est per diem septimum seu sabbathum, videatur n: 8890. 8893. 9274. De binis illis statibus, qui vocantur status veri et status boni, apud hominem qui regeneratur, videantur quae ample prius n: 7923. 7992. 8505. 8506. 8510. 8513. 8516. 8539.

8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701. 8722. 8772. 9139. 9224. 9227. 9230. 9274, ostensa sunt.

9432. Et vocavit ad Moschen in die septimo, quod significet cum verum conjunctum bono, constat ex significatione diei septimi, quod sit alter status, quando verum conjunctum est bono, seu quando homo in bono est, de qua videantur quae nunc supra n: **9431**, dicta sunt.

9433. E medio nubis, quod significet ex obscuro quod prius, constat ex significatione nubis, quod sit ultimum Verbi, quod obscurum ita respective, de qua supra n: **9430**: quod nubes id sit, est quia Divinum Verum, quod a Domino, nusquam apparere potest in ipso jubare in quo est, sic enim periret homo, nam ex luce veri plane occaecaretur ejus intellectuale, et ab igne boni plane exstingueretur ejus voluntarium, ita omne vitae ejus annihilaretur; inde est, quod Divinum Verum accommodetur captui cujusvis, et quasi obveletur nube, etiam apud Angelos, n: **6849**; obvelatio illa apud spiritus apparet sicut nubes, densitate et tenuitate secundum cujusvis receptionem. Hoc intelligitur per haec apud Esaiam „*Creat Jehovah super omne habitaculum montis Zionis, et super convocationes ejus nubem interdiu, ac fumum et splendorem ignis flammae noctu; nam super omni gloria obtegumentum, et tugurium erit in umbram interdiu ab ardore, ac in refugium et in latibulum contra inundationem et contra pluviam*" IV: 5. 6, habitaculum montis Zionis est coelum et Ecclesia; convocationes ejus sunt bona et vera; nubes interdiu, fumus noctu, ac obtegumentum, est obvelatio veri Divini, ita accommodatio secundum captum; quod gloria super qua obtegumentum sit Divinum Verum quod a Domino, videatur supra n: **9429**; tugurium est ultimum Veri Divini quod abscondit interiora: quod id erit in umbram interdiu ab ardore, et in refugium contra inundationem et pluviam, est ut tutus sit homo, ne laedatur. Describitur etiam obvelatio Divini Veri apud Davidem „*Jehovah Deus mi, magnus es valde, gloriam et honorem induisti, qui operit se luce quasi veste; contignat aquis triclinia sua; ponit nubes currum suum; fundat terram super basibus ejus, ut non dimoveatur in aeternum et perpetuum; abysso sicut veste obvelasti illam; limitem posuisti non transeant*" Psalm: CIV: 1 ad 6 [. 9]; gloria et honor

quo se induit Jehovah, hoc est, Dominus, est Divinum Verum, n: 9429; lux qua operitur sicut veste, est Divinum Verum quale est in coelo et in Ecclesia, quod id in Verbo lux sit, videantur citata supra n: 9429; triclinia quae contignat aquis, sunt coelestes societates, et aquae sunt vera, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8568. 9323; nubes quas ponit currum, sunt vera ex quibus doctrina, quod currus sit doctrina, videatur n: 5321. 8215; terra, de qua dicitur quod fundetur super basibus suis ut non dimoveatur in aeternum, est Ecclesia, quod terra in Verbo sit Ecclesia, videantur citata n: 9325; bases super quibus fundatur sunt vera in ultimis, qualia sunt Verbi in sensu ejus literali, inde dicitur ut non dimoveatur in aeternum; abyssus qua sicut veste obvelatur, est scientificum Verum pro naturali homine, n: 6431. 8278: inde patet, quid sit limes positus ut non transeant, quod nempe sit ultimum Veri Divini in quod desinunt interiora, et super quo sicut super fulcro et fundamento subsistunt et quiescunt, ut supra dictum est.

9434. Et aspectus gloriae Jehovae sicut ignis comedens in capite montis oculis filiorum Israëlis, quod significet Divinum Verum in ipso Coelo splendens ex bono amoris, sed apud illos qui in externo ejus separato ab interno quod laedens [64] et vastans, constat ex significatione aspectus gloriae Jehovae, quod sit apparentia Divini Veri procedentis a Domino; quod aspectus sit apparentia coram oculis, patet; et quod gloria Jehovae sit Divinum Verum procedens a Domino, videatur n: 9429; ex significatione ignis, quod sit amor in utroque sensu, de qua n: 4906. 5215. 6314. [65] 6832. 7324, hic, ipse Amor Divinus; ex significatione capitis montis, quod sit intimum coeli, nam per montem Sinai significatur coelum, n: 9420. 9427, et per supremum ejus, quod vocatur caput et cacumen, intimum ejus, n: 9422; ex significatione comedere, quod sit consumere, ita laedere et vastare; et ex repraesentatione filiorum Israëlis, quod sint qui in externis absque internis, de qua saepius supra: ex his constare potest, quod per aspectum gloriae Jehovae sicut ignis in capite montis, significetur Divinum Verum in ipso coelo splendens ex bono amoris; et per quod esset sicut ignis comedens oculis filiorum Israëlis, significetur quod apud illos qui in externo ejus absque interno, esset laedens et vastans. Cum hoc ita se

habet; sunt bini amores sibi prorsus oppositi, amor coelestis et amor infernalis; amor coelestis est amor in Dominum et amor erga proximum; et amor infernalis est amor sui et amor mundi; illi, apud quos amores infernales regnant, in inferno sunt; at illi apud quos amores coelestes regnant, in coelo sunt: est enim amor ipsum vitale hominis, nam absque amore prorsus nulla vita est; ex amore enim cuivis est vitae ejus calor et ignis; quod absque calore et igne vitali sit nulla vita, manifeste patet; inde sequitur, quod qualis est amor, talis sit vita, proinde, qualis est amor, talis sit homo: quapropter quisque ex ipsis suis amoribus scire potest, num coelum in illo sit, vel num infernum. Amor est sicut ignis aut flamma apud hominem, et est quoque ignis seu flamma vitalis, ut dictum est, et fides est sicut lux ex illo igne seu ex illa flamma, et quoque est lux quae illuminat interiora ejus intellectus: inde quoque patet, qualis lux ex qua fides illis qui in amore infernali sunt; quod ex hac luce sit fides persuasiva, quae in se non est fides, sed persuasio quod ita sit propter se et mundum, videatur n: 9363 ad 9369. In Ecclesia hodie ponitur vita spiritualis, quae est vita aeterna, in sola fide, ita in fide absque bonis amoris coelestis; sed qualis illa vita sit, quisque ex illis quae nunc dicta sunt, si expendat, videre potest. Dicendum nunc est, quomodo se habet cum igne Divino, qui est Divinus amor, apud illos qui in amore coelesti sunt, et quomodo apud illos qui in amore infernali; apud illos qui in amore coelesti sunt, est ignis seu amor Divinus continue creans et renovans interiora voluntatis, ac illuminans interiora intellectus; at apud illos qui in amore infernali sunt, est ignis seu amor Divinus continue laedens et vastans; causa est, quia apud hos amor Divinus cadit in opposita, per quae destruitur; vertitur enim in ignem seu amorem sui et mundi, ita in contemtum aliorum prae se, in inimicitias contra omnes qui sibi non favent, et sic in odia, in vindictas, et tandem in saevitias: inde nunc est, quod Ignis Jehovae apparuerit coram oculis filiorum Israëlis ut comedens seu consumens; erant enim illi in amore sui et mundi, quoniam in externis absque internis. Quod ignis ille fuerit illis comedens et consumens, patet etiam alibi apud Moschen „Factum est, quum audivistis vocem e medio tenebrarum, monsque ardens igne, accessistis ad me omnia capita Tribuum ve-

strarum, et seniores vestri, et dixistis, en [66] videre fecit nos Jehovah Deus noster gloriam suam et magnitudinem suam, ac vocem Ipsius audivimus e medio ignis; *verumtamen quare moriemur, quia comedet nos ignis magnus hic;* si addimus nos audire vocem Jehovae Dei nostri amplius, *utique moriemur*" Deut: V: 20. 21. 22, videantur etiam quae n: 6832. 8814. 8819, ostensa sunt; et quod populus ille talis fuerit, citata n: 9380. Per ignem comedentem etiam alibi in Verbo significatur vastatio, ac dicitur de impiis; ut apud Joëlem „Venit dies Jehovae, dies tenebrarum et caliginis; dies nubis et obscuritatis; ante eum *comedit ignis*, post eum *inflammat flamma;* sicut hortus Eden terra ante eum, sed post eum et *desertum vastitatis*" II: 2. 3. Apud Esaiam „*Audiri faciet Jehovah gloriam vocis suae in flamma ignis comedentis*" XXX: 30. Apud Eundem „Quis manebit nobis *igne comedente;* quis manebit nobis *focis aeternitatis*" XXXIII: 14. Apud Eundem „Visitaberis a Jehovah *flamma ignis comedentis*" XXIX: 6. Apud Ezechielem „Posteritas tua *comedetur per ignem*" XXIII: 25; in his locis ignis comedens est ignis cupiditatum quae ex amoribus sui et mundi, quoniam hic ignis est qui consumit hominem, et qui vastat Ecclesiam. Hoc quoque repraesentatum est per „ignem a coram Jehovah, *qui comedit filios Aharonis Nadab et Abihu;* propterea quod dederint in thuribula sua *ignem alienum*" Levit: X: 1. 2, dare in thuribula ignem alienum est cultum instituere ex alio amore quam ex coelesti: quod talis ignis sit amor sui et mundi, et omnis inde cupiditas, videatur n: 1297. 1861. 5071. 5215. 6314. 6832. 7324. 7575. 9141. [67]

9435. Et intravit Moscheh in medium nubis, quod significet Verbum in sensu externo, constat a repraesentatione Moschis, quod sit Verbum, hic Verbum in sensu externo, quia dicitur quod intraverit in medium nubis, et per nubem significatur sensus externus Verbi; quod Moscheh sit Verbum, videatur supra n: 9414; et quod nubes sit sensus ejus externus, n: 9430. Quod Moscheh manserit in extremo montis sex dies, et die septimo vocatus intraverit in nubem, et ascenderit ad montem, factum est ob causam, ut repraesentaret intermedium, seu medians inter populum et inter Dominum, secundum illa quae supra n: 9414, dicta sunt; gradus ascensionis a populo ad Do-

minum ita describuntur; cum tandem venit in montem, tunc primum repraesentabat sanctum Verbi externum, quod est medians; nam mons ille significat coelum ubi sanctum: sed usque non ulterius admissus est, quam ad primum limen coeli, ubi sanctum Verbi externum desinit: quousque admissus est, repraesentative mihi ostensum est per spiritum, qui quoad superiorem faciei partem usque ad mentum in luce coeli visus est, at quoad inferiorem a mento, et una quoad totum corpus, in nube fuit; inde patuit, quantum Sancti externi, quod medians, repraesentavit. Quod sex dies, quibus Moscheh mansit in extremo montis, significaverint statum veri, et septimus, quo ascendit ad montem, statum boni, secundum illa, quae supra n: 9431. 9432, explicata sunt, causa est, quia similes gradus ascensionis a mundo ad coelum sunt illis qui regenerantur a Domino; elevatur enim homo ab externis ad interna, quia a naturali homine qui in externis est, ad spiritualem qui in internis: talis elevatio seu ascensio quoque repraesentabatur per Moschen cum indueret repraesentationem Sancti Externi, quod medians; Sanctum enim Verbi externum est introitus ad statum boni, ita ad coelum.

9436. Et ascendit ad montem, quod significet elevationem ad coelum, constat ex significatione ascendere, quod sit elevatio versus interiora, de qua n: 3084. 4539. 4969. 5406. 5817. 6007; et ex significatione montis Sinai, quod sit coelum ubi Divinum Verum in luce, de qua supra n: 9420. 6427.

9437. Et fuit Moscheh in monte quadraginta dies et quadraginta noctes, quod significet plenarium quoad informationem et influxum, constat ex significatione quadraginta, quod sit plenarium; quod quadraginta sint plenarium, est quia quatuor sunt plenum, n: 9103, similiter decem, n: 3107. 4638; et numerus quadraginta ex quatuor multiplicatis in decem exsurgit; numeri enim multiplicati simile significant cum simplicibus, ex quibus multiplicati sunt, n: 5291. 5335. 5708. 7973; quod omnes numeri in Verbo significent res, videatur n: 575. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. 6175; inde nunc est, quod Moscheh in monte fuerit quadraginta dies et quadraginta noctes. Quod quadraginta hic significent plenarium ad informationem et ad influxum, patet a sequentibus a Cap: XXV ad XXXII, ubi memorantur

illa in quibus informatus est, quae fuerunt de Arca, de Aharone, de Urim et Thumim, de sacrificiis; quod etiam significent plenarium ad influxum, est quia ex eo tempore coepit Moscheh repraesentare Sanctum Verbi externum, quod est medians inter Dominum et inter populum, et mediatio fit per influxum per Sanctum illud in Repraesentativum in quo populus erat, n: 9419. Quia Quadraginta significabant plenarium, ideo mansit Moscheh super monte Sinai non solum hac vice, sed etiam altera „*quadraginta dies* et *quadraginta noctes*" Exod: XXXIV: 28. Deut: IX: 18. 25. Cap: X: 10: et ideo filii Israëlis vagati sunt in deserto *quadraginta annis*, et sicut dicitur „usque *dum consumta fuerit omnis generatio illa*" Num: XIV: 33. 34. Cap: XXXII: 13. Et ideo a Jona dictum est Ninevitis, quod „urbs *post quadraginta dies* everteretur" Jon: III: 4. Ac ideo mandatum est Prophetae „jacere super latere dextro, et portare iniquitatem domus Jehudae *quadraginta dies*" Ezech: IV: 6. Ideo quoque dicitur de Aegypto, quod daretur in solitudinem plenariam „*quadraginta annos*, et post illos congregaretur ex populis" Ezech: XXIX: 11. 12. 13. Et ideo „pluerat super terram, ut inundaretur diluvio *quadraginta dies et quadraginta noctes*" Genes: VII: 4. 12. 17. Inde patet, cur statutum, quod „improbus *quadraginta plagis* percuteretur" Deut: XXV: 3; quadraginta plagae enim significabant poenam ad plenum. Inde quoque patet, quid intelligitur in Prophetico Deborae et Baraki „quod clypeus non visus sit, nec hasta, in *Quadraginta millibus Israëlis*" Jud: V: 8; in quadraginta millibus Israëlis est in omnibus. Patet etiam inde, cur Templum a Salomone aedificatum fuerit „*quadraginta cubitis longum*" [I] Reg: VI: 17: pariter Novum Templum, de quo apud Ezechielem Cap: XLI: 2; per Templum enim significatur in supremo sensu Dominus, in interno Coelum et Ecclesia, et sic per Quadraginta plenarium quoad repraesentationem: pariter alibi.

De Telluribus in Coelo Astrifero; deque eorum incolis, spiritibus et angelis.

9438. *Qui in Coelo sunt, illi loqui et conversari possunt cum Angelis et Spiritibus qui non solum ex Telluribus in Solari hoc mundo sunt, sed etiam cum illis qui ex Telluribus extra hunc mundum in universo; nec modo cum spiritibus et angelis inde, sed etiam ibi cum ipsis incolis quibus interiora aperta sunt, ut possint audire loquentes e coelo: similiter potest homo cum vivit in mundo, cui datum est a Domino loqui cum spiritibus et angelis, nam homo est spiritus et angelus quoad interiora sua, corpus quod in mundo circumfert modo ei inservit pro functionibus in naturali seu terrestri hac sphaera, quae est ultima. Sed cum angelis et spiritibus nulli datur sicut spiritus et angelus loqui, nisi talis sit ut consociari possit illis quoad fidem et amorem; nec consociari potest nisi fides sit in Dominum et amor in Dominum, quoniam homo per fidem in Ipsum, ita per vera doctrinae, et per amorem in Ipsum, conjungitur, et cum Ipsi conjunctus est, tutus est ab insultu malorum spirituum qui ab inferno: apud alios interiora aperiri prorsus nequeunt, nam non in Domino sunt. Haec causa est, quod pauci sint hodie, quibus datur loqui et conversari cum angelis: cujus rei manifestum indicium est, quod vix credatur hodie quod spiritus et angeli sint, minus quod sint apud quemcunque hominem, et quod per illos nexus sit homini cum coelo, et per coelum cum Domino; et quod adhuc minus credatur, quod homo cum quoad corpus moritur, vivat spiritus, etiam in humana forma sicut prius.*

9439. *Quia hodie in Ecclesia apud plerosque nulla fides est de vita post mortem, et vix aliqua de coelo, nec de Domino quod sit Deus coeli et terrae; ideo interiora, quae sunt spiritus mei, a Domino aperta sunt, ut possem, dum in corpore sum, simul cum angelis in coelo esse, et non modo loqui cum illis, sed etiam ibi videre stupenda, et eadem describere; ne forte posthac etiam dicturi sint, quis ex coelo ad nos venit et narravit quod sit, et quae ibi. Sed scio, quod qui corde prius negaverunt coelum et infernum, ac vitam post mortem, etiam*

contra illa se obfirmaturi sint, et negaturi; nam facilius est Corvum album facere, quam efficere ut credant qui semel corde rejecerunt fidem: sint vero haec, quae de coelo et inferno, deque vita post mortem, hactenus ostensa sunt, pro paucis illis qui in fide sunt: ut autem reliqui perducantur ad aliquid agnitionis, concessum est memorare talia, quae delectant et allectant hominem sciendi cupidum; quae nunc erunt de Telluribus in universo.

9440. *Qui non scit arcana coeli, credere potest quod homo non possit videre tellures tam dissitas, et per experientiam sensualem aliquid de illis referre: sed sciat, quod spatia et distantiae, et inde progressiones, quae apparent in mundo naturali, in sua prima causa et origine sint mutationes status interiorum, et quod apud angelos et spiritus secundum eas appareant; et quod illi sic per eas transferri possint ab uno loco in alterum, et ab una tellure in alteram, etiam ad tellures quae in fine universi; similiter etiam homo quoad suum spiritum, manente usque corpore ejus in suo loco: ita mecum etiam factum est, quoniam, ex Divina Domini Misericordia, mihi datum est conversari cum spiritibus sicut spiritus, et simul cum hominibus sicut homo. Quod spatia et distantiae, et inde progressiones in coelo sint apparentiae ex mutationibus status interiorum, videatur n:* 5605. [68] *Quod homo quoad spiritum ita transferri possit, sensualis homo non capere potest, quoniam is in spatio et in tempore est, et progressiones suas secundum illa mensurat.*

9441. *Quod plures mundi sint, unicuivis constare potest ex eo, quod tot sidera in universo appareant, et notum est in erudito orbe, quod unumquodvis sidus sit instar solis in suo loco, manet enim fixum sicut sol nostrae telluris in suo; et quod distantia faciat ut appareat in parva forma sicut stella; consequenter quod similiter ac sol nostri mundi circum se habeat planetas, qui sunt tellures: ad quid aliter tantum coelum cum tot astris; finis enim creationis universi est homo, ut ex homine sit coelum angelicum; quid pro Infinito Creatore foret Genus humanum, et inde Coelum Angelicum ex una tellure, pro Quo non satis essent mille tellures, imo nec myriades. Calculus initus est, si forent* 1000,000 *tellures in uni-*

verso, et in unaquavis tellure homines numero 300,000,000 *seu* 300 *milliones, et* 200 *generationes intra* 6000 *annos, et cuique homini daretur spatium* 3 *ulnarum cubicarum, quod numerus tot hominum in unam summam collectus non usque impleret spatium millesimae partis hujus telluris, ita non spatium unius satellitis circum planetam Jovis vel Saturni, quod foret spatium in universo parvitatis inconspicuae, nam satelles coram nudo oculo vix apparet: quid hoc pro Creatore universi, cui non satis foret si totum universum fuisset impletum, est enim Infinitus. De his cum Angelis loquutus sum, qui dixerunt, quod illi similem ideam de paucitate Generis humani respective ad infinitatem Creatoris habeant, sed usque quod illi non ex spatiis sed ex statibus cogitent, et quod secundum eorum ideam tellures numero tot myriadum, quot usquam cogitari possent, usque prorsus nihil forent ad Dominum. Praeterea, quod Coelum Angelicum, cujus seminarium est Genus humanum, correspondeat omnibus quae apud hominem, et quod tale coelum non condi possit ab Angelis ex una tellure, sed erit ex innumeris.*

9442. *Verum de Telluribus in Coelo astrifero in nunc sequentibus ex ipsa experientia dicetur; ex qua etiam constabit, quomodo translationes illuc quoad spiritum meum, manente corpore in suo loco, factae sint.*

FINIS PARTIS SECUNDAE EXODI.